MISCELLANEA PHOENICIA,

SIVE

COMMENTARII DE REBUS PHOENICUM.

HENRICI ARENTII HAMAKER,

L. L. O. O. IN ACAD. LUGDUNO-BATAVA PROF. ORDIN. ET LEGATI WARNERIANI INTERPRETIS, INSTITUTI REGII BELGICI, ACADEMIARUM IMP. PETROPOLITANAE, ET REGIAE DANICAE, SOCIETATUM REGIARUM, BRITTANNICAE ASIATICAE ET ANTIQUARIORUM SCANDINAVICAE, ITEM ASIATICAE PARISIENSIS, SODALIS,

MISCELLANEA PHOENICIA,

SIVE

COMMENTARII DE REBUS PHOENICUM,

QUIBUS INSCRIPTIONES MULTAE LAPIDUM AC NUMMORUM, NOMINAQUE PROPRIA HOMINUM ET LOCORUM, EXPLICANTUR, ITEM PUNICAE GENTIS LINGUA ET RELIGIONES PASSIM ILLUSTRANTUR.

ACCEDUNT QUINQUE TABULAE LITHOGRAPTAE.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXVIII.

LISTE DES SOUSCRIPTEURS.

S. M. LE ROI DES PAYS-BAS.

Académie (L') Impériale des Sciences de St. Petersbourg.

Adelung, *Conseiller d'État, à St. Petersbourg.*

Altheer, (J.) *Libraire à Utrecht.*

Altstein, (P. Leopold van) *à Gand.*

Amersfoordt, (H.) *Recteur des Écoles Latines à Sneek.*

Assen, (C. J. van) *Professeur à Leyde.*

Bake, (J.) *Professeur à Leyde.*

Barth, (J. A.) *Libraire à Leipsic.* 3 Ex.

Bibliothèque (La) de l'Athenée d'Amsterdam.

Bibliothèque (La) Royale de Coppenhague.

Bibliothèque (La) publique de Harlem.

Bibliothèque (La) de l'Université de Leyde.

Bibliothèque (La) de l'Université de Louvain.

Bibliothèque (La) du Diocèse de Sélande.

Boekeren, (W. van) *Libraire à Groningue.*

Boelhouwer, (L.) *Agent au Consulat des Pays-bas à Livourne.*

Bohn, (J.) *Libraire à Londres.*

Bowring, (J.) *à Londres.*

Brest van Kempen, *Libraire à Bruxelles.*

Broes, (W.) *Ministre du Culte à Amsterdam.*

Bure, (de) *Libraires du Roi et de la Bibliothèque du Roi à Paris.* 3 Ex. pap. ord. et 3 pap. fin.

Bye, (P. J. de) *Membre du Conseil d'État à la Haye.*

Camper, (P.) *Docteur-ès-lettres à Zutphen.*

Cantraine, (F.) *à Livourne.*

Carlier, (J. A.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Castiglione, (De) *Agent du Chevalier Anastasi.*

Cats, (H.) *Ministre du Culte à Leyde.*

Charmoy, *Professeur de Langues Orient. à St. Petersbourg.*

Clarisse, (J.) *Professeur à Leyde.*

Clarisse, (T. A.) *Professeur à Groningue.*

De-

Demange, *Professeur de Langues Orient. à St. Petersbourg.*

Dermout, (J.) *Ministre du Culte à Meppel.*

Escury, (H. Baron d') de Heinenoord, *Membre des États-Généraux, etc. etc.*

Ewyck, (D.J. van) *Administrateur pour l'Instruction publique, les Sciences et les Arts à Bruxelles.*

Frähn, *Conseiller d'État, Directeur du Musée Asiatique etc. à St. Petersbourg.*

Franchetti, (J.) *Banquier à Livourne.*

Garland, (A.) *Négociant Anglais à Livourne.*

Geel, (J.) *Professeur et Bibliothécaire de l'Université à Leyde.*

Gobbelschroy, (*Son Excell.* L. van) *Ministre de l'Interieur à Bruxelles.*

Gooje, (P. de) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Groenewoud, (J. C. Swyghuysen) *Professeur à Franeker.*

Halbertsma, *Ministre du Culte à Deventer.*

Halteren (van) van Sluipwijk, *Président du Tribunal à Leyde.*

Hengel, (W. A. van) *Professeur à Leyde.*

Hengst et fils, (Den) *Libraires à Amsterdam.*

Heringa, (J.) *E. f. Professeur à Utrecht.*

Herwerden, (C. H. van) *Ministre du Culte à Poederooyen.*

Herwerden, (J. Hondius van) *Étudiant en Lettres et Théologie à Leyde.*

Heusde, (P. W. van) *Professeur à Utrecht.*

Heyst, (D. van) *Ministre du Culte à Muiderberg.*

Hoeven, (A. des Amorie van der) *Professeur à Amsterdam.*

Hoeven, (C. Pruys van der) *Professeur à Leyde.*

Hohlenberg, (M. A.) *Professeur à Copenhague.*

Hoogstraten, (J. F. van) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Hoorn, (P. W. van) *Docteur en Médecine à Leyde.*

Humbert, (J. E.) *Lieutenant-Colonel à Livourne.*

Jong (De) van Rodenburgh, *à la Haye.*

Juynboll, (T. W. J.) *Ministre du Culte à Voorhout.*

Kist, (N. C.) *Professeur à Leyde.*

Laan, (P. J.) *Ministre du Culte à Amersfoort.*

Ledeboer, (L. G. C.) *Étudiant en Theologie à Leyde.*

Lennep, (D. J. van) *Professeur à Amsterdam.*

Linden, (G. J. van der) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Littré, (M. P.) *Membre de la Société Asiatique à Paris.*

Lotze, (J. A.) *Professeur à Amsterdam.*

Macquelyn, (M. J.) *Professeur à Leyde.*

Mahne, (G. L.) *Professeur à Gand.*

Marcus, (A.) *Libraire à Bonn.*

Meyer, (J. D.) *Avocat à Amsterdam.*

Muller et Comp., *Libraires à Amsterdam.* 2 Ex.

Münter, (F.) *Evêque de Sélande.*

Nest-

Nestler, (F. H.) *Libraire à Hambourg.*

Ohsson, (*Son. Excell.* C. D') *Ministre de Suède près la Cour des Pays-bas.* 3 Ex. papier fin.

Oosterdyk, (H.) *Ministre du Culte à Lunteren.*

Ouvaroff, *Président de l'Académie Royale des Sciences, Conseiller Intime et Sénateur à St. Petersbourg.* 1 Ex. papier fin.

Palm, (J. H. van der) *Professeur à Leyde.*

Pareau, (J. H.) *Professeur à Utrecht.*

Patoir, (L.) *Ministre du Culte à Leeuwarde.*

Patyn, (D. T. F.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Payne et Foss, *Libraires à Londres.*

Peerlkamp, (P. Hofman) *Professeur à Leyde.*

Poll, (H. M. van de) *Commis d'État, attaché à la Mission du Commissaire Général de S. M. aux Indes Orientales.*

Reinhold, *Ministre de S. M. le Roi des Pays-bas à Florence.*

Reinwardt, (C. G. C.) *Professeur à Leyde.*

Reuvens, (C. J. C.) *Professeur à Leyde.*

Roo, (D. W. de) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Roorda, (T.) *Professeur à Amsterdam.*

Rooyens, (T. J.) *Professeur à Amsterdam.*

Royen, (H. van) *Conseiller d'État.*

Rutgers, (A.) *Étudiant en Théologie à Groningue.*

Sacy, (Le Baron A. J. Sylvestre de) *Professeur d'Arabe et de Persan à Paris etc.*

Schalbacher et Comp., *Libraires à Vienne.*

Scholten, (Fannius) *Conseiller d'Etat à la Haye.*

Senkowski, *Professeur de langues Orient. à l'Université de St. Petersbourg.*

Siegenbeek, (M.) *Professeur à Leyde.*

Sluiter, (J. J.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Société (*La*) *Royale Asiatique à Londres.*

Speyert van der Eyk, (S.) *Professeur à Leyde.*

Storm, (W.) *Etudiant en Théologie à Leyde.*

Stronck, (C. W.) *Ministre du Culte à Dordrecht.*

Swalue, *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Talboys, (D. A.) *Libraire à Oxford.*

Teissèdre L'Ange, (J.) *Ministre du Culte à Amsterdam.*

Terkuile (H.) Jun., *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Terpstra, (J. D.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Terreni, (J.) *Négociant et propriétaire à Livourne.*

Tex, (C. A. den) *Professeur à Amsterdam.*

Thorbecke, (J. R.) *Professeur à Gand.*

Université (*L'*) *Impériale à St. Petersbourg.* 2 Ex.

Uylenbroek, (P. J.) *Professeur à Leyde.*

Ve-

Voder, (W. R.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Verhoeven, (H. P. Timmers) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Visscher, (L. G.) *Professeur à Louvain.*

Voorst, (D. C. van) *Ministre du Culte à Amsterdam.*

Vorstman, (M. A. G.) *Étudiant en Théologie à Leyde.*

Vries, (A. de) *Ministre du Culte à Harlem.*

Vries, (J. de) *Membre de l'Institut à Amsterdam.*

Weidmann, (*La Librairie de*) *à Leipsic.* 12 Ex. pap. ord. 1 pap. fin.

Weigel, (J. A. G.) *Proclamateur de l'Université de Leipsic.* 6 Ex. pap. ord. 1 pap. fin.

Westendorp, (N.) *Ministre du Culte à Losdorp.*

Weyers, (H. E.) *Docteur en Théologie à Leyde.*

Wildschut, (D. H.) *Ministre du Culte à Amsterdam.*

Willmet, (J.) *Professeur à Amsterdam.*

Wolters, (G.) *Professeur à Groningue.*

Yong, (G. de) *Consul de S. M. le Roi des Pays-bas à Livourne.*

VIRO ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO,

FREDERICO MUNTERO,

S. P. D.

H. A. HAMAKER.

Haud ignoras, Muntere, Vir doctissime, quanta nonnullorum hominum eruditorum, Palaeographiae Semiticae operam dantium, contentio mecum fuerit et pugna, ex quo meam in lapides Humbertianos diatriben in lucem emisissem. Nam repetita quidem illius libelli apud Germanos editio, ut bibliopolae ingrata, ita mihi perquam honorifica accidebat, hinc existimanti meas interpretationes a pluribus et legi et probari, quam ipse, ista scribens, animo praecepissem; at qui publice sententiam dixerunt, minus benigne et honorifice de meis hoc in genere studiorum conatibus judicabant. Alii scilicet nimiam in me carpebant negligentiam regularum, quas ipsi ex paucorum monumentorum, subinde haud satis recte explicatorum, consideratione sibi finxerant, et Philologiam Palaeographiae praelatam aegre ferebant; alii de mea Humbertiique fide in exprimendis inscriptionum formis dubitantes, inaudito plane exemplo, veram lectionem monumentorum, quae numquam oculis usurpaverant, so-

la conjectura assequi conabantur. Quorum reprehensiones quam vim in aliorum animos habuerint nescio, nec inquirere vacat; me certe ab incepto haudquaquam deterrere potuerunt. Nam et rationis mihi conscius eram haud temere susceptae, et Tua praesertim, Muntere, me auctoritas sublevabat, qui magnam in universa antiquitate pervestiganda operam collocasses, in Poenorum vero religionibus maximam. Quapropter cum Augustissimus Optimusque Rex, quo fertur in omnes bonas literas amore, Humbertium semel iterumque in Africam ablegasset, ut, quaecumque posset, veteris aevi monumenta coëmeret, continuo ad meum officium pertinere existimavi, ut Punicarum inscriptionum, quibus hac opportunitate Museum Leydense locupletatum esset, probabilem interpretationem tentarem. In his monumentis, ut vides, haec ipsa inscriptio primum locum occupat, quam Tu, haud satis accuratum apographon naetus, explicueras, ego vero cum ipsum lapidem etiam atque etiam considerassem, emendatius edendam et paullo aliter legendam et reddendam esse putavi. Quem dissensum Tua placida et honesta mens ita feret, ut ii solent, qui unius veritatis studio ducuntur: ego autem, quo illud in Te animo fecerim ipsa haec epistola declarat, eo maxime consilio conscripta, ut Tibi, qui inter paucos de meis in Punicas inscriptiones conjecturis et prudenter et benevole judicasses, hunc novum laboris mei fructum dicarem. Nostri Musei inscriptionibus alias adjeci apud exteros servatas, quotquot verosimiliter explicari posse mihi videbantur. E quarum numero vix dubito quin principem palaeographicae utilitatis locum assignaturus sis fragmento illi papyraceo, quod Arabum, ut puto, praedam a se in terrae visceribus inventam partientium, male sedula manus in frusta discerpsit. Cujus scripturae utinam aliquando plura specimina reperiantur, quantivis pretii ad Hebraici Codicis crisin rectius instituendam futura! Nempe hic ipsam quasi originem tenemus antiquissimamque formam literarum Hebraicarum vulgarium, quas minime lapsu temporis in vetustiorum locum successisse conjicio, in nummis Hasmonaeis conservatorum, sed una exstitisse duplex scripturae genus, fortasse jam ab antiquissimis Phoenicibus cum Hebraeis communicatum, alterum hieraticum, sive quadratum, quod libris sacris exaran-

arandis inserviit, alterum demoticum, quod in nummis cernimus, et quotidianis vitae usibus destinatum erat. Rem illustrat Arabicarum literarum comparatio, quarum geminam speciem, Cuficam, quam hieraticam appello, et vulgarem, jam uno eodemque tempore exstitisse scimus, illam in Corano nummisque apud Arabes cum religione cohaerentibus et Coranica sententia insignibus usurpatam, hanc in actibus publicis. Quae si recte conjeci, de quo Tu omnium optime judicabis, non est profecto dubitandum, quin ex hac imprimis literarum Phoenicio-Aegyptiacarum forma, si quando melius cognoscatur, in posterum de Codicum vitiis et versionum aberrationibus optime judicaturi sint Veteris Testamenti interpretes. Etsi multum abest, ut unius Palaeographiae, aut rei Criticae caussa hoc Phoeniciae vetustatis studium commendandum putem. Est enim, ut ipsa novitate jucundum, ita ad interiorem linguarum Semiticarum et veterum religionum aliarumque rerum multarum cognitionem fructuosum. Quae cum ipse experientia didicissem, non intra solas lapidum inscriptiones, aut nummorum, aliorumve minorum monumentorum, quibus peculiarem librum dicavimus, subsistendum, sed hac opportunitate utendum esse censui, ut de multis nominibus propriis, cum deorum et hominum, tum locorum, sententiam dicerem, atque adeo, quidquid in praesenti ad res celeberrimae gentis illustrandas a me in medium proferri posset, una tractatione complecterer. Quod ita a me factum spero, ut nec Tuum, Vir Illustrissime! nec aliorum, qui aequi bonique consulant, judicium reformidem. Nam affirmare non dubito, me in his conjecturis analogiae nominum Hebraeorum perpetuo rationem habuisse, contra Grammaticae regulas numquam peccavisse scientem, et Graecam Latinamve scripturam ita Orientalibus literis expressisse, ut illa his ubique exacte et accurate responderet. Nec sane me, quae hinc ad linguam, ad religiones, ad geographiam illustrandam emolumenta redundarunt, considerantem, operae in hanc rem insumtae poenitet. Haud equidem diffiteor, fore complures, qui clamitent, me veterem Bocharti renovasse licentiam, et ex variis dialectis conflasse falsam quandam speciem linguae Phoeniciae, quae soli Hebraeae simillima et proxima fuerit. Ab his

au-

autem peto, ut etiam atque etiam relegant, quae de sermone Punico, vicinarum dialectorum formis et significatibus locupletato, in ipsa dissertatione nostra monuimus et luculentis exemplis confirmavimus. Nullis enim aliis argumentis opus esse arbitror, quibus perversa ista opinio ex eorum animis eradicetur. Quapropter illorum dissensionis in posterum nullam rationem publice sum habiturus, nisi quid bonae frugis objecerint, meosque errores, quos in tanta rerum et multitudine et varietate me complures commisisse verosimile est, commonstraverint et redarguerint. At quos solo novitatis studio et reprehensionis amore abripi ipsa res declarat, hos nullo umquam responso dignabor. Idem his dicendum censeo, qui meam inscriptiones legendi et interpretandi rationem carpsere: quibus ne nunc quidem respondissem, nisi timuissem, ne forte meum silentium in alienam partem acciperent, et in eo quaererent erroris quandam confessionem. Jam, quod in eorum numero, quorum sententias recensui, Quatremerium desiderabis, qui nuper admodum novam lapidum Humbertianorum interpretationem edidit, id quale sit paucis explicandum est. Nempe ea pars Diarii Asiatici Novi, quae illius observationes continet, serius ad me delata est, quam ut suo loco, id est tertio commentationis meae libro, de illis agere possem, quippe typothetae jam ad quartum processerant; dein, ut verum fatear, res mihi non esse videbatur tanti. Nam illius conjecturae partim nituntur temeraria opinione de inscriptionibus ab Humbertio negligenter admodum delineatis, et falsa lectione בעל המן, de quibus argumentis, quantum satis est, adversus Gesenium disputaveram; partim commento de litera Resch a sculptore lapidis omissa, in versus tertii Inscriptionis tertiae fine, quod Tu libenter omni refutatione indignum esse fatebere. Si enim haec antiquariis licentia conceditur, ut ipsos lapidum nummorumve artifices erroris accusent, et literas hypothesi inservientes, vel obstantes, nunc suppleant, nunc omittant, de omni hujusmodi monumentorum interpretatione in perpetuum actum est. Quae quamvis per se satis clara et manifesta sunt, tamen breviter attingenda esse putavi, ne, non dicam Tibi, sed aliis, qui de me judicium ferent, scriptionem Quatremerii ignorasse

vi-

viderer, aut nihil habuisse, quod responderem. Restat ut pauca adhuc cum de Indicibus referam, tum de tabulis lithograptis. Illos igitur, etsi fortasse Tibi minus necessarii esse videantur, quem, quo harum rerum studio teneris, integrum librum perlecturum scio, confeci accuratissimos, in Latino tamen ea omittens nomina propria, quae in ipsa commentatione secundum literarum seriem posita erant. Indicum vero amplitudinem nemo, ut spero, vituperabit, qui rerum varietatem, libri molem et quaerendi difficultatem consideraverit, et meminerit opus non tantum Orientalium linguarum peritis, sed subinde aliorum quoque literatorum virorum, qui ista perlegere, nec possunt, nec volunt, studiis esse inserviturum. In tabularum lithograptarum delineatione, sive ad lapidum ipsorum nummorumve, sive ad apographorum fidem diligenter exigenda, nec tempori, nec labori peperci; quae res quantum molestiae et difficultatis habeat nemo me melius novit, cui cum artificibus negotium fuit, non literarum ductibus, sed delineationibus et picturis, non servili imitationi, sed liberiori penicillo, assuetis, nec inter Leydenses nostros, sed Amstelodami agentibus. Interim, etsi in nonnullis, imprimis in tertia, haud injuria majorem elegantiam desideres et Italicarum literarum formam pulcriorem, nihilosecius affirmare non dubito, ad Inscriptionum summam fidem et integritatem nihil ulterius posse requiri. Caeterum ex istis symbolis, quae Tuae liberalitati et benevolentiae debemus, Jaspidem, uti vides, quarta tabula continet, tertia inscriptionis Borgianae apographon, ea potissimum de caussa a me editum, ne quidquam quod meae caussae adversum esset, dissimulasse censerer. Nam mihi ex utriusque exempli accurata comparatione propemodum certum est, Humbertium, cujus in delineandis inscriptionibus admirabilis est industria et accuratio, apographon illud, a Borgia, Africam invisente, ex ipso lapide expressum, tum sibi commodatum, quam diligentissime imitatum esse; Tuum vero exemplar, quod Illustris Comes ex eodem apographo confecit, adeo festinanter et negligenter exaratum esse, ut nullam fidem mereatur et prorsus explicari nequeat. Utinam vero Tu ipsum lapidem inspexisses et delineasses, ut sic omnis de vera lectione dubitatio hominum animis

ex-

exemta foret. Tuae enim diligentiae non minus fidendum esse quam Humbertianae, cum alia apographa insigni cum liberalitate a Te transmissa declarant, tum Jaspidis et inscriptionum lucernarum sepulcralium, quas adeo facile legi et interpretatus sum, ac si ipsa monumenta ante oculos posita fuissent. Hoc unum doleo sepulcrales epigraphas non ante ad me delatas esse, quam tota commentatio typis expressa foret. Vel sic tamen earum editionem non differendam esse duxi, sed plagula ad finem libri adjecta, cum formas literarum, tum probabilem earumdem explicationem proposui.

Haec habui, quae de praesenti instituto meo tecum dissererem. Tu vero, Vir Illustrissime! eo animo hunc studiorum meorum fructum accipe, quo Tibi offertur, id est ad omnia amicitiae et benevolentiae officia promto et parato; et mihi, illustria Tua in literas merita colenti et suspicienti, porro, ut soles, favere perge.

Dabam Lugduni Batavorum, Ipsis Idibus Octobribus anni MDCCCXXVIII.

MIS-

MISCELLANEORUM PHOENICIORUM

LIBER PRIMUS.

INTERPRETATIO MONUMENTORUM CUM PUNICIS INSCRIPTIONIBUS, QUAE RECENS IN MUSEUM LUGDUNO-BATAVUM ILLATA SUNT.

---

§. 1.

Inter inscriptiones Punicas, quarum, ob certas et distinctas literarum formas, indubitata prope explicatio est, jure suo illa censeatur, quam, in ipso solo Carthaginis et pagi Malgae vicinia repertam, primus vulgavit et interpretari conatus est Vir Eximius F. Munterus, in dissertatione in Acta Societatis Regiae Danicae inserta et A. 1824 edita, sub titulo: *Om en nylig blandt Ruinerne af Karthago opdaget Punisk Gravskrift;* i. e. *de Punica inscriptione sepulcrali inter ruinas Carthaginis recens detecta.* Ipsum lapidem oculis numquam usurpavit Munterus, quippe Augustissimi Regis nostri sumtibus Tunete coëmtum et Museo Leydensi jam A. 1823 illatum; sed delineationem illius, antequam lapis emtione in nostram potestatem pervenit, confectam, a Danorum apud Tunetanos proxeno acceperat, quam, a Muntero editam, mox in annalibus Heidelbergensibus repetivit Koppius. Haec vero cum parum accurata sit, profecto non miramur, quod integrae inscriptionis interpretatio ipsi minus bene successerit, et nonnulla tantum vocabula bene explicuerit; nec dubitamus, quin si veram monumenti speciem ante oculos habuisset, ad eandem explicationis probabilitatem pervenisset, quam nos, melioribus usi subsidiis, jam consecuti eramus pluribus ante mensibus, quam scriptio Munteriana in lucem ederetur. Quodsi quis roget, quidni statim illud monumentum nostris qualibuscumque curis illustratum cum harum literarum studiosis communicaverimus, hic sciat eam moram non mihi imputandam esse, sed bibliopolae, libelli, vel potius

folii, ipsa sua levitate perituri, editionem improbanti, et rem tantisper differendam esse existimanti, donec aliae inscriptiones accessissent, atque adeo commentatio nostra ad justae dissertationis magnitudinem excrevisset. Hujus igitur consilio imprudentes obtemperavimus, et primae editionis laudem et interpretationis primitias Muntero concessimus. Quod quamvis Viro Celeberrimo et humanissimo minime invidemus, at silentio tamen premendum non est, ne quis scilicet arbitretur me negligentiorem esse in iis monumentis tractandis et edendis, quae Regis optimi jussu ingentique sumtu nobis comparata sunt, quorumque adeo vel expositio, vel editio, meo quidem sensu, non ad exteros pertinet, sed ad nostrates; si qui in eorum numero sint, qui huic generi studiorum nonnihil operae tribuere non recusent. Sed veniamus ad duplicem lapidis interpretationem, Munterianam et nostram, et de dissensus nostri caussis exponamus.

Munterus igitur sic legendum esse censuit et vertendum:

קבר בתב(א) בת חמלות בן־עבד
אשמן בן־אשמניתן בן־בריהרב

i. e.

Sepulcrum Bathbae, filiae Chamlothi, filii Abd-Eschmun, filii Eschmun-jitten, filii Barjahreb.

Nostra autem lectio et versio sic sonat:

קבר בת ב(כי) בת חולכת בן עבר
אשמן בן אשון כתן בן ברך הרב

i. e.

Sepulcrum filiae fletus, filiae infaustae filii Ebed-Asschemon, filii Ischon Kittin, filii Baruchi magni.

Vides in sex prioribus inscriptionis literis nullam esse lectionis discrepantiam, et primum inter nos dissensum reperiri in litera literisve, quae post sextam restituendae sunt. Munterus Aleph supplendum esse existimat et nomen בתבא *filia ventura* exponit. At tum linguae leges בתבאה postularent, nec sensum satis aptum aut hoc habet, aut illud בתבא, quod *filia venientis* sonaret. Sed, ut verum fatear, nulla caussa est, cur potius Aleph, quam alia quaevis litera inseratur, et spatii amplitudo duas, non unam, periisse ostendit. Quas utrum recte suppleverimus alii videant. Nobis vox בכי prae ceteris arrisit, quippe quae bene respondeat

deat sequentibus בת חולכת, sive illud בת בכי nomen proprium sit, sive appellativum. Equidem verosimile censeo, infantis puellae sepulcrum esse, cui paullo postquam nata erat, defunctae, nomen nondum impositum esset, et quam pater, ob immaturum obitum, *filiam fletus*, vel *fletus mei*, *filiam infaustam*, appellarit. Quamvis enim multa exempla ostendant hoc apud Hebraeos obtinuisse ut nascenti statim nomen daretur, idem tamen apud omnes ejusdem stirpis populos non valuit, ut luculento Mohammedis exemplo intelligitur, qui cum septimum a nativitate diem ageret, in solennibus epulis, principumque Koreischitarum conventu, nomen accepit ab avo Abdalmothallebo, ad quem, Abdalla patre defuncto, istius rei cura pertinebat. Ergo minime mirum foret, si Phoenices etiam, quamvis, ut equidem censeo, ad eandem stirpem pertineant, hac in re ab Hebraeis deflexerint. Potest tamen בת בכי, *filia fletus mei*, ut nomen proprium accipi, ad exemplum בן אוני, *filius doloris mei*, quae prima Benjaminis appellatio fuit, a matre moribunda data. Sed in re prorsus incerta conjecturis ulterius indulgere nolo et potius pergo ad vocabula proxime sequentia בת חולכת, quae Munterus בת חמלות pronuntiat, illud חמלות explicans de nomine proprio viri, et exempla nonnulla nominum Hebraicorum in plurali feminino positorum et tamen viris tributorum, afferens. Quae quamvis non omnia huc pertineant, res tamen ipsa indubitata est, nec equidem nomen virile חמלות recusem, modo lectio secundae literae et quartae defendi posset. At is, qui inscriptionem delineavit, ut in imitandis literarum formis universe minus accuratus fuit, ita h. l. rimis lapidis calcarii haud satis politi et vetustate exesi deceptus superne lineolam obliquam addidit de suo, eundemque errorem commisit inferius vs. 2, lit. 9; unde utrobique exorta est vulgaris forma literae Mem pro Waw, quae in exemplo a nobis edito Tab. I. n. 1 plane similis est Koppianae *Bild. und Schrift. der Vorzeit* T. II. p. 216. Nec felicior fuit in exprimenda ejusdem vocis litera quarta, cujus apicem plane omisit, et formam nobis obtulit literae Caph finali Hebraeorum non dissimilem, cum in lapide manifesto conspiciatur linea perpendicularis superius producta. Quem errorem nisi commisisset artifex, facile hic literam Caph, qualis exstat in nummo Arcae Caesareae (Kopp. l. l. T. II. p. 205), agnovisset Clar. Munterus, nec ipsum latuisset hujus literae cum undecima et octava decima versus secundi, convenientia, quas nunc duas Jod esse existimavit, illas haud satis idonea de caussa componens cum figura literae Jod ejusmodi, quae in nummo Musei Caesarei Vindobonensis exstat et in inscriptio-

ptione Citiensi XXIII, inferius in Tab. IV edita, reperitur. Quantum vero vel solius sensus ratione habita, litera Caph literae Jod praestet, tum distinctius apparebit, cum explicatio nostra ad eum locum progressa erit. Nunc revertamur ad חולכת, quod quin recte a nobis legatur, pauci, ut puto, dubitabunt, aut nulli. Hoc igitur participium est verbi חלך, in Hebraea dialecto paene desiderati. Nam in solo Psalmo X illius derivata exstant חֵלְכָה vel חֶלְכָה, vs 8 et 14, et חֵלְכָאִים, vs. 10. Quibus de vocibus variae inter viros doctos sententiae sunt, quas recensuit ad h. l. Rosenmullerus. Masorethae, cum in linguae Hebraicae reliquiis nullam radicem חלך reperirent, חֵלְכָה compositum esse existimaverunt ex חֵיל defective scripto, et affixo 2 p. cum He paragogica, et חֵל כָּאִים divisim scribi voluerunt quasi designarentur *copiae timidorum* vel *humilium*. At praestantissimi quique e recentioribus, in his A. Schultensius in *animadvers. philologicis* p. 182, J. G. Schroederus in *Commentario ad Psalmum* X. p. 178—189, alii, recte contulerunt Arabicum حلك *niger fuit*, et a notione *nigredinis* derivarunt secundariam *pauperiei*, *infelicitatis*, *calamitatis*, et istius Psalmi locis aptam, et expressam a veteribus, nunc vero nostrae inscriptionis subsidio egregie confirmatam. At quamvis de radice Arabica comparanda inter se consenserant, nihilominus de forma vocum subdubitatum est. Nam alii hic formam פֵּיעַל quaesiverunt, ut Schroederus, nonnulli He paragogicam, ut Schultensius, quorum neuter tamen formae pluralis חֵלְכָאִים satis magnam rationem habuit. Haec ipsa vero inter alios Gesenium commovit, ut חֵלְכָה, pro חֵלְכָא, quadriliteram formam esse existimaret, litera He vel Aleph ad finem adjecta, ut Jod verbis addi solet Syriacis. Idem vocalem brevem in prima syllaba substituendam esse putavit τῷ Tseri, quod proprie ad Kri referendum sit. Ego vero neutri sententiae praestantissimi viri adstipulari possum. Cum enim, quantum equidem novi, nullum aliud exemplum verbi quadriliteri Hebraici, adjuncta litera Aleph ex trilitero orti, proferri possit, cumque nostra inscriptio ostendat verbum חלך in lingua etiam Punica, Hebraicae prae reliquis affini, illam infelicitatis notionem habuisse quam Psalmi loca requirunt, equidem vix agnosco, cur ad verbum quadriliterum confugiamus. Nam חֵלְבָה est a חֵלֶךְ cum He paragogica, ut קֵדְמָה a קֶדֶם, ut ne vocalis quidem mutatione opus sit; חלכאים mea opinione vitiosum est. Vera lectio esse videtur הֲלֵכִים, quam Judaeorum magistri, ignorantes radicem חלך, accommodare conati sunt ad suam de voce חֵלְכָה opinionem. Ergo primum

in

in margine emendatum הלכאים, divisim pronuntiandum הל כאים, sed una serie scriptum, cum vocum in Codicibus separatio ea tempestate nondum existeret. Hoc deinceps in textum translatum in sua Codicis Hebraei recensione adoptarunt Masorethae. Utut est, luculentissimo sane exemplo edocemur horum monumentorum studium, unde inexspectata lux vocabulis Hebraicis subinde affulgeat, etiam Veteris Testamenti interpreti minime negligendam esse.

Haec igitur sufficiant de הולכת. Jam procedamus ad vocabula proxime sequentia בן עבד אשמן, in quarum consonantium scriptione mihi cum Muntero convenit, non item in lectione et interpretatione. Nam primum *Ebed Aschmun* vel *Asschemon* et illi et mihi nomen avi est puellae, at ego praeterea *Ben Ebed Asschemon* patris appellationem esse arbitror, qui proprio nomine suppresso a genitore suo cognominatur, more apud Arabes admodum frequenti, quibus longe solemnius est aliquem ejusmodi nomine insignire, quam proprio. Ergo ex nostra inscriptione discimus eundem morem apud Carthaginienses valuisse. Pluribus vero de voce אשמן disputandum est, in qua explicanda Muntero assentiri non possum, qui in egregio suo libello de religione Carthaginensium p. 91 sqq. illud nomen referens ad Cabirum octavum, quem Phoenices teste Damascio apud Photium Cod. CCXLII. p. 573. ed. Hoesch. Ἔσμουνος appellant, haud satis distinxit nostrum אשמן, quod ipsi jam tum ex compluribus inscriptionibus Citiensibus innotuerat, ab השמוני, (vel, ut Bochartus linguae Hebraicae legibus convenienter, in *Canaän* jam scripserat Lib. I. c XII. p. 394. et l. II. c. II. p. 711. השמיני) quasi utrumque *octavum* designare posset, quod de solo השמיני verum est. Hoc in voce Ἔσμουνος jam olim nonnullos quaesivisse ipse Damascius auctor est, referens Ἔσμουνον ὑπὸ Φοινίκων ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ θέρμῃ τῆς ζωῆς· οἱ δὲ τὸν Ἔσμουνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν, ὅτι ὄγδοος ἦν τῷ Σαδύκῳ παῖς. Posteriorem etymologiam confirmat etiam Sanchoniathon, vel ejus interpres Philo Byblius apud Eusebium in *Praeparat. Euangel.* L. I. p. 39. BC. coll. p. 37. D. et p. 36. A. ubi ita de Cabiris et Aesculapio loquitur, ut hunc postea demum septem fratribus accessisse appareat ex Titanide quadam a Sadyco genitum, unde κατ' ἐξοχὴν appellatus sit *octavus*, ut colligas ex verbis οἱ ἑπτὰ Συδὺκ παῖδες Κάβειροι, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς, ubi procul dubio Ἀσκληπιὸς debetur interpreti, non auctori, qui tantum שמיני vel השמיני scripserat. Ergo equidem vix dubito quin haec vera nominis origo sit. Melius fecisset Damascius si Ἔσμινος extulisset, et Jod numeri ordinalis insigne expressisset, quod bene servatum est in Ἰσμήνιος, Apollinis Thebani, ab Esmuno, secundum Munterum l. l. p. 92 et Creuzerum *Symb. und Mythol.* T. II. p. 159, non di-

 ver-

versi, cognomine. Eadem quoque etymologia placuerat Jablonskio in *Pantheo Aegyptio* P. I. Lib. II. c. 7 p. 300, ubi Esmunum, sive השמיני, haud diversum esse existimat a ϣⲙⲟⲩⲛ Aegyptio, i. e. Pane, vel Hermete; hunc enim ita appellari, quod magnorum Deorum octavus esset. Quem errorem merito reprehendit Champollionius in libro inscripto *l'Egypte sous les Pharaons* T. I. p. 260 sq. et p. 291 sq. Adde T. II. p. 128. Etenim ϣⲙⲟⲩⲛ non est *octavus* (quod ⲙⲁϩ vel ⲙⲙⲁϩ ϣⲙⲟⲩⲛ efferretur) sed *octo*. Ergo facile assentimur Champollionio aliud nominum divinorum ϣⲙⲏⲛ et ϣⲙⲟⲩⲛ etymon quaerenti, non item illa a verbo ϧⲙⲏⲙ vel ϧⲙⲟⲙ, *incalescere*, derivare tentanti, et hujus opinionis firmamentum aliquod quaerenti in verbis Damascii, quibus Esmunum ita dictum fuisse testatur ἐπὶ τῇ θέρμῃ τῆς ζωῆς. Hic enim scriptor, cujus, ut in Syria nati, maxima hac in re auctoritas censenda est, addit illud nomen Deo impositum eam ob caussam a Phoenicibus, non ab Aegyptiis: quodsi illa vox Aegyptia foret, Champollionii sententiam funditus everteret, utpote qui nomen ϧⲙⲏⲙ, vel ϧⲙⲟⲩⲛ, verum et vetustum esse arbitratur, ϣⲙⲟⲩⲛ, vel ϣⲙⲏⲛ, postea elementorum confusione et scribentium errore exortum; cum Phoenicium Esmun, si revera ab Aegyptio *Schmoun* non differret, hujus scripturae integritatem et antiquitatem quam maxime commendaturum esset. Quodsi inquiramus, quid illi spectaverint, qui nomine *Esmuni* significari putabant τὴν θέρμην τῆς ζωῆς, haud difficulter agnoscemus illis scriptionem אשמני, non השמני, ante oculos fuisse. Nam videntur illi, una voce in duas divisa, pronuntiasse אש מני (respicientes ad illud Phoenicum numen, quod Hebraei מני vocant, Philo Byblius Graece εἱμαρμένην transtulit, Urani filiam) et quod proprie erat τὸ πῦρ, vel τὸ θερμὸν, τῆς μοίρας, paullo liberius ἡ θέρμη τῆς ζωῆς extulisse. Quorum opinio, etsi adeo absurda sit, ut refutatione non indigeat, at nobis tamen offert exemplum Aleph articuli apud Phoenices interdum usurpati, ut pluribus a nobis probatum est in nostra *de monumentis Punicis Diatribe* p. 46 coll. p. 67. Aliud ejusdem usus vestigium videmus in ea inscriptionis nostrae voce, quae huic disputationi opportunitatem dedit, quamque אשמן, vel אשמן scribendam, et ab אשמיני, vel השמיני, bene distinguendam esse ab initio monuimus. Si recte conjicio, composita est ex articulo et שמן, alias שמנה, et designantur οἱ ὄκτω, nempe θεὶ μεγάλα καὶ Κάβειροι, quorum servum et cultorem voces עבד אשמן ostendunt, non Aesculapii, qui extremum in eorum consessu locum occupabat. Hoc nomen אשמן viris etiam tributum fuisse docent Inscriptiones Citienses, a Muntero laudatae, ejusque femininum אשמנה latere vi-

videtur in Boeotico Ἰτωνίη. Quae Deorum appellationes ad mortales traductae, me tamen male habent, cum admodum rara sit illa consuetudo; at opportune succurrunt Hamilcaris nomen et Melicertae, Cadmi, ut ferunt, ex filia Ino nepotis, qui ambo ipsum nomen gerebant Melcarthis, sive Herculis πολιούχου Tyriorum. De Hamilcare hoc ipsi demonstravimus in *Diatribe laud.* p. 47, de Melicerta dudum docuerunt alii.

Proximum in tabella genealogica nomen est illud quod a Muntero אשמניתן, a me אשון כתן legitur. Et de caussis quidem tanti in lectione discriminis, jam superius expositum est; nunc de sententia videamus, quae prima fronte longe facilior et probabilior esse videtur ex Munteri ratione quam ex mea, quia nihil frequentius est in Hebraicis etiam nominibus pp., quam tituli divini cum verbis dandi et largiendi conjunctio. Sic habemus אלנתן, יהוזכר, יהונדב, יהונתן, אלזכר, alia; sed cum universe rarius in ejusmodi compositionibus *futurum* reperitur, tum rarissime in dandi verbis. Cujus rei caussa in promtu est. Etenim haec nomina pueris imposita sunt, postquam voti damnati essent parentes et Deus illos eorum precibus concessisset. Ergo necessario in praeterito efferebantur: *Deus donavit*, *largitus est etc.* non in futuro, ut אשמניתן, *Eschmun dabit.* Quodsi quis hic futurum ferri posse judicet: (nixus Inscript. IV. Citiensi, in qua מלכיתן ipsi legimus, ut infra apparebit) nihilo secius haerebit: nam ex illis, quae paullo ante disputavimus, liquet, verbum plurale יתנו requiri, cum אשמן sit *octo*, nisi forte malit pronuntiare אשמניתן, duplicata litera Jod, pro אשמני יתן, quod, literarum formae si addicerent, non plane repudiarem. Sed characterum Punicorum ductus lectionem difficiliorem a nobis propositam omnino tuetur. Equidem verba illa אשון כתן *pupillam Citiensium* interpretor, sive *Cypriorum*, et huic viro illud nomen non proprium fuisse, sed honoris caussa tributum esse conjicio, quia forte ob beneficia in rempublicam collata, Cypriis carus et in deliciis esset: quod profecto non mirabimur, si cogitemus quanta necessitudo Carthaginem inter et Cyprum intercesserit, hinc profectam Didonem in Africam appulisse, hinc sacra attulisse et sacerdotem, qui locum novae urbi condendae designaverit (Cf. *Diatrib. nostr. de monum. Punicis* p 31 sq) Porro quodcumque carissimum et jucundissimum est magnique pretii non minus libenter cum pupilla oculi comparant Orientales, quam nostrates, aliique recentioris Europae populi. Sic apud Hebraeos Deuteron. c. XXXII. vs. 10 legimus יצרנהו כאישון עינו, *custodit eum instar pupillae oculi sui;* in Psalmo XVII. vs. 8. שמרני

שמרני כאישון בת עין, *custodi me instar pupillae, filiae oculi*, et in Proverb. c. VII. vs. 2. *custodi praecepta mea* — ותורתי כאישון עיניך, *et legem meam instar pupillae oculorum tuorum.* Non obsistam tamen, si quis vocibus אשון כתן *Cypriorum principem* tropice significari putet, cui explicationi favere videtur locus epistolae Mohammedis Mesiri Scheichi Alexandriae ad Napoleonem Bonapartium apud Sacyum *Chr. Arabe* T. III. p. 521 (p. 373 *ed. sec.*) ubi is appellatur صاري عسكر الجمهور الفرنساوية وانسان عينهم فعليه مدار القضية, *dux exercitus Reipublicae Francicae, et pupilla oculi eorum, circa quem fatum vertitur.* Utram ex his conjecturis praeferas parum refert, at hoc majoris momenti est, idem apud Poenos obtinuisse videri, quod medio aevo apud Arabes, ut honoris titulus verum nomen prorsus obliteraret et illius loco usurparetur. Neque illud omittendum scriptionem defectivam אשון, quae vulgo in editis Bibliis Hebraicis nusquam exstat, plurimorum consensu Codicum et rariorum librorum excusorum confirmari. Nam in loco Deuteronomii Biblia Soncini, in Psalmo XVII eadem cum tribus aliis vetustis editionibus et duobus Codicibus, in Proverb. c. VII. vs. 2 unus Codex MS. cum edit. veteri et ibid. c. XX. vs 20. Codices 23 et duae editiones certatim offerunt אשון, quam scripturam quoque tuetur vox איש (cujus diminutivum est אישון) bis sine Jod exarata, II Sam. c. XIV. vs 19. et Micha c. VI. vs. 10. Explicandum restat vocabulum כִּתֵּן, sola defectiva scriptione et terminatione Aramaea differens ab Hebraeo כִּתִּים, quod licet subinde latissime pateat, primario tamen usu de Cypro dici et de Cypri urbe Citio recte Josephus *Antiq. Jud.* Lib. I. c. 7. §. 1. affirmavit. Cf. auctt. laudd. a Gesenio, cum in Comment. in Jes. c. XXIII. vs. 1. p. 721 sqq., tum in Lexx. ad voc. כִּתִּים. Josephi testimonium luculenter confirmat Inscriptio bilinguis Athenis reperta et explicata ab Akerbladio, ubi verba Phoenicia, בן הדש הכתי respondent Graecis ΝΟΥΜΗΝΙΟΣ ΚΙΤΙΕΥΣ. Vid. *Lettre sur une inscription Phénicienne trouvée à Athènes; par M. Akerblad*, Rome 1817, recusa in *Annal. Encyclopéd.* T. II. p. 193. Vid. *Journ. des Sav.* Juillet 1817. p. 413 sqq.

Restat ut videamus de extremo nomine, quod Munterus extulit בַּר יְהֹרֵב, nos בָּרֻךְ הֹרֵב. Discriminis caussa sita est in litera Caph, cui potestatem suam jam superius vindicavimus, nec Munterianam rationem hic, uti antea in אשמן יתן, aliqua lectionis probabilitas tuetur. Nam nomen יְהֹרֵב nusquam occurrit, nec componi potest cum יָרֵב, uti a Viro Illustr. factum est, cum nulla caussa afferri possit insertae literae He. Contra nomen בָּרֻךְ, *benedictus*, trium virorum in V. T. nomen

est,

est, nempe scribae Jeremiae, filii Saccai, Nehem. c. III. v. 20, c. X. v. 7 et filii Colchosae, ibid. c. XI. v. 5. Eodemque pertinet Βαρειχειν, i. e. Βαριχιν, a nominativo Βαριχις ([illegible]), quod viri nomen est in Inscriptione Graeca, quae inter Palmyrenas Bernardi et Smithii quarta est. Apud Hebraeos tamen plene scribitur hoc nomen, hic defective, pro aliorum participiorum passivorum more, Waw subinde omittentium. Hoc omnino memorabile, quod הרב adjicitur, sive substantivum *dux*, vel *princeps*, sive adjectivum *magnus*. Posterius praefero, ut cognomen sit, quo ab aliis ejusdem nominis Baruchus iste distingueretur. Cum enim, quantum ex veteris Carthaginiensium historiae reliquiis intelligitur, nomina gentilia et totis familiis communia non magis Poeni haberent, quam Hebraei, nec magna esset nominum propriorum varietas (quot enim Hannones habemus, vel Magones, Hamilcares, Asdrubales, Hannibales aliosque?) necessario cognomina inventa esse non magis ratio docet, quam historia confirmat. Sic, ut pauca e pluribus exemplis memorem, apud Appianum in *Punicis* c. 34 et 49 memorantur Ἄννων ὁ μέγας et Ἀσδρούβας ὁ ἔριφος, item c. 68, Ἀννίβας ὁ ψὰρ et Ἀμίλχαρ ᾧ Σαυνίτης ἐπώνυμον ἦν et c. 108, Ἄννων ᾧ λεῦκος ἦν ἐπίκλησις, quibus accedit ex Inscriptione Citiensi XII רב...: עבד מן, *Ebed-Meni*, vel *Men*, *magnus*, quo loco utrum עבר מני רב legendum sit (vide quae superius de מני a nobis observata sunt) an potius עבר מן הרב, equidem, propter dubiam et male expressam formam antepenultimae literae, definire non ausim. Quamvis comparatio inscriptionis XIV, ubi בן עבר מן manifesto legitur, posteriori sententiae magis favet quam priori. Sed haec, utpote negligenter a Pocockio descripta, in medio relinquenda sunt. Nostram vero inscriptionem tam literarum perspicuitate quam explicationis facilitate et probabilitate plerisque hujus generis monumentis ita praestare arbitramur, ut inter aequos et peritos harum rerum judices aut pauci aut nulli futuri sint, qui de sententia verborum dubitent. Unum est, de quo mihi non magis constet, quam Muntero: de figura semilunari loquor, quae literae Koph superscripta est. Equidem illam inter signa diacritica, sive orthographica, referendam esse conjicio, quorum vivente lingua aliquis in pronuntiatione regenda usus esse poterat: sed quae ad sententiam explicandam nihil conferunt.

Lapidi Munteriano in eadem tabula prima secundo loco alius inscriptionis Punicae fragmentum adjunximus, sed adeo mutilatum et corruptum, ut integram verborum sententiam eruere non possimus. Quod profecto maximopere dolen-

 dum

dolendum est: literarum enim superstitum universe magna est integritas et certa forma, ut dubium non sit, quin inscriptionis sensum, si tota ad nos pervenisset, facile intelligeremus. Singularis vero species est unius elementi ultimi versus initium occupantis, quod non dicam in monumentis Phoeniciis, nobis quidem cognitis, sed ne in reliquis quidem alphabetis Semiticis exstat, solo Zabico excepto, ubi figura est literae Tet, nostrae adeo similis, ut ne minimum quidem discrimen intercedat. Cf. inter alios Kopp *Bild. u. Schr. d. V.*, T. II. p. 335 et 385. Quodsi istam huic literae potestatem in nostra inscriptione tribuamus, lectio inde oritur admodum probabilis: טֹב עַל חֵן, *bonum propter favorem*, vel *gratiam*. Quae verba clausula esse videntur formulae, lapidem istum grati animi caussa positum esse significantis, propter accepta a Deo beneficia. Ergo haec in accusativo accipiantur adverbii vices tenente, et Belgice reddantur: *als iets goeds*, *als eene goede gave voor eene weldaad*. Fieri tamen potest, ut cum praecedentibus construenda sint, in quibus vestigia sunt vocis כְּנֹעַם, *secundum gratiam*, vel *ut gratia*. Nam Caph, Nun et Mem adhuc perfecte servatae sunt, et semicirculus literae Caph et Mem interjectus indicium literae Ain prae se ferre videtur. Spatium vero post Mem vacuum postulat, ut ibi olim literam fuisse censeamus, cujus nunc deletae adhuc ductus aliquis apparet. Quod nisi proximum טב in praecedente voce masculinum genus requireret, existimare posses Aleph vel He supplendum, et כנעמא, vel כנעמה, legendum esse. Ut nunc est, vel Waw, vel Jod affixum addendum conjicio, prouti is, qui lapidem dedicavit, vel in tertia persona de se ipso locutus sit, vel in prima, quod nemo in inscriptione tantum detrimenti passa certo definierit. E reliquis enim disjectis literarum membris hoc unum efficio, ab initio primi versus בעל lectum fuisse videri. Haec igitur cum nullam lucem afferant, extrema pars inscriptionis sic sonabit טֹב עַל חֵן (vel כְּנֹעֲמִי) כְּנֹעֲמוֹ, *secundum gratiam bonam ejus*, vel *meam*, *favoris caussa habitam*. Neque vero hoc omittendum est utramque interpretationem ex Phoeniciorum monumentorum comparatione posse defendi: e quibus pleraque tertia quidem persona utuntur, ut Melitensis I, cujus initium esse videtur: *Hero nostro Melkartho, domino Tyri. Pro se quisque voverunt Ebed-Osir et frater meus Osir-schamar*, vel *Osir-schamer etc.*, item Melitenses aliae, infra a nobis edendae et explicandae; at una tamen Citiensis II, sive Oxoniensis, primam habet, incipiens a verbis: *Ego Ebed-Osir filius Ebed-Susim*. Sed hanc ceterasque in hunc lapidem conjecturas quisque ex suo sensu accipiat. Nos vel hoc solo nomine illas mutilas

las vetustissimorum temporum reliquias, ex ipso Carthaginis solo effossas, maximi momenti esse censemus, quod nobis literam offerant in solo alphabeto Zabico servatam, et luculentissimo testimonio ostendant, quantis tenebris adhuc involuta sit alphabetorum Orientalium historia et mutationis formarum in singulis literis progressio, et quo pretio eorum hominum arrogantia aestimanda sit, qui ex paucorum monumentorum, quae quidem certa et indubitata ratione lecta et exposita sunt, auctoritate, leges Palaeographiae Phoeniciae condere non vereantur.

Restat, ut paucis verbis agamus de fragmento inscriptionis, quod numero tertio in eadem tabula nostra insignivimus, Humbertii opera ex Carthaginis ruderibus eruto, sed dum inter varia antiquitatis monumenta ex Africa in patriam nostram transfertur, amisso. Quatnor literae יכחת, quae adhuc servatae sunt, nihil continent, unde inscriptionis rationem et consilium assequaris, sed formam habent certam et vulgo in monumentis Punicis obviâ scripturâ perfectiorem. Imprimis literam Jod, quae in lapidibus, in Carthaginis solo repertis, nondum a nobis lecta est, memoria dignam censemus. Forma illi similis est, quae semel in inscriptione Borgiana legitur vs. 5.' lit. 5. sed admodum ab illis differt, quas Munterus in lapide Carthaginiensi primum a se edito vs. 2. l. 11 et 18. Jod esse putavit, nos Caph efferendas esss censuimus.

§. 2.

Monumentum admodum insigne, cui in tabula nostra secunda lithograpta primum locum assignavimus, anno vertente 1823, in provincia Zeugitana repertum est, in vicinia vel Bedjae urbis (i. e. uti postea apparebit, Vagae veterum) vel Keffi, quam Siccam Veneream olim appellavere. Nam de loco non satis constat, cum istae vetustatis reliquiae non ab ipso repertae sint Humbertio, sed apud Tunetanos agenti vaenum oblatae. Inferior pars lapidis, sive basis, quamvis non integra sit, non multum tamen detrimenti passa esse videtur; at e superiore magna pars temporis injuria ablata est, et nisi plura perierint, figurae certe, ut videtur, femineae, soli pedes et inferior pars vestimenti supersunt. Sed forte etiam alia adfuere, in his inscriptio nomen Dei indicans, cui lapis positus erat, vel si mavis, imago symbolumve Numinis, quae verborum defectum supplerent. Haec enim nullam illius rei mentionem faciunt, quam tamen merito requiras; cum lapis sit votivus, Deo cuidam Deaeve, fecunditatis armentorum et fertilitatis agrorum largis fontibus irrigandorum caussa, dicatus. Ex quo etiam intelligitur, quamobrem figu-

ra bovis saxo insculpta sit. Illarum enim rerum imagines, quas a Deo flagitabant, vel voto facto consecuti erant, hujusmodi monumentis insculpere solebant, ut ex quarto lapide Humbertiano et Dresdano, infra pluribus describendo et explicando, efficimus. Quid vero de triquetra dicendum est? Cernitur illud signum, de cujus natura hucusque nihil certi comperimus, frequentissimo in Siciliae nummis, cum autonomis, tum denariis Marcelli et Lentuli: saepius crura alata sunt, vel illis mediis intertextae sunt spicae ad designandam insulae ubertatem, et nonnumquam in medio triquetrae Medusae caput alatum exstat, quae postrema forma parum differt ab ea, quae in nostro monumento conspicitur. Quamvis autem triquetra in Siciliae nummis frequentissima est, at impressa cernitur etiam monetae Veliae et Metaponti Lucaniae et Suessae Campaniae, quin, quod magis mirandum, Aspendi Pamphiliae, Selgarum Pisidiae, principum Olbensium Ciliciae, et aliarum urbium ejusdem tractus, quibus nihil umquam cum Sicilia fuit commercii. Cf. Eckhel *Doctr. numm. veterum.* T. I. p. 184, et de Aspendi et Ajacis sacerdotis Olbae Ciliciae nummis Mionnet *Recueil de Méd.* T. III. p. 446. sq. n. 4—6. et p. 598. n. 276. sq. De Aspendiorum nummis vide etiam Pellerin *Rec. de Méd.* T. II. p. 145 sqq. et pl. LXX. n. 6—8. Sed candem figuram in monumentis etiam Africanis aliquando repertam esse, nusquam a Viris doctis notatum reperio.

Haec de sculptura lapidis, quam alii, si possint, melius et uberius explicent, quod equidem facile patiar, meo interpretandae inscriptionis officio contentus, quod nulla interposita mora statim perficere aggrediar. Verba Punica quatuor versibus continentur, e quibus postremus reliquis brevior et singulari prorsus ratione scriptus est. Cum enim lapidis superficies inaequalior esset et eo praesertim in loco, unde quarti versus initium ducendum erat, literis recipiendis ineptior, sculptor necessitate coactus est, ut a medio versu incipiens, quod reliquum erat spatii a dextro plane omitteret. Quisquis accurate lapidem inspexerit, nobis libenter concedet, nullum literarum eo spatio vestigium esse, nec superficiei ratione habita, ullas ibi existere potuisse; quapropter nullo modo veremur ne quis oculatus rerum testis nobis adversetur, versum tertium cum quarto nullo intervallo conjungendum, totamque adeo inscriptionem sic legendam vertendamque esse existimantibus:

לרתוצוע פר ורתוך ע-
-נת עק רתוכה תת-
-הצעף פרת דהק (דחט?) ת-
-כשו שפע

Pro-

Propter partum (vel *fecunditatem*) *armentorum et purgationem fontium obstructorum*, *votum* (vel *sacrificium*) *duplicabitur. Vaccae debitae* (vel *sorte lectae*) *mactabuntur largiter.*

Literarum hujus inscriptionis adeo rudis et imperfecta forma est, ut nonnullarum interpretationem sine ullo fructu tentassemus, nisi subinde nobis auxilio fuisset inscriptionis Borgianae, ante hoc quinquennium a nobis lectae et editae, item alius Zeugitanae, mox tertia paragrapho a nobis explicandae, comparatio. Nam in multis, prouti exspectari poterat de monumentis, in una eademque provincia repertis, eadem scribendi ratio est, ut jam in primo statim vocabulo agnoscitur, ubi de reliquis literis nemo dubitabit, at sola prima et tertia moram nobis objiciunt, illorum quae citavimus monumentorum ope tollendam. Primum characterem Lamed pronuntiandum esse tertius inscriptionis Zeugitanae II inferius edendae versus ostendit, in quo ter repetita est eadem fere figura, de cujus vera potestate accurate et diligenter ad eum locum disputaturi sumus. Sequitur litera Tau, quae quamvis non satis sibimet ipsa constet (cum alia illius forma sit ab initio vocabulorum הכשו, תתהצעף, תוכה et תוצוע, et a fine vocis פרת, alia in reliquis locis, ubi in mediis vocibus bis, in fine semel ponitur) at certum tamen hujus literae indicium servat, in decussatis lineis positum. Nec literae Wau et Ain difficulter agnoscuntur. Restat litera Tsade, quae nos fortasse effugisset, nisi nobis jam oblata fuisset in inscriptione Borgiana ab initio, in voce צבת mutilata pro מצבת et vs. 3. in מצב. Extremae voci לתוצוע incumbit linea leniter incurva, quae me judice non literis accensenda est, sed signis orthographicis, et fortasse nonnumquam usurpata fuit ad voces una serie scriptas a se invicem segregandas. Repetitur enim inferius vs. 2, ubi pariter vocem עק a sq. תוכה disterminare videtur. Etsi hoc admodum conjecturale esse fatemur, cum similis figura appareat in nummis Jubae Regis apud Pellerinum *Rec. de Méd.* T. III. pl. CXX. n. 1. 2. 3; item in vs. 3. inscriptionis Leptitanae II, quae in Museo Britannico asservatur. Vocabulum לתוצוע haud majorem explicationis difficultatem nobis habere videtur, quam lectionis. Reddidimus *propter partum*, sive *fecunditatem*, existimantes תוצוע, sive תוצוע esse nomen formae תפקוד, quae, uti monuit Gesenius *Lehrgeb.* p. 498. n. 28, componenda est cum infinitivo Conj. II. Arabicae; vel potius, ut equidem censeo, speciem Tiphel, vel Taphel, (תפקר) spectat, apud Hebraeos et Arabes raram, apud Syros et Chaldaeos frequentiorem, et transitiva sua potestate partim cum Pihhel conve-

nientem, ut inter alia ex comparatione Hebraici לְמַד cum Chaldaico et Syriaco תַּלְמִיד et ܬܠܡܝܕ constat, partim cum Ethpehel Aramaeorum, sive اِنْتَعَلَ Arabum, ut ex comparatione formae تَبَرَّكَ, *substitit in loco*, cum اِبْتَرَكَ, *genubus flexis procubuit camelus*, i. e. *quievit et moratus est*, intelligitur. Quapropter minime mirum est istum infinitivum nominis actionis Pihhelici et Hitpahhelici locum et jura invasisse, modo repetamus rei originem a linguae Semiticae conditione antiquissima et nobis haud satis nota, in qua usus illius speciei Tiphel latissime patuerit, formis Pihhel et Hithpahhel nondum creatis. Quippe verosimile est rudibus istis hominibus facilius visum esse novas condere species, praepositis consonantium sonis, quam interiore vocis radicalis forma vocalibusque mutatis, quamobrem illas vetustiores esse conjugationes, has juniores arbitror. Jam si in rei originem penitus inquiramus, antiquae illius speciei Taphil, vel Tiphel, gemina significatio a duplici derivatione orta est. Nam vel ad normam τῶ Aphel et Schaphel et Hiphil formarunt, alia litera simili praeposita, Taphel et Tiphel species transitivas, vel תַּפְעַל, تَفَعَّلَ, scriptum est pro sp. אִתְפַּעַל, اِتْفَعَّلَ, vel اِنْتَعَلَ, plane uti تَفَعَّلَ scribitur pro הִתְפַּעַל, vel אִתְפַּעַל. Hinc perspicitur cur Infinit. תַּפְקוּד et similes apud Hebraeos, nunc potestatem speciei Pihhel, cum Hiphil in multis conspirantis, vel Hithpahhel, exprimant, nunc ad notionem τῆς Kal, quae saepius τῆς Hithpahhel synonyma est (Gesen. *Lehrgeb.* p. 248) referendae sint. Ergo illud תּוֹצִיעַ haberi poterit pro nomine actionis a verbo יצע vel וצע, quod apud Arabes in وضع habet notionem *onus ventris deponendi*, *pariendi*, unde haud dubitanter nostrum הוציע *partum* reddi, vel, si mavis, passive de ipsis pullis partu editis accipi posse censemus. — In proximo vocabulo פַּר nulla difficultas est, cum litera Phe plane sit eadem atque illa, quae in voce פְּמַע inscriptionis Borgianae primo vs. reperitur. Sequens litera Resch, plane ut in eodem monumento et aliis nonnullis conspicitur, caput, sive apicem, apertum habet, nisi forte injuria temporis aliqua pars lineae perierit; cum alias apices literarum Beth, Daleth, Ain et Resch, in hac quidem inscriptione, ubique clausi sint. Pergamus ad וְתַזֵּךְ, *et purgationem*, quod mihi ejusdem naturae esse videtur, ac superius illud תּוֹצִיעַ, et derivandum a זכך, *purum esse*, in Hiphil *purgare*, ut sit pro תִּזְכֵּךְ, ad normam τῶ תְּמַס, *interitus*, a מסס et תְּבַל, *pollutio*, a בלל, vel repetendum a זכה, *purum esse*, in Pihhel *purgare*, ut

ut sit pro תּוֹכָה, ad normam τοῦ תַּעַר, *novacula*. Sola litera tertia vocis dubia est, nec certo definire ausim utrum sit Zain an Tsade. Prius elementum ex paucis tantum exemplis nobis cognitum, lineae fere perpendicularis formam habet in inscriptione Carpentoractensi, ne de Citiensi decima, ubi eam quaesivit Koppius, mentionem faciam, nec de Palmyrena scriptura. Quin etiam in alphabeto Sasanidico caudam habet paullulum in sinistram deflexam, qualis in ea litera, quam tractamus, cernitur. Nihilominus tanta inter hanc literam et eam, quam superius in voce תוצוע et inferius in תתהצעף de Tsade explicamus, affinitas formae intercedit, ut complures futuri sint, qui hic Tsade, non Zain, pronuntiandum esse arbitrentur; quibus equidem non magnopere adversabor, mecum reputans, complura verba nunc per Zain efferri, sine ulla significationis diversitate, nunc per Tsade, ut זעק et צעק, item زعق et صعق, *clamavit*, עלז et עלץ, *exultavit* et alia: quapropter nihil obstat quominus etiam תֵּצֵךְ et תֵּזֵךְ exstiterit, eadem *purgationis* potestate, quam, quomodocumque vocem pronuntiandam censeas, retinebimus, proximo עֵנֹת עָק, *fontes obstructionis*, aptissimam.

Ad haec igitur, quae postremo nominavimus, vocabula explicatio nostra progrediatur. In literarum lectione nulla difficultas est, sola Nun excepta, quae tamen licet in aliis monumentis nondum reperta sit, potestatem habet minime in dubium revocandam. Est enim, ut quivis agnoscit, ea specie, qua conversa, forma literae N Graecae Latinaeve nata est. Quin quod majoris etiam est momenti, et hujus figurae vim maximopere confirmat, in Inscriptione Melitensi inferius exponenda, ipsa illa inversa litera Nun, quae ex Phoenicia veteri in linguas occidentales migravit, manifesto exstat, extremo vs. secundi loco. Jam vox עֵנֹת, *fontes*, plane Hebraica est, defective scripta pro עֵינוֹת in statu constr. ab עֲיָנוֹת a sing. עַיִן. Hoc עֵנֹת regit igitur sq. genitivum עָק, cujus posterior litera tanto intervallo et a praecedente separata est et a sequente, ut facile quis unam duasve literas hic excidisse existimet: at lapidis inspectio docet, hanc inaequalitatem imperito artifici imputandam esse. Hoc igitur עָק, vel, si mavis, עֹק, ut equidem puto, nomen subst. est, *coarctatio*, *obstructio*, a verbo Aramaeo עוק, quod solenni literarum Ain et Tsade permutatione idem est ac Hebr. צוק, Arab. ضاق, *in angustias redactus est*, quod proprie dici de aquis, quorum fluxus cursusque inhibetur, classicus Jobi locus demonstrat c. XXXVII. vs. 10. ורחב מים במוצק, *amplitudo aquae in angustias red-*

redigitur, nempe gelu inhibita. Quapropter dubium non est, quin verba עֵנֹת עֵק significare possint *fontes obstructionis*, i. e. *fontes obstructos*, *nullam amplius aquam effundentes*, secundum eam linguarum vetustissimarum proprietatem, in Hebraico sermone imprimis conspicuam, qua substantivum adjectivi participiive loco alii nomini in statu constructo posito adjungi solet. Res nota est. Exemplum vero ejusdem plane naturae inter alia loca nobis offert Jes. c. XXIV. vs. 10. Nam quemadmodum *fontes obstructionis* hic *fontes obstructos* notant, sic ibi קִרְיַת תֹהוּ, *urbs vastationis*, pro *urbe vastata* ponitur. Ipsae vero preces tales sunt, quales imprimis exspectari debent ab illius regionis incolis, ubi monumentum repertum est. Illis enim in media Africa viventibus et ab amne Bagrada, sive Medjerda, qui illos tractus alluit, remotioribus, aquae fluvialis copia nulla est. Solo fontium utuntur beneficio, nec multorum, ut in arenoso solo, nec abundantium, atque adeo per pluviae infrequentiam, saepe deficientium.

Jam convertamus oculos ad vocabula duo, quae proxime leguntur: הוּבָה הִתְהַצֵּעָף. Et de ipsa quidem forma literarum vix opus est ut diu disputemus: cum litera Phe eadem fere sit, quam offert etiam inscriptio Borgiana vs. 4. l. 3, litera autem He duas quidem formas habeat admodum discrepantes, at aliarum inscriptionum consensu ita confirmatas, ut de neutra dubitari possit. Prior enim, cujus lineae perpendiculari duo ductus transversi adjuncti sunt, alter manifestus, alter obscurior, characterem habet hujus literae paene vulgarem. Sunt, fateor, in plerisque locis, ubi haec literae forma cernitur, ductus laterales tres, non duo: sed observandum est in exprimendo harum linearum numero haud adeo religiosos fuisse sculptores Phoenicios, modo literae indoles universe servaretur; ut luculenter apparet ex formis τῆ; Chet et Caph: quarum illa proprie tres lineas obliquas habet duas perpendiculares conjungentes, haec duas sinistro lateri appactas. At nihilominus Chet ex tribus unam vel duas, Caph ex duabus alteram abjicit, ut vel ex Koppii tabella *Bild. u. Schr. d. V.* p. 216. satis intelligitur. Neque vero ejusdem licentiae in litera He exempla desunt. In quibus hoc censeo, quod nummus Gaditanorum nobis praebet apud Mionnetum *Rec. de Méd.* pl. XIX. n. 12, ubi quin istae figurae 𐤄𐤂𐤃𐤓, הַגָּדֵר pronuntiandae sint nos dubitare non sinit aliorum nummorum collatio, in his Bayerianorum in *Vind. num. Hebraeo-Sam.* p. 1. et *Del Alfabeto y Lengua de los Fenices.* p. 373. in quibus 𐤀𐤂𐤃𐤓 legimus. Quod vero duae literae posteriores potius figuram τῆ; Beth, quam τῆ; Daleth et Resch habent, id, quidquid

quid ea de re opinetur Koppius, nullam plane vim habet ad nostram sententiam lectionemque infirmandam. Hoc enim unice artificis, vel ignorantiae, vel negligentiae, adscribendum esse apparet, in aliis etiam nummis conspicuae. Sic in n. 10 apud Mionn. l. l. Resch et Daleth vocis אגדר ita scribuntur, ut numeri vulgaris noni speciem habeant, et in vocibus בעל תרז, quae diserte in nummis duobus apud Mionn. pl. XXII. n. 31 et 32 exstant, Resch non tantum ч, sed etiam ч, exaratur. Plura, si liberet, addere possemus, sed revertendum est ad literam He vocis תוכה, cujus vera potestas etiam ex eo cernitur, quod proxima vox תתהצעף femininum nomen requirat, atque adeo literam He finalem luculenter confirmet. Altera ejusdem elementi species, ab initio tertii versus posita, haud differt ab ea, quae inscriptionis Munterianae antepenultima, atque adeo jam superius a nobis exposita est. Haec de scripturae forma: nunc de sensu videndum. Vox תובה Arabicae توبة respondet, et si proprium sensum spectes, *conversionem notat ad Deum*, dein apud Arabes, quod etiam verbo تاب, item verbis ܬܒ, תוב et שוב in reliquis dialectis accidit, in *poenitentia* notanda solennis cum ipsius radicis usus est, tum derivati توبة, quod etiam aliquando de *voto peccati vitandi* et apud Melitenses de *poena piaculari* ponitur. Cf. Vassalli *Lex. Melit.* col. 95. Intra hos terminos reliquarum dialectorum auctoritas continetur. Poeni vero ulterius progressi esse et facili translatione eodem nomine comprehendisse videntur omnia, quae inter indicia et argumenta conversionis ad Deum, sive religionis, censentur, imprimis preces et vota vel sacrificia: e quibus igitur notionibus quivis eligat, quod sibi maxime placeat; nobis sacrificium significari videtur. Verbum תתהצעף, quod usum in solo Arabico ضعف servatum cum forma paene solis Aramaeis cognita et rarissime ab illis usurpata conjungit, admodum memorabile est. Est enim species Ettaphal (אתפקד pro אתאפקד) passiva τῆς Aphel, sed non contracta, et ex Hebraismo litera He pro Aleph in specie Aphel posita. Posterius fit pro more Chaldaeorum He in Aphel haud infrequenter usurpantium; at incontractae formae nulla, quod sciam, exempla sunt. Hoc tamen notari velim, Chaldaeis solenne esse, ut He illud pro Aleph substitutum ubique, etiam post praeformantes, conservent, et ex. gr. efferant תהנזק (Ezra c. IV vs. 13.) מהקרבין (ibid. c. VI. vs. 10.) מהחצפה (Dan. c. II. vs. 15.) מהשנא (ibid. vs. 21.) מהעדה (ibid.) et יהשפל (ibid. c. VII vs. 24.): qua forte analogia eadem litera in specie etiam Ettaphal hic conservata est. Caeterum ne quis putet hanc speciem apud Syros ipsos raro

viam, ab his forte recentiore demum aevo excogitatam fuisse, nec ad reliquos populos Orientales, nedum ad Afros manasse, atque eam ob caussam meam interpretationem non admittat; Viris doctis in memoriam revocandam esse censeo, illius formae antiquitatem probari ex voce תִּתַּפָּל a radice נפל, quae in secundo Samuelis libro c. XXII. vs. 27. occurrit, et unicum speciei Ettaphal apud Hebraeos exemplum est. Jam de notione vocis videndum, quae passiva esse debet τῆς אצעף. Haec apud Arabes in اضعف superstes, *duplandi* potestatem habet, vel *tria ex uno faciendi.* Ergo *duplabitur sacrificium* reddendum est, vel potius *bis tantum sacrificio adjicietur.*

In proxime sequentibus vocabulis פְּלַת דְחֹק, vel דְחַט, prius, nec scriptura, nec sensu difficile est, ulliusve expositionis indiget: posterius vero adeo obscurum est, ut nequaquam contendere ausim certam atque indubitatam illius interpretationem a me repertam esse Sola enim Daleth satis manifestam formam habet, e duabus reliquis priori potestatem τῆς Chet assignavimus, eam comparantes cum ejusdem, ut videtur, elementi figura, quae in Inscriptione Borgiana extremo versu in voce a nobis וְחַכִּבן lecta occurrit, quamque probare et confirmare conati sumus in *Diatribe nostra de monumentis Punicis*, p. 58 seq., allato alio ejusdem formae exemplo, quod nummus Phoenicius offerebat. Idem nummus etiam continet literam Koph numero octavo vulgari haud dissimilem et forte cum litera hic obvia comparandam. Si hoc admitti possit, habebimus vocem sane quam notissimam, compositam ex ד et חק, *jus*, *debitum*, ut *vaccae debiti* sint, quae Deo debeantur. Quae significatio etsi nobis magnopere arrideat et in inscriptionis sententiam optime quadrare videatur, at vehementer tamen veremur ut ipsa potestas literae Koph satis probari possit. Quapropter quamvis inviti eam sententiam, quam prius ipsi foveramus, deserendam, nec ignotam illam figuram Koph, sed Tet esse putamus, in aliis quidem inscriptionibus nondum repertam, sed literae Theta a Phoenicibus in Graeciam translatae bene respondentem. Quo admisso legendum igitur erit דְחַט et explicatio repetenda ex Arabismo, qui nobis duo nomina offert cognatae scriptionis et significationis, quae huc pertinere possint. Alterum est حَظّ, quod frequentius quidem de *bona sorte et conditione vitaeque commodis* usurpatur, at subinde etiam de *portione alicujus rei, etiam tali, quae sorte obtigit* (cf. Arabicam versionem Josuae c. XVII. vs. 5. ubi pl. حظوظ h. s. occurrit) alterum خطّ, quod de *lineis sortilegii caussa ductis*, tum de *ipso sortilegio* dicitur. E quibus intelligitur varias vocum פרת דחט ad-

admitti posse significationes: etenim vel *vaccae felices*, *sortis bonae*, *eximiae* designantur, vel *sorte ad sacrificium lectae*, vel *tales quarum carnes* (quod antiquis Arabibus in camelis mactandis solenne fuisse constat) *post sacrificium inter epulones sortito distribuebantur.* Quid in illa sententiae diversitate verosimillimum sit, archaeologis, quibus haec cum aliorum populorum ritibus comparare libuerit, dispiciendum relinquo; mihi in tanta Punicae antiquitatis obscuritate ea res parum comperta est.

Clausula inscriptionis, de qua jam videndum est, duobus verbis constat תכבשו שפע. Et literae quidem ipsae ejusmodi sunt, ut parum aut nihil nos morentur. Ut enim de reliquis taceam, quarum potestas certissima est, prima ultimi versus litera furcato capite suam prodit cum ea figura, quae penultimo versus primi loco cernitur, cognationem et similitudinem, atque adeo, licet per sculptoris imperitiam cauda in dextram, non in sinistram, uti oportebat, flexa sit, characterem tamen literae Caph universe servat, quod etiam de Phe affirmandum, quae cum ea forma comparanda est, quam superius primo versu agnovimus, et ita inclinat in vulgarem scribendi rationem Samaritanam, ut formae penultimo versu obviae in eam, quae in Phe finali Hebraeorum servata est. Similiter Schin, quamvis iisdem plane ductibus in nulla, quod sciam, inscriptione exarata sit, at habet tamen tres illas lineas, duas laterales et sursum tendentes, unam internam et e sinistro latere procedentem, quae cum in celeberrimis istis inscriptionibus, Carpentoractensi et Erycina, aliisque, tum in Palmyrenis cernuntur. De ipsa ergo lectione nobis quidem omnis dubitatio exemta est; praesertim cum voces inde ortae תכבשו שפע egregie conveniant ad universam inscriptionis sententiam. Prior nobis est Hophal a נכש, sive, ut alias apud Aramaeos scribitur, נכס, *mactavit.* Speciem Hiphil, vel Aphel, in reliquis dialectis desideratam, soli, sed diverso significatu in نكس servarunt Arabes: quapropter certo quidem definiri non potest, utrum Hophal hic positum sit pro Niphal aut Ethpehel, ut sensus sit *mactabuntur*, an verum sit passivum speciei Hiphil dupliciter transitivae, ut reddi debeat *mactandae sacerdoti tradentur*, vel *mactandae curabuntur.* Hoc probari quodammodo possit ex usu speciei Pahhel, apud Aramaeos saepe ab Aphel, aut Hiphil, vel non, vel parum, diversae: illud ex eo haud inepte tueri queas, quod species I et IV, uti saepe, sic hoc in verbo apud Arabes eandem plane potestatem obtineant. Sed hoc levioris momenti est, illud vero considerandum, quod vox hic cum Schin scripta sit, quae in inscriptione Bor-

 gia-

giana bis per Samech effertur. Ergo eadem permutatio literarum in hac radice apud Poenos usurpata est, quae apud Samaritanos in verbis נכס, *mactavit*, et נכש *percussit*, quae procul dubio eadem sunt, obvia est, et apud Chaldaeos etiam in iisdem radicibus vestigia sui reliquit. Imprimis autem ipsa, quae hic exstat 3. p. plur. f. futuri forma consideranda est, in reliquis dialectis deperdita, at vel sic tamen ex Hebraici et Arabici vulgaris, item Melitensis sermonis, comparatione facile corroboranda et primaevae linguae restituenda. Quamvis enim haec persona futuri in variis linguae Semiticae propaginibus a tertia masc. plurali distinguitur et afformante ן vel נה designari solet, eidem tamen Hebraei, ubi affixum accedit, pro Nun adjungunt Wau, efferentes תפקדו ad normam vocis תכשו, et formam antiquissimam, ex ea tempestate repetitam, qua nondum instituta erat adeo accurata generum distinctio, hoc solo in casu servantes. Idem hodieque faciunt Arabes idioma vulgare usurpantes et Melitenses, quibus *extra affixionem etiam* يكتبوا et *jaktbu* in utriusque generis 3 p. pl. enuntiare solenne est, ut تكتبوا et *taktbu* in secunda. Cf. Caussin de Perceval *Gramm. Arab. Vulg.* p. 13 in verbi paradigmate, Dombay *Gramm. Mauro-Arab.* p. 18, et Vassalli in *Gramm. Melit.* p. 154. Nihil ergo est quod miremur Poenis efferre licuisse תִּכְשׁוּ pro תִּכְשַׁנָה, quamvis non sequente affixo: praesertim cum aliud quoque exemplum adsit formae apud Hebraeos ante sola affixa occurrentis, apud Arabes et Melitenses perpetuo usu tritae. Cum enim illi פקדתו in affixione dicant pro פקדתם et פקדתן, hos ubique كتبتوا et *ktabtu* dicere testantur Percevallius et Vassallius ll. ll. — Ultima vox inscriptionis est שֶׁפַע, *affluentia*, in Veteris Testamenti libris semel tantum superstes Deuter. c. XXXIII. vs. 19, quo loco Syri vocabulum in Aramaea lingua haud infrequens in versione servarunt, et servare etiam potuissent Chaldaei, in quorum paraphrasibus et ipsa vox שֶׁפַע vel שְׁפַע, et ejus synonyma ab eadem radice derivata שְׁפוּעַ, *abundantia*, semel iterumque occurrunt. Jam constructio docet שפע hic adverbialiter sumendum, et pro more Chaldaïci, sive potius Rabbinici, בְּשׁוּפַע, *largiter*, *abundanter*, reddendum esse. Haec igitur, quae hucusque protulimus, verborum formam sensumque satis declarant, nec dubium est, quin inscriptionis sententia ostendat, hoc monumentum, ut ab initio monuimus, inter lapides votivos censendum esse. Quamvis autem nomen Dei non exprimitur, verosimile tamen est Baäli, sive Tholado, lapidem positum fuisse, cum vaccarum fecunditas ab eo efflagitetur et boum sacrificia ipsi voveantur, quorum illud bene quadrat in numen, cui, sive nomen, sive monumenta, si-

sive veterum scriptorum testimonia spectes, naturae genitricis potestatem adtribuisse videntur Poeni, prouti in superiore dissertatione nostra satis superque a nobis probatum et confirmatum est. Boves autem Baäli sacrificatos fuisse ostendit celeberrima illa contentionis inter Eliam et Baälis ministros historia, quae libro I Regum c. XVIII. vs. 20 sqq. narratur.

§. 3.

Praeclarum Punicae antiquitatis monumentum, quod in tabula nostra altera secundo loco expressimus, inter praecipua censetur κειμήλια vetustatis, a Viro illustri Tulin, qui Anglorum nomine apud Tunetanos Consulis vice fungitur, suis sumtibus collecta, nunc vero Optimi et Augustissimi Regis beneficio redemta et Musei Lugduno-Batavi antiquarii copiis adjecta. Ipsum tamen lapidem nondum oculis usurpavimus, quippe qui cum reliqua supellectili vetusta, adhuc Liburni penes Humbertium asservatur, data opportunitate in nostras oras devehenda. Nec profecto illud commisissem, ut inscriptionem istam ex apographo Humbertiano anno superiore exeunte ad nos transmisso, ederem, nisi dudum mihi variis exemplis constitisset, in hujusmodi monumentis perlustrandis hujus viri acerrimam esse oculorum aciem, in delineandis fidam manum, singularem industriam. Materies saxi est eadem, quae reliquorum lapidum Africanorum, in Museo asservatorum, nempe calcaria; de loco vero, ubi repertum est, nihil adhucdum constat, nisi quod procul dubio in ditione Tunetana inventum sit. Quae res utinam accurate et diligenter investigetur. Quid enim ad meam interpretationem, vel stabiliendam, vel infirmandam efficacius esse possit, quam illius loci indicium, cum ipse, ut inferius apparebit, saxum Vagensium Zeugitanorum nomine positum esse ex Punicis verbis effecerim? Emblematum, quae inscriptionem ornant, haud satis certa et explorata ratio est; nec equidem inanibus conjecturis illud explicare tentabo, quod in tanta Punicorum monumentorum paucitate et obscuritate intelligi nequeat. Hoc unum certum est, illud Baälis, sive Astartes, signum hic denuo conspici, quamvis rudius effictum, quod utrimque ramos, sive brachia, extendat, a dextra uvas, a sinistra malum Punicum sustinentia, quod significare videtur illos fructus in peculiari numinis tutela fuisse positos. Quid vero de reliquis dicendum, de symbolis in summo lapide, de avi cum cauda anguina, de humana figura, in cippi quandam speciem inclusa, et quadrifolio illo, quod in illius frontispicio conspicitur, de plantis denique, quae hinc inde huic cippo adjunctae sunt? Videant de istis omnibus, si lubet, antiquarii; nos ad ipsas literas, quae nostra provincia est, expli-

candas transimus, quamvis in illarum interpretatione saepenumero haeremus, multisque dubiis implicamur. Multorum enim elementorum nova plane et ignota forma est, ut hoc etiam exemplo appareat, de certis legibus palaeographicis nondum cogitari posse, et in Africanarum saltem inscriptionum interpretatione tentanda, nonnumquam plus ingenio et conjecturae ex orationis nexu natae et probatae, quam argumentis ex literarum forma ductis, tribuendum esse. Hac admonitione praemissa ad inscriptionis lectionem et versionem eam, quae nobis verosimillima videtur, pergimus, nullam aliam interpretationem, si qua rei naturae convenientior nobis offeratur, repudiaturi, at Palaeographorum, linguae potius leges et usum, quam literarum formas violari et everti posse putantium, et nunc et in posterum nullam plane rationem habituri. Sic igitur inscriptionem istam legendam et reddendam existimo:

תוהב מן ענב לערכן בתסניו ענ-
-בעל ציי בתאוכת בגן נצבות נתן עזו
לבעל פרית להתעדלת עמת

Donum musti uvarum pro vineis (vel *secundum ordines*, nempe vinearum) *propter incrementum earum* (vel *ejus*). *Enbaäl Zoënsis* (vel *Zeugitanus*) *ad expiandos Bagenses monumentum posuit laudando* (vel *celebrando*) *dominum fructuum*, *ad compensationem publicam.*


Primae vocis litera initialis et tertia certae sunt, at secunda et quarta admodum dubiae. Jam in probabili potestate secundae formae tribuenda, conjectura quadam usi sumus, quam firmare et stabilire videtur, cum hujus, tum aliorum monumentorum ejusdem generis accuratior contemplatio. Putavimus nempe illam figuram situm mutasse et leniorem illum semicirculum, sive uncum, qui in inscriptione Carpentoractensi et papyro Drovettiano, postea explicando, Waw denotat, a sinistra in dextram conversum fuisse. Ejusdem rei exemplum paullo post exstat in litera Gimel vs. 1. l. 18, et vs. 2. l. 13, item in litera Nun, quae ultima est vs. 2 inscriptionis primae Melitensis, inferius edendae, cum prima litera vs. 2 inscriptionis primae Zeugitanae comparata. De nummis taceo, in quibus eadem formarum conversio saepissime cernitur, quia horum et inscriptionum lapidibus incisarum non eadem plane ratio est, et ejusmodi literae in contrariam partem versae forsitan debeantur sculptori minus exercitato, nec satis memori scribentis et sigilla nummorum fabricantis contrarium officium esse. Quamvis non video quidni in nummis et lapidibus hujus erroris eadem caussa fuerit, praesertim cum illa ratione explicari nequeat, cur

scul-

sculptor monetarius literas, vel in caput, vel in latus, verterit, quorum errorum prior cernitur in litera Daleth in hujus inscriptionis tertio vs. et in nummis quibusdam occurrente, posterior in litera Nun nummi ad inscriptionis Melitensis primae explicationem adhibendi. Harum igitur omnium varietatum originem in quadruplici versuum scripturae dirigendorum ratione positam fuisse existimo, quam antiquitus obtinuisse constat. Nam vel a dextra ad sinistram, vel a sinistra ad dextram, vel perpendicularibus versibus, vel denique βουστροφηδὸν, scribebant. Quarum rationum postremam Graeci, sive creaverant, sive, ut equidem puto, ex Oriente acceperant. Reliquas una complectitur scriptura hieroglyphica (Champollion *Précis du syst. hiérogl.* p. 268 — 270) ex qua literas etiam Semiticas omnes manavisse certum est, et quamvis vulgatior est iste a dextra ad sinistram progressus, at contrarium tamen rationem tenent Aethiopes, perpendiculari ductu scribunt Syri, apud Phoenices autem et Judaeos etiam, ut Hasmonaeorum nummi nonnulli ostendunt, ista varietas hoc effecit, ut major formae, quam situs et positionis, literarum in scribendo sculpendove ratio haberetur. Fieri etiam potuit ut ista forma literae Waw quam hic videmus, ex ductu literarum a sinistra ad dextram orta, eam ob caussam adoptata sit, ut litera Waw a Beth distingueretur, quae in inscriptionibus, Africanis praesertim, saepissime in semicirculum, vel rectam lineam leniter inferne reflexam, abit, a forma [illegible] Waw Carpentoractensis non dissimilem, et hic etiam vs. 1, l. 4. 9. 15, vs. 2. l. 1. 7. 11. 13, vs. 3. l. 2, occurrentem. Eadem vero figura literae Waw repetitur vs. 1. l. 20. et vs. 2. l. 10. Si ergo, ut censeo, תוהב legendum sit, hoc referri debet ad והב, وهب, *dedit*, et *donum* significabit.

Major etiam difficultas est in duabus literis sqq. quas כ׳ן *nustum*, efferendas esse conjicio. Priorem, cujus apex fortasse periit, comparo cum charactere inscriptionis penultimo; cum utrique illa lineola transversa lateri dextro adjuncta communis sit. Nec leviorem moram nobis objicit litera Tsade, eodem vs. repetita l. 17, ubi orationis series aperte Samech postulat, quae tamen litera sub hac forma nondum nobis in aliis monumentis oblata est. Nam quae in nummis Africanis et Phoeniciis occurrunt vicinae, vel similes plane figurae, eaedem potius pro Tsade quam pro Samech pugnare videntur. Inter alios prope ad istum inscriptionis characterem accedunt nummi Sidonii apud Koppium ll. T. II. p. 212, n. XIV. XV. XVII. XVIII. XIX, Tyrii XXIII. XXIV. XXVIII et XXIX, in quibus aperte, לצדן vel לצדנם et לצור legitur. Ex asse respondent alii inter Numidicos relati a Mionneto T. VI. p. 592

Tab.

Tab. XXX. n. 7. 12. 13. 14. 15, de quibus eam ob caussam accuratius videndum est. Incipiamus a n. 7, qui ab altera parte offert caput Mercurii, in sinistram versum, in capite petasum, in humeris chlamydem gerentis, et pone caduceum habentis cum epigraphe edita in nostra Tab. IV. n. 1. Ab altera est capricornus, in dextram versus, cujus dorso cornu copiae impositum est. Infra est gubernaculum et inter pedes globus. Inscriptionem effero צברקז *Tsabrakaz*, et hic quaero *Tabracum* vel *Thabracam* coloniam in ora maritima Numidiae. Cf. Cellarius *Geogr. Ant.* T. II. p. 900, D'Anville *Geogr. Anc. abrég.* T. III. p. 86, Shaw T. I p 82. *Belg. vers.* Tsade hic suo T expresserunt veteres, quemadmodum hoc factum est in צור et *Tyrus*. Numidicam vero terminationem quippe duriorem neglexerunt. Quamquam adhuc dubito utrum finalis ista litera sit sibilans, sive Zain, sive Tsade, ut in inscriptione Zeugitana prima, et Borgiana olim a nobis edita et explicata, an potius Nun. Occurrit enim, ut mox apparebit, in extremis aliarum etiam urbium Numidicarum nominibus, in quibus vel signum pluralis numeri esse et cives designare poterit, ut hic צְבַרְקָן, *Tabracenses*, vel signum erit terminationis Numidicae femininae, ad quam exprimendam hodie quidem Berberi utuntur Tse vel Te Arabica, voci praepositae simul et postpositae; antiquitus autem ex alphabeto Phoenicio eas literas blaesas eos adhibuisse verosimile est, quae ad suae linguae ingenium maxime accedere viderentur. Sic igitur in voce צברקז, vel צברקץ, proprium nomen urbis ברק lateret. Sed haec in medio relinquenda sunt. Ad reliquos nummos quod attinet, quos ante enumeravimus, hi omnes Augusti caput gerunt cum lituo et epigraphe CAESAR, et ex adverso caput barbatum, bicorne et laureatum, ut in n. 5. p. 592, (Tab. XXX. n. 12), aut modio ornatum ut in n. 6. 7. et 8 (Tab. XXX. n. 13. 14 et 15), cum inscriptionibus Numidicis nonnihil variantibus; in quibus tamen omnibus urbis nomen iisdem, ut videtur, tribus literis incipit, quibus Tabraca. At e reliquis sequentes duae non exstant in illo nummo Tabracensi, ultima vero eadem est, sive illa Zain aut Tsade sit, ut ante diximus, sive Nun. Modo Mionneti hac in re diligentiae fides habenda sit. Nam ab altera parte videmus Pellerinum *Recueil de Méd.* T. III. pl. CXX. n. 11. nummum illum Tabracae, ita edidisse , ut quartum elementum parum differat a litera eodem loco posita in nummis n. 13 et 14, quos paullo ante descripsimus, ab altera autem ex ectypo sulfureo inter Mionnetianos in Museo Leydensi asservato apparet Virum doctissimum haud satis diligenter expressisse literas nummi quinti p. 592, Tab. XXX. n. 12, quas accuratius delineari curavimus Tab. IV. n. 2. Prior vox quid significet nescio, secunda vero, sola quinta litera Ain, quae vocalis lo-

loco addita esse potuit, excepta, respondet delineationi Pellerinianae nummi Tabracensis, ut haud inanis suspicio sit illud vocabulum, quod plane eadem ratione scriptum legitur in ectypo nummi Mionnetiani n. 6. p. 592. pl. XXX. n. 13, צִבְרְקָעַן pronuntiandum esse, et hanc quoque monetam ad Tabracenses pertinere, a Mionneto haud satis idonea de caussa ad Jol, sive Caesaream, relatam. Ergo, quantum licuit, probavimus, huic literae vim τῆς Tsade tribuendam esse. Quodsi quaeras, quid igitur illa vox מִץ, quacumque tandem vocali efferatur, significatura sit, expeditam tibi interpretationem offerent dialecti linguae Semiticae, imprimis Hebraica, Chaldaica et Syriaca, quarum Hebraea in themate מִיץ, item, consentientibus duabus sororibus, in מִצָּה, habet potestatem *humoris exprimendi*, *exhauriendi*, et in מוּץ illam *premendi;* unde superest part. מֵץ *oppressor* Jes. c. XVI. vs. 4; Syris idem מוּץ notat *exsugere*, vel *emungere*. Libera igitur inter tres radices derivationis optio est, libera vocalis positio, nam tria ista verba communis originis vinculo continentur, et sive מִץ efferas et a מִיץ repetas, sive aliam rationem sequaris, semper designabitur *pressura*, scil. *uvarum*, quae peculiaris notio in reliquis dialectis desideratur, hinc *ipsum illud quod exprimitur*, nempe *mustum*, Belg. et Germanice *most*, quas voces fluxisse suspicor a מִץ, a Phoenicibus una cum vini usu in occidentem translato. Vides igitur aptissimam esse huic loco literam Tsade, quod secus est in altero ejusdem exemplo vs. 1. l. 17, ubi sententia בתסגיו requirit, ut paullo post apparebit, at scriptura offert בתצגיו. Quae difficultas tamen non tanti est, ut nostram sententiam evertat. Nam primum nulla frequentior literarum confusio est, quam sibilantium, quae tanto major fit, quanto plus a veteris pronuntiationis integritate disceditur, ut in coloniis fieri consuevit; cujus rei jam insigne exemplum vidimus in inscriptionis Zeugitanae I. explicatione, ubi וְתֵצֵךְ pro וְתֵזֵךְ legimus et nonnulla observavimus, ad eam rem pertinentia. Quibus nunc addendum est solennem imprimis esse permutationem literarum Samech et Tsade. Vide quae hac de re insignia et memoria dignissima tradidit Schultensius in *clavi dialect.* p. 262 sq. Quibus alia nosmetipsi adjecimus in notis ad Wakidaeum p. 87 sq. Praeterea fieri potuisse censeo ut in tanta soni similitudine et adeo incerta literarum forma, una litera duabus vel pluribus sonis in unum coalescentibus exprimendis inserviret, ut haec characteris species non magis Tsade sit appellanda, quam Samech. Hoc illustrari poterit exemplo τοῦ Σ Graecorum, quod licet nomen et potestatem habeat a Samech Orientali derivatam, nihilo-

 mi-

minus locum et figuram occupavit literae Schin Phoeniciae in latus conversae. Cum ergo literae Samech et Tsade aequale jus esse videatur, compluribus illud fortasse placebit, quod ipse antea probaveram, potius מִס, quam מִין pronuntiandum et hic de *tributo*, vel *oblatione*, *Diis propitiandi caussa consecrata*, cogitandum esse. Caeterum utraque lectio suas difficultates habet. Si enim מִס praeferas, illud היהב מִס, *donum tributi*, nonnihil ταυτολόγως enuntiatum videbitur, cum solum מִס suffecisset; si autem מִין vel מִין legas, illud *donum musti* paullo obscurius dictum censeri poterit. Nam sententia et ipsa rei ratio docet non ipsum mustum Deo oblatum, sed ex illius proventu et pretio hoc monumentum piaculare confectum et Numini sacratum esse.

Tertia vox primi vs. est עֲנַב, cujus media litera sola commentarium desiderat. Recurrit illa vs. 1. l. 14, 21. vs. 2. l. 15, 16, 20, 22, quibus omnibus in locis cum potestas literae Nun sententiae aptissima sit, haec exemplorum comparatio jam sola maximam vim haberet ad nostram sententiam commendandam. Sed aliud praeterea momentum accedit ex nummis Africanis Mionneti T. VI. p. 592 sq. n. 5 Augusti, n 9 — 13 Tiberii et n. 14 — 18 Juliae capite insignibus, quibuscum comparandi sunt Pelleriniani *Recueil de Méd.* T. III. pl. CXX. n. 12, 13, et pl. CXXI. n. 15, 16. In his enim omnibus ab adversa parte variis figuris ornata legitur istud vocabulum, vel solum, vel cum aliis conjunctum, quod Tabula nostra quarta n. 3 exhibet quodque equidem צויען, i. e. *Zeugitani*, efferendum arbitror. Etenim prima litera est plane Tsade Palmyrena, et respondet nostrae inscriptionis literae quartae vs. tertii, secunda Waw est similis Babylonicae apud Koppium. T. II. p. 154, item Sasanidicae, et Cyrenaicae in inscriptione bilingui a me ante triennium edita: de Ain nemo dubitabit. Ergo sola ultima litera restat, quam pluralis numeri signum esse conjicio nominis gentilitii צועי, quod sine Waw scriptum inferius nobis occurret vs. 2, nisi quis צוען pronuntiare malit, ut sit ipsum provinciae Zeugitanae nomen, adhuc superstes in monte et urbe Zowwan vel Zogwan. Cf. Shaw. l. l. T. I. p. 169. Nobis prius praeplacet, ut nomen provinciae צוע fuerit, quod instar Arabici صوغ *Zoug* sonuerit, et originem dederit Romano *Zeugis*. Jam vox illa ענב, cujus lectio, ut equidem puto, satis confirmata et probata est, collective sumenda videtur, ut عنب Arabum. Sequitur vox לְעָרְבַן, cujus Lamed respondet veteri Hebraeo, Phoeniciae primae apud Koppium p. 216, et Car-

Carpentoractensi; Resch Koppianae quintae p. 217, et Caph Koppianae quartae. Est autem vox composita ex Lamed, articulo latente et plur. ab עֶרֶךְ, i. e. Graecorum ὄρχος, *arborum fructiferarum*, imprimis *vinearum*, *ordo*, quae vox cum sine ulla dubitatione ex Phoenicia illa orta sit, equidem praetuli lectionem עֶרֶךְ, prae עֵרֶךְ, quod Hebraei de *rebus in ordinem dispositis* usurpant. Jam pro varia potestate literae Lamed illud לְעֶרְכַן, vel *pro vineis*, *vinearum ergo*, exponi poterit, vel *secundum vinearum ordines* (*Belg.* bij de rij af) ut ex singulis ordinibus aliqua pars musti Deo sacrata fuerit. Transeamus ad proximum בתסגיו, vel בתצגיו, de cujus scriptione hoc restat animadvertendum, quod Gimel, ut ante breviter significavimus, conversa est in dextram, ut vs. 2. l. 14 etiam factum esse videmus. Forma simillima est primae apud Koppium p. 215. Quamquam, nisi sententia obsisteret, de transposita figura τῆς Lamed Phoeniciae cogitari possit, quae veteri Graecae originem dedit, et, ut deinceps videbimus, sub rudiore forma in nostra inscriptione servata est. Proximus character nobis Jod esse videtur, quamquam illud certis argumentis et exemplis nondum probare possumus: sed primum bene quadrat illa notio non tantum in hunc locum, sed in versum quoque secundum l. 6, ubi eadem figura conspicitur. Haec autem plane Phoenicia foret, si in medio semicirculo linea perpendicularis adesset, quam adhuc servat scriptura Samaritana. Desideratur eadem in Palmyrenis inscriptionibus, in quibus saepissime litera eandem plane speciem habet, quam hic cernimus, nisi quod situs paullulum differat, semicirculo non inferne, sed ad sinistram aperto. Cf. *Inscr. Palmyr.* ex Chandleri marmoribus Oxoniensibus a Koppio repetitas l. l. T. II. p. 251 et 256. Vocem בְּתַסְגִּיו, quae ex singularum literarum expositione oritur, reddidimus *propter incrementum ejus*, nempe *musti*, vel *earum*, i. e. *uvarum*, ut affixum vel ad מִין, vel ad עֵנָב, referatur. Beth inter alia *propter* significare omnes norunt; dubitantes rem docebit Noldius *Concord. part.* p. 153. n. 23. Jam תַסְגִי Inf. est, Sp. II. masc. pro תַסְגִיי, formae תַּפְקִיד, a verbo סָגָה, quod apud Hebraeos effertur שָׂגָה et שָׂגָא, apud Aramaeos סגא et ܣܓܐ, et notat *multum esse*, *multiplicari*, *crescere*, hinc in Hiphil (et quidni etiam in Pihhel?) *augendi* notio, et in voce תַסְגִי illa *incrementi* orta est. Observandum est tamen apud Hebraeos nullam formam hujus generis masculinam inter verborum tertia radicali quiescentium de-

 ri-

rivata conservatam esse: sed femininas tantum, ut תבלית, תבנית, תכלית, תרכית, quae tamen certissime derivatae sunt a formis masc. תבלי, תבני aliisque nostrae similibus.

Haec, quae hucusque memoravimus, totius inscriptionis, quasi titulum constituunt. Jam nova sequitur sententia incipiens a proprio viri nomine ענבעל, i. e. *oculus Baälis*, de quo plura ad inscriptionem primam Melitensem dicturi sumus, ubi ad probandam et explicandam singularem formam literae Nun, nummus eadem epigrapha insignis proferetur. De literis ipsis neminem credo fore, qui dubitet, quamvis Lamed formam habeat insolitam et a praecedente sequentibusque discrepantem. Nam reliquis elementis cognitis de hujus natura prope certi esse possumus. Memorabile autem est illud nomen ענבעל et hic et in nummo, quem infra explicabimus, defective scribi, quemadmodum in voce ענת inscriptionis Zeugitanae primae pariter literam Jod desideramus, qua de re hoc observandum est, eandem breviorem scribendi rationem Syris etiam in nominibus propriis ab עין incipientibus placuisse, ut constat ex vocibus ܥܢܬܐܒ (Arab. عين تاب) *fons desiderii* (?), e Bar Hebr. *Chron. Syr.* p. 338, quod plenius ܥܝܢܬܐܒ scribitur p. 344 et 389 et ܥܢܘܪܕܐ, *fons rosae*, in *App. Bar-Hebr.* in *Neues Repert. für Bibl. und Morgenl. Literat.* T. I. p. 51 et 61, unde nomen gentile derivatur ܥܢܘܪܕܝܐ. p. 56. Arabice haec Mesopotamiae urbs, quae non differt a راس عين. ad fontes Chaborae, vocatur عين الوردة. Jam *Enbaäl*, vel *Inibal* iste, צִעִי, i. e., ut equidem arbitror, *Zeugitanus*, appellatur. Vocis literae certae sunt, nam prima, quae in hac quidem inscriptione non recurrit, eandem fere speciem habet in nummis Mionnetianis et Pellerinianis, quos paullo ante Zeugitanae vindicavimus. De Ain autem et Jod nulla dubitatio est. Nec magis haeremus in figuris proximae vocis בתאובת, quamvis inter literam Aleph, quae formam characteristicam probe servat, et Waw, lapidis quaedam fractura apparet nonnihil detrimenti a temporis injuria passi. Forma vocis est singularis admodum, nec satis idonea caussa excogitari potest, cur litera Aleph adjecta sit; nisi plane abundet et simpliciter pronuntiationem regat ostendatque *thobat* non *thoubat* esse efferendum. Conjecturae firmandae ab altera parte inservire potest litera Aleph, eadem ut videtur de caussa, תָּו Waw postposita in מקדואשת, voce tertia inscriptionis Drovettianae postea explicandae: tum quod eadem illa vox הוכה jam antea nobis occurrit in inscriptione proxime superiore, quae itidem Afri-

Africana est. Quid in reliquis dialectis significet, ad istum locum docuimus, de Punica vocis potestate subdubitantes, hic vero בְּתְאוּבַת, *ad expiationem*, *ad votum expiandum*, reddendum esse admodum videtur probabile. Ponitur ista vox in statu constructo pro תוּבָה, propter sequens בָּגַן, quod nomen nobis esse videtur gentile, *Bagensium*, vel *Vaccensium*, Zeugitani quondam, nunc vero Tunetani agri, incolarum. Exstitit enim istis in locis haud procul Bagrada flumine, circiter quinquaginta millia passuum, ut videtur, ab Utica, urbs Baga, foro rerum venalium commerciisque florens. Sic locum appellat Plut. *in Mario* p. 409 sq. cujus narratio comparanda est cum Sallustiana *de Bello Jugurth.* c. 66 — 68, quo loco uti c. 47 in aliis libris legitur *Vaga* et *Vagensis*, in aliis minus recte *Vacca* et *Vaccensis*, et apud Plin *H. N.* L. V. c. 4 inter oppida Latini juris censetur Vagense. Hoc igitur est hodiernum Beja, vel Bagjah, uti vox apud Shawium T. I. p. 150 scribitur, qui et de situ urbis exponit et de foro frumentario, quod ibi celebrari solet; ut certissimum sit hanc eandem urbem esse, quam Yakoutus in Moschtareko باجة القمح, *Badja tritici*, appellet, et minus accurate in vicinia Tunetis collocet. Distat, Abulfeda teste, circiter diei iter a Mari medio, jacet in planitie et fontibus irrigatur, et inter eam et Bonam (Hipponem Regium) fluvius Magilah interfluit (Buschings *Magaz. für neue Hist. und Geogr.* T. IV. p. 216). Hic unam tantum in Africa agnovit Bagam, at quatuor ad minimum fuisse certum est. Nam باجة القمح hoc cognomine distinguitur a باجة الزيت, sive *Badja olei*, quam ponit Yakoutus in litore, in tractu رُصْفَة, i. e. Rusparum (Ῥοῦσπαι Ptolemaei, Ruspe Tab. Peuting., Shaw T. I. p. 178). Haec باجة الزيت est Vacca Hirtii *de bello Africano* c. 74, quam Adrumeto, Lepti, Uzitae et Zettae vicinam fuisse apparet, ostenditque appellatio Arabica recte Bochartum in *Canaän* L. I. c. 24. p. 482, conjectura ducta ex olivetis, quae circa ista loca memorat Hirtius l. l. c. 50, nomen Uzitae a זית, *oliva*, derivasse, recte itidem Shawium Cellario praeeunte distinxisse inter Vaccam, vel Vagam, Numidiae, vel potius Zeugitanae, et hanc Byzacii; at eundem male confudisse Zettam cum Uzita, quas recte discriminavit Cellarius, satis ostendit accurata Caesarianae expeditionis apud Hirtium descriptio. Vide *de bello Afric.* c. 41, 51 — 67, 68, 74, Cellarium *Geogr. Ant.* T. II. p. 876 et 903 de Vaga utraque, et p. 872 et 876 de Uzita et Zetta, item Shawium l. l. p. 193, qui an eadem pag. Vaccam Hirtii recte quaesiverit in Menzel Heire, equidem non affirmem. Hoc certius eandem designari apud Strabonem L. XVII. p. 831, ubi nunc inter urbes bello

 Afri-

Africano, a Caesare adversus Scipionem et Jubam gesto, deletas recensetur Οὔατα. Tu fidenter rescribe Οὐάγα, cum Vatae urbis nusquam vestigium supersit, Vagam, vel Vaccam, omnibus incolis interfectis a Juba direptam fuisse Hirtius testetur l. l. c 74. Sic igitur oppidi nomen accuratius Strabo expresserit, in Arabico باجة الزيت non minus bene servatum. Tertia Vaga est Numidiae interioris, quam in Cirtesiorum ditione a Ptolemaeo collocatam, male cum Vaga Zeugitanae confudit Cellarius, bene ab eadem distinxit Shawius. Hoc Οὐάγα Ptolemaei forsitan supersit in *Bagai*, cujus urbis quondam magnae rudera in istis locis adhuc superesse testatur Shawius p. 114. Num forte Geographus Οὐάγαι scripserat, ut hujus oppidi idem nomen sit ac Bagae quartae in Mauretania Caesariensi, cujus nomen is Οὐάγαι extulit, situm vero definivit Shawius l. l. p. 43? Etsi ex notitia Ecclesiae Africanae haud injuria colligas nonnihil discriminis inter haec duo nomina fuisse. A Numidico enim formatur *Bagaitanus*, at *Vagensis*, ut a Zeugitano, ita a Mauretanico. Quodsi quaeras, quam urbem ex quatuor illis, quas enumeravi, in nostra inscriptione designari putem, equidem de Numidica et Mauretanica ne cogitari quidem posse censeo, cum neutra sit ditionis Tunetanae, in qua lapidem repertum fuisse asserunt, nec verosimile censeam linguam Punicam iis in locis viguisse: nec etiam diu haesi, utrum Baga Zeugitanica an Byzacena praeferenda esset. Nam priorem hic significari verosimillimum est, tum quod civis iste, qui monumentum dedicavit, Zeugitanus fuisse dicitur, tum quod in plantis et fructibus, quae saxo insculpta sunt, nulla est species olivae, quae vix a lapide isto votivo abfuisset, si ad regionem Byzacenam litoralem, olivarum proventu felicissimam, pertineret. Restat ut videamus de significatione nominis. Vox בגא, vel באגא, apud Chaldaeos *agrum*, *campum*, *vallemve* notat, sicut apud Syros ܒܓܐ *hortum*. Respondet Persicum باغ, quod utrum ex Semiticis istis descenderit, an iisdem ortum dederit, parum constat. Prius tamen verius arbitror, cum videantur etiam cognata esse Hebraeum בַּג et Arab. باج et بَأْج, *cibus*, i. e. *agrorum proventus*. Utut est, videtur illud Chaldaico-Syriacum ipsum urbis Bagae nomen esse, sive plenius scriptum, ut in Arabico باجة, sive deficiente litera Aleph, ut in inscriptione Leydensi. Hoc unum inter Punicum et Aramaeum discrimen est, quod hoc masc. sit et formae emphaticae, illud femininae formae, ut ex Arabico باجة intelligitur. Ergo باجة القمح notabit *agrum frumenti*, sicuti باجة الزيت *agrum olivae*, et in nomine gentilitio

בִּגְן

בִּגְן pro בִּנְיָן formando, eadem ratione neglecta est terminatio feminina, qua illud fieri videmus in יְהוּדִי a יְהוּדָה et centenis aliis, sive Arabicis, sive Hebraicis, de quibus inferius in nummi Berytii explicatione nonnihil disputaturi sumus.

Pervenimus ad difficillimam inscriptionis partem et obscurissimam. Litera enim Nun, quae statim sequitur, vel ad sequentem vocem pertinere potest, vel ad praecedentem. Si hoc mavis, legendum erit בְּגַנְן, ut gentilitium singulare sit בְּגַנִי, more Syrorum, qui Nun urbium adjicere solent nominibus ante Jod relativam, eam copulativae literae instar usurpantes. Quod an probandum sit, ex sequentibus dijudicandum est, quae duplex impedimentum nobis objiciunt, quorum alterum positum est in litera 17 hujus versus, altera in proxime sequente. Aliorum quidem monumentorum probabili auctoritate minime destituimur, qua potestatem prioris literae, quam Tsade esse putamus, quantum satis est firmemus et stabiliamus. Haud dissimilis enim est figura τῆς Tsade in inscriptione Borgiana, at multo brevior. Longior vero species est et nostrae propior ea, quam offert Inscriptio I. Zeugitana, variis locis et imprimis in initiali voce חוֹצוּע. At isti explicationi obstare videtur quod duas jam hujus elementi formas in hoc monumento vidimus toto coelo diversas. Ista tamen vel tollitur, vel minuitur objectio, si reputamus tres etiam formas literae Lamed, plane certas eas atque indubitatas, in ista inscriptione reperiri. Ergo tantisper in ista conjectura acquiescendum est, donec aliam meliorem aliquis attulerit. Quid vero de proxima figura existimandum? Estne illa gemina, nempe Beth et Waw, an simplex forma τῆς Ain, circulo temporis injuria attrito et in duas partes divulso; quemadmodum hoc certissime in antepenultima inscriptionis litera factum est? Si hoc praeferas, צְעַת legendum est et Nun praecedentibus adjuncta בְּגַנְן pronuntiandum. Voces צְעַת נָתַן, quarum posterior lectu facillima nulla explicatione indiget, tum significarent *vocem tollit*, ad normam phraseos נתן קול. Nam vox צעת comparari posset cum Aethiopica radice צוע, *vocavit*, *clamavit*, quae Ha in Ain mutata respondet Arabicae صاح. Hinc igitur צעת de *voce*, vel *clamore*, dici posset. Nobis quidem altera sententia videtur probabilior, ut duae literae sint, Beth et Waw, non una Ain. Sic igitur Nun sequentibus adjuncto scribendum erit נצבות, quod vocabulum in aliis quidem dialectis non exstat, at facillime tamen intelligitur. Notat procul dubio idem quod vulgatiora מַצֵּבָה et מַצֶּבֶת, στήλη. Quibus vocalibus vox instruenda sit, incertum est,

et

et ne de terminatione quidem statuere ausim, utrum sit ות an ות, cum haec etiam singulari significatione nonnumquam usurpetur; ut in הומות *murus*, חכמות, *sapientia*, עללות, *racematio*. Ergo equidem libenter pronuntiem נצבות, ut sit part. pass. fem. pl., vel potius Inf. נצבות, quem supra posui. Transeamus ad vocabulum hujus versus secundi extremum, quod haud minoribus difficultatibus premitur. Si in inscriptione Asiatica versaremur, et consueta esset literarum figura, nemo sane dubitaret, quin עזז legendum esset, cum litera Zain alibi proxime ad istam accedat, quae bis in hac voce reperitur et עזז Inf. in Pihhel significatione *honorandi*, *potentiae celebrandae*, ducta ab Arabico عز, *potens et in honore fuit*, in Sp. II. inter alia *honoravit*, sententiae optime respondeat. Ut nunc res est, id verosimile quidem arbitror, sed assensum adhuc retineo, ob magnam similitudinem, quae his formis, secundae praesertim, cum litera Beth, qualis in hoc monumento cernitur, intercedit.

Versus inscriptionis tertius quatuor vocibus constat, e quibus duae priores sunt לבעל פרית, statu constructo inter se junctae et pendentes a praecedente Inf. abs. עזז, *honorando*, vel *ad honorandum*. In לבעל, mediae literae certae sunt, at utraque Lamed a superioribus admodum diversa est; bis repetita tamen hoc ipso vs. in vocabulo להתערלת. Opportune vero accidit, quod complures nummi Africani, qui probabiliter explicari possint, omnem de vera hujus formae nondum in aliis inscriptionibus, nisi forte in principio Zeugitanae I, repertae potestate dubitationem tollant. Exstant primum inter Mionnetianos duo, pl. XXX. n. 20 et 21 ad Numidicos et Punicos relati, descripti vero inter incertos T. VI. p. 714. n. 7 et 8, ut puto, nam ad n. 8 non laudatur pl. XXX. n. 21, ad quem pertinere videtur. Ab altera igitur parte in n. 7 cernitur petasatum Vulcani caput dextrorsum respiciens et pone forceps, ex altera caput radiatum adversum; in n. 8 idem caput sine petaso, anterius forceps, et ab altera parte templum tetrastylum: in utroque pone caput Vulcani legitur inscriptio quatuor constans literis, quarum prima et tertia eaedem, reliquae diversae sunt. Prior epigraphe, quam Tab. IV. n. 4 expressimus, manifeste legenda est תלכת; posterioris, quam Tab. IV. n. 5 exhibet, secundam literam illi, in qua explicanda versamur, simillimam, Lamed esse ostendit amborum nummorum inter se comparatio. Hujus igitur elementa erunt תלכת. Ergo etiamsi penitus ignoraremus, cujus regionis, vel urbis, haec mo-

moneta foret, at nec de potestate tamen figurae illius ulla dubitatio superesset, nec de Semitica nummi origine, quam variata terminatio satis ostendit. Sed de loco etiam, quo cusus sit, probabilem conjecturam afferre possumus. Nempe duae sunt urbes Libyae, quae huc pertinere possint: altera *Talubath* Getuliae, de qua vide Cellarium *Geogr. Ant.* T. II. p. 947, quam si praeferas, תַּלְבַּת et תַּלְבָּה, pronuntiandum erit, altera, quam equidem hic designari censeam, *Telepte* Byzacii, qua probata תְּלֶפְתְּ et תְּלֶפְּה, scribetur. Sunt etiam alii nummi Libyci, qui eandem formam literae Lamed offerant. De his autem postea videbimus, ubi ad vocis להתעדלת expositionem perventum erit. At hoc praeterea de ista specie τῆς Lamed addendum est, illam mihi a sinistra conversam et antiquioribus annumerandam videri, eam maxime, quae in voce לבעל extrema, in להתעדלת prima est. Hujus enim si lineam dextram nonnihil producas, habebis antiquissimum Lambda Graecum ortum ex inverso Phoenicio: quod non tantum in monumentis vetustioribus exstat, quae temporis injuriam tulere, sed jam octavo ante Christum natum seculo hanc formam habuisse videtur. Perspicimus illud ex nomine matris Cypseli Corinthiorum tyranni Labda, i. e. Lambda. Haec enim isto nomine appellata est, quod altero pede brevior et clauda foret. Rem obscure significat Herodotus L. V. c. 92, diserte vero testatur Helladius apud Photium p. 868, Cod. 279. Κολοβωτέρῳ (inquit) σκάζουσα τῷ ἑτέρῳ ποδὶ, Λάβδα ἐκαλεῖτο. Jam de proximo פְּרִית agamus, cujus prima litera vulgarem formam habet, secunda diversa quidem est ab ea specie literae Resch, quam supra vs. 1 vidimus, at satis superque tamen nota ex aliis inscriptionibus, in his Carpentoractensi et Palmyrenis. Sequitur Jod, quae pariter magnopere discrepat a superioribus, quamvis ejusdem esse videtur originis. Nam ex manus hieroglypho, hinc  et , illinc  et , ortum est. Eadem forma hujus elementi reperiri nobis videtur in extremo vs. inscriptionis Leptitanae II, cujus interpretationem aliquam postea tentabimus. Caeterum vox פְּרִית Syriasmum sapit; Hebraeorum פְּרִי caret enim plurali. Syri a ܦܪܝܐ, i. e. *progenies*, *propago* universe, nam de *fructu* vicinum ܦܐܪܐ usurpant, in plur. faciunt ܦܐܪ̈ܐ, cujus vocis vocales in Lexicis non sunt expressae. Comparari etiam potest Rabbinicum פֵּירוֹת, *fructus*. Nos פְּרִית scripsimus, quasi descendat a fem. deperd. פְּרִיָּה, a masc. פְּרִי. Nihil vero prohibet, quominus etiam פֵּרִית efferatur, et Syriacum illud, de quo paullo ante diximus, ܦܐܪ̈ܝܬܐ, ut respondeat ܦܐܪܐ singulari. Porro

ro

ro בעל פרית, *Baäl*, vel *dominus*, *fructuum*, hic Phoenicum more dictum est, nomen illud late patens Baäl genitivo addito restringentium, ut in בעל זבוב, *Baäl muscarum* et בעל ברית, *Baäl foederis.*

Accedamus postremo ad extremas inscriptionis nostrae voces להתערלת עמת, in quibus nulla omnino dubia litera est, si Daleth exceperis, quae tamen non forma sed situ tantum ab ordinaria Daleth discrepat, et in aliis etiam monumentis Africanis reperitur. Taceemus de lapide Leptitano inferius edendo et explicando, cum ibi pro Tet quoque sumi possit. Nummos vero in medium proferemus Numidicos, eadem literae forma insignes, quorum ἐπιγραφὰς exhibet Mionnetus pl. XXX. n. 10 et 17, et satis quidem accuratas, ut ectypa sulfurea demonstrant, nisi quod in n. 10 caput ultimae literae primae vocis paullo sit crassius, et cauda extremi elementi vocis secundae perpendiculariter descendat, nec sinistrorsum reflexa sit. Eosdem descripsit Mionnetus T. VI. p. 592, n. 4 et 3, delineavit et exornavit nonnihil Pellerinus *Méd. de peupl. et de villes*, T. III. pl. CXX, apud quem n. 12 et 13 respondent n. 10 Mionnetiano, et n. 14 conspirat cum ejusdem n. 17. Ab altera parte exhibent caput Augusti, sive cum lituo, sive cum litera C, ab altera n. 10 habet caput feminae turritum, cum inscriptione inferius delineata Tab. IV. n. 6; at n. 17 hic caput offert Apollinis et ultima voce omissa, secundam primae praeponit, ut T. IV. n. 7 legitur. Ambo Numismatici, quos excitavimus, illos, Swintonium secuti, urbi Jol, sive Caesareae Mauritaniae, adscribunt: nobis inscriptiones pronuntiandae videntur בולן תעדר צוען, *Bullenses*, *conventus*, vel *commune*, *Zeugitanorum*, et תעדר בולן, *conventus*, vel *commune Bullensium*, nisi utrobique בולי legendum, et ipsa urbs Bulla intelligenda sit. De plerisque literis jam satis constat. Novam hic habemus primam (quae tamen aperte characterem servat τῆς Beth et inferius hac potestate recurret in inscriptionis II Leptitanae initio), item septimam, eandem plane, quam in voce להתערלת conspicimus. Cui figurae utrum recte potestatem literae Daleth subjecerimus jam ex rationibus expositionis nostrae apparebit. Nempe בולן nobis est urbs primaria Numidiae, quam veteres *Bullam*, vel *Bullam Regiam*, appellavere, et בולן, *Bullenses*, illius oppidi cives. Vide ll. ll. a Cellario *Geogr. Ant.* T. II. p 903, et D'Anvillium *Geogr. Ant. abrég.* T. III. p. 87, qui Bullam collocat in vicinia Wadi al Bule, fluminis, ut ex Tabula Shawiana apparet, in Bagradam se exonerantis, et Bagam illam, ubi nostram inscriptionem repertam esse verosimile censemus, praeterfluentis. Quam egregii viri conjecturam confir-

firmant Itinerarium Antonini et Tabula Peutingerana, eam collocantia in via inter Hipponem Regium et Carthaginem. Hoc igitur si verum sit, nomen Wadi al Boule suadere videtur ut nomen urbis בולה potius fuerit quam בולו, et incolae in nummis istis בולן dicti sint. Tum בול vel בולה erit Semiticum pro יְבוּל vel יְבוּלָה, et a *fertilitate*, vel *aquarum abundantia*, nomen habebit. Proximum הָעֲרָר, quod nos τῷ *commune*, vel *conventus*, et κοινὸν respondere putamus, est nomen auctum, proprie pertinens ad Taphel, sive Pihhel, verbi עדר, inter obscuriora et difficiliora referendi. Quae ad nostram rem pertinent, haec sunt. In libro primo Chronicorum c. XII. vs. 33 et 38, exstat radix עדר singulari usu, de quo non satis inter Viros doctos convenit. In vs. 33 leguntur Zebulonitarum milites venisse לעדר בלא לב ולב, et vs. 38 omnes viri militares missi dicuntur Hebronem עדרי מערכה בלבב שלם, ex quo hoc primum verosimile redditur etiam vs. 33 מערכה post ולעדר, vel restituendum, vel subintelligendum, esse. Quantopere ista vox jam veteres torserit ex codicibus et versionibus perspicitur. In vs. 33 duo MSS. habent ולעזור, septem ולעזר, quod expresserunt Alexandrini, una vetus editio ולעבד, quod Chaldaeus, Syrus ejusque Arabicus interpres secuti sunt, illud Aramaeo sensu capientes. Nam Chaldaeus reddidit *ad faciendum*, vel *ad operam dandam*, reliqui duo periphrastice *ad bellum suscipiendum cum eis, qui dissentiunt de regno Davidis*, post ולעבד supplentes מלחמה. In vs. 38 pro עדרי tres habent ערכי, quod Alexandrinis placuit et Chaldaeo, duo עזרי. Syrus Arabs et Vulgatus hic sui juris sunt. Reddiderunt enim illud עדרי מערכה verbis ܢܚܬܘ ܠܩܪܒܐ, *descenderunt ad bellum*, خرجوا للحرب, *exierunt ad bellum* et *expediti ad pugnandum*. Quae omnia videntur ex conjectura orta esse nec ad significationem illustrandam quidquam pertinere. Ego vero mecum reputans עֵדֶר *gregem* esse, et غدير *aquarum pluvialium in unum locum confluxum*, hinc *stagnum*, significare, a vero minime alienam existimo ut עדר sit *confluere*, *congregari*, et in locis Chronicorum לעדר vs. 33 reddi oporteat *ad aggregandum se exercitui*, et vs. 38 עדרי מערכה, *confluentes ad pugnam*, vel *exercitum*. Hinc vocem הערר *congregationem*, *confluxum*, *conventum*, *commune* designare potuisse verosimile est, vel eo sensu, quo κοινὸν passim exstat in Graecarum urbium nummis, et apud Ciceronem *Act. II. in Verrem* Lib. I. c. 38 legitur *commune Milyadum*, et L. II. c. 46 *commune Siciliae*, de *tota republica Milyadum et Siculo-*

E 2

lorum; vel, quod omnino malim, ea notione, qua aliquoties a Latinis scriptoribus *conventus* vocabulum arbitror usurpatum esse: nempe de urbe in qua judiciales conventus agi solebant provincialium. Sic verbi gratia universa Hispania divisa erat in septem conventus, Plin. *H. N.* L. III. c. 4, et ex alia distinctione sola Baetica in quatuor, Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, Hispalensem, ibid. c. 3. Hinc igitur tota provincia in minores nonnullas divisa est respublicas, quarum singulas singulae metropoles communium judiciorum, quin imo omnium emolumentorum, vinculo continebant auctoritati suae subjectas, quo factum est ut lapsu temporis vox *jurisdictio* usurpari coeperit, et hodieque etiam usurpetur, de agris urbi circumjectis, qui magistratibus urbanis parent. Unde perspicitur, cur Cicero *pro Ligario* c. 8 in difficultatibus, quas Africa Caesarianis partibus objiciebat, etiam *conventus firmos et magnos* enumeret, i. e. provincialium conventus judiciales, propter virium conjunctionem et hominum frequentiam validos. Sic saltem locum istum interpretari malim, quam de negotiatorum Romanorum conventibus, ut alii explicant. Comparandus est enim, si quid video, Hirtii locus *de Bello Afric.* c. 97, ubi victor Thapsitanis HS. XX millia, *conventui eorum* HS. XXX millia, Adrumetanis HS. XXX millia, *conventui eorum* HS. L millia, mulctae nomine imponit, quo loco *conventus* non de negotiatoribus, civibus Romanis, inter reliquos Thapsitanos et Adrumetanos agentibus, sed de civitatibus et agris illorum ditioni subjectis, accipiendum esse, ex ipsis mulctae summis colligitur; nempe a conventu plus pecuniae exigebatur, quam ab ipsa urbe, quae certe nec incolarum frequentia, nec divitiis, cum agro late patenti et oppidis vicisque pleno comparari poterat. Jam ex istis conventibus Zeugitanae provinciae unum conjicio fuisse Bullensem, et nummos, in quorum altero *conventus Bullensium*, altero *Bullenses conventus Zeugitanorum*, legatur, esse cusos *conventus totius*, sive, ut nos loquemur, *jurisdictionis*, nomine. Alterum illud *commune*, quod caeteroquin in vocem תעדר non minus bene quadraret, notioni *conventus* postponendum esse decrevimus, quod satis quidem bene et apte dicatur *commune Bullensium*, non item *Bullenses commune Zeugitanorum*, cum illud *commune Zeugitanorum* ad exemplum illius Tulliani *commune Siciliae* de tota provincia accipiendum esset, non de solis Bullensibus, quorum nomen praecedit.

Probavimus igitur, quantum ejus fieri poterat, literae Daleth controversae potestatem, ut לְהָעֲדָלָה legendum esse constaret: nunc in illius vocis naturam paullo

al-

altius inquiramus. Est Infinit. in Hithpahhel a verbo עָדַל, quod apud Arabes in Sp. V rariorem significationem habet nostro loco aptissimam; nempe a notione *paritatis*, *aequitatis*, in subst. عَدْلٌ, descendit in Sp. II illa *duas res ad trutinam examinandi et par pretium utrique statuendi*, hinc in quinta (quam a Giggejo et Castello memoratam in meis Camousi exemplaribus desidero) *aequali et pari pretio fuerunt res.* Exemplum ex Beidawii in Corani Suram CXII commentario laudavit Castellus, quod in MSS. Bibl. publ. 120 et 395 sic sonat: جاء في الحديث انها تعدّل ثلث القران, *in traditione fertur illam Suram pari pretio esse ac tertiam partem Corani*, quam ῥῆσιν in suis ad istam Suram notis ita laudavit Maraccius, quasi ipsi Beidawio adscribenda esset, non traditionis auctoribus. De reliquis duobus Sp. V exemplis a Castello citatis ex Avicenna, hoc obiter moneo, altero loco p. 12. vs. 36 de *aequabili et justa aëris temperie* Sp. V. dici, altero p. 18. vs. 14 non quintam occurrere, sed octavam, quae pariter nec a forma nec a probabili potestate hujus vocis Phoeniciae abhorret. Nam et illa est passiva secundae et possumus aequo jure legere לְהִתְעַדְּלַת, ut sit Inf. in Ethpehel. Neque enim post tot Aramaeismos, qui in variis monumentis Poenorum nobis jam occurrerunt, hanc speciem illis abnegare quisquam poterit. Jam sive hoc sequaris, sive nobis calculum adjicias priorem explicationem praeferentibus, ad sensum perinde est, et utrobique significabitur *compensatio* vel *retributio*, quae benignitati Dei vinearum fecunditatem augentis ex aequo respondeat. Huic substantivo adjectivum adjungitur עמת, extremum inscriptionis vocabulum, cujus admodum certae sunt literae. Hoc vero עָמַּת pronuntiandum videtur et purum putum esse Arabicum عَامَّة, *communis*, *publicus*. Aleph quiescens hic supprimitur, ut in participio verborum Chaldaeorum, quod plerumque quidem est formae דָאֵק, rarius defective דָק scribitur, ut nostrum עָם, cujus femininum עָמַּת hic terminationem habet prorsus Arabicam, nec Hebraeis Aramaeisve extra statum constructum in hoc quidem nominum genere admissam.

❋

LIBER SECUNDUS.

EXPLICATIO INSCRIPTIONUM ALIQUOT PHOENICIARUM, MAGNAM PARTEM INEDITARUM, QUAE APUD EXTEROS ASSERVANTUR.

§. 1.

Magna est difficultas, singulares sunt literarum formae duarum inscriptionum Melitensium, quarum apographa nobiscum humanissime communicavit Vir Clarissimus Stephanus Quatremerius. Harum altera, quae tabulae lapidis Melitensis ordinarii insculpta et circa ea loca reperta esse dicitur, ubi quondam caput insulae stetit, integra, altera imperfecta et mutila est. Caeterum inventae sunt ambae ante hos sex circiter annos, ut ex Lancii Linguarum Orientalium in Bibliotheca Vaticana interpretis libro A. 1825 Romae edito intelleximus, cui titulum fecit: *Di un Egizio monumento con Iscrizione Fenicia e di un Egizio Kilanaglifo con cifre numeriche.* Ubi p. 63 horum monumentorum delineationem penes se esse affirmat, et in tabula in ipso operis initio proposita nonnullas integrae inscriptionis literas vulgavit, addens se utramque edituram fuisse, nisi a longo tempore constituisset nullum omnino edere scripturae veteris monumentum, quod non ipse vidisset, aut cujus accuratam imaginem gypso expressam non haberet. Quod viri eruditi consilium uti minime improbandum censemus, ita ab earum inscriptionum, quarum sententiam nobis assecuti esse videmur, editione nequaquam abstinendum esse putavimus, quamvis inter nostrum apographum et Lancianum nonnihil discriminis intercedere ex literis ab eo aeri insculptis agnoverimus. Initium ducimus igitur ab eo lapide, qui nihil lapsu temporis detrimenti passus est. Illius verba in Tabula nostra tertia primo loco posita, sic legenda et vertenda esse existimamus.

נְצָב

נצב נללא
בעל אללן (?אלנן)
סלהה לב-
-על חמן א-
-בן אשר יע-
-רל דברן

Posuit Nolela, dominus Elalensium, (vel *Allonensium*) *expiandi caussa Baäli columnam lapideam, quoniam incircumcisus est sermone* (i. e. *quoniam balbutie laborat*).

Est igitur hic etiam lapis, non ut Lancius l. l. arbitrabatur, sepulcralis, sed si quid video, votivus, quam opinionem interpretationemque nostram, idoneis rationibus, ut mihi quidem videtur, argumentisque fultam, nunc age luculentius lectoribus explicemus et probare conemur.

Jam primi versus quatuor priores literas Nun, Tsade, Beth et Nun esse, nemo, ut equidem puto, inficias ibit. Quapropter vel נִצַּב pronuntiari poterit quod comparetur cum Arabico نصب, *posuit*, *constituit* (nam in Hebraismo Kal non exstat, in reliquis dialectis hac significatione non reperitur) vel legi נִצְבָן cum Nun servile et verti στήλη, ut synonymum sit מַצֵּבָת. Sed, ut omittam in nulla linguae Semiticae propagine vocis נצבן vestigia superesse, quod aliis forsitan magni momenti esse videatur, mihi non item, vocabulorum consecutio et constructio certe hanc explicationem respuit. Ergo נצב praeferendum et proxima Nun ad nomen proprium referenda est, quod nos *Nolela* efferendum esse putamus. Hanc enim vocem revera nomen illius esse, qui lapidem posuit, contextus totius inscriptionis satis evincit. Quippe nec Dei, cui donarium sacratum fuit, potest esse appellatio, nec ipsius donarii; cum utriusque deinceps memoria occurrat, nec etiam Lamed dativi ab initio adsit, quae adesse deberet, si proximum בעל Numinis nomen foret, et vox praecedens, vel illius titulum contineret, vel epitheton. Praeterea nisi hic dedicantis nomen quaeramus, nusquam erit, cum reliqua inscriptionis pars illud certissime non contineat. In literis vix haerere possumus, cum secunda et tertia non differant a tertia vocis בעל, bis in hac inscriptione repetitae. Quartam vero Aleph esse nos dubitare non sinit cum character formae universe spectatae, tum comparatio vs. 5. l. 3, ubi eadem figura cernitur, quae si ibidem quo-

que

que loci ut Aleph sumatur, manifesta futura est totius monumenti sententia. Quam significationem vero illud נִלְלָא habeat, equidem certo definire non ausim. Thema נלל non exstat, ergo reduplicata forma est a נול, aut forte, quod paene malim, contractum est nomen ex נִל אֶלָא, i. e. *donum Dei*, quod quam solenniter fiat nemo ignorat. Vox נִל mihi est Arabicum نُوْل, *donum*, a نال, *largiri*; אֵלָא vero servatum est apud Hebraeos, I Reg. c. V. v. 18, ubi patris Simeï nomen est. Sed eo loco, uti in reliquis, ubi cognatum אֵלָה occurrit, potius *virum fortem*, *heroëm*, (non *terebinthum*, uti Simoni placuit in *Onomast. Vet. Test.* p. 229) significari puto, quam *Deum*. Caeterum forma eadem est: nam utrobique Aleph vel He paragogica adjecta esse videtur. Est igitur synonymum Graecorum Θεόδωρος et Θεόδοτος et Hebraicorum זְבַדִיאֵל, יְתַנִיאֵל, מַגְדִיאֵל, Arabici هِبَةُ اللهِ, et forte etiam Punicorum Maherbal et Merbal, de quorum probabili significatione inferius Libro quinto commodius disputabitur.

In secundo versu, quem בַּעַל אֶלְלָן, vel בַּעַל אֶלְנָן, pronuntiavimus, quatuor priores literae certae sunt: de reliquis, uti vides, dubitatio est. Priores duae maximam convenientiam formae habent cum litera Lamed, qualis in primo versu quinto loco cernitur, nisi quod magis perpendiculariter sculptae sint. Plane eadem figura nobis offeretur postea, in ipso inscriptionis nostrae fine, ubi tamen Lamed esse non potest. Cum enim certissimum sit, tres illas literas, quae ultimam praecedunt, esse Daleth, Beth et Resch, et דברל sensu careat, aut hoc admittendum est, extremam partem inscriptionis mutilam esse, et Lamed ad sequentem vocem pertinere deperditam, quod secus esse ipsa lapidis integritas demonstrat; aut eum characterem Nun efferendum esse: quippe quam literam sensus unice postulet. Regnat igitur etiam his in figuris eadem confusio τῶν Lamed et Nun, quae in aliis perfectioribus et vulgatioribus earumdem literarum formis ubique cernitur. Qua de caussa hic in nomine proprio incerti sumus, utrum Lamed an Nun praeferendum sit; praesertim cum inscriptionis nostrae de duplici illius characteris potestate indicium etiam alia monumenta confirment. Exstant enim inter nummorum Phoeniciorum inscriptiones istius literae forma insignes, duae, in quarum altera certissime Lamed est, in altera verosimiliter Nun explicari debet. Prior nummus describitur a Mionneto inter Berytios T. V. p. 335. n. 3; literas in illius Tab. XXIII. n. 10. in nostra IV. n.

n. 8 delineatas, equidem pronuntio לבחרן, et reddo *Berytiis*, vel *Berytiorum*. Quae explicatio si multis ab initio displiceat, Berytum, sive Βηρυτὸν, Arab. بيروت, ex Hebr. בארות repetentibus, urbemque a puteis dictam esse existimantibus, minime equidem mirabor. Haec enim nuper admodum mea quoque sententia fuit, eademque plerisque Viris doctis placuit, cum mira vocum inter se conspiratione, tum locorum aliorum a puteis dictorum comparatione, firmata, in quibus ut de aliis taceam, apud Hebraeos est בארות, urbs Benjaminitarum memorata Jos. c. IX. vs. 17, c. XVIII. vs. 25, II Sam. c. IV. vs. 2, Esra c. II. vs. 25; item ברותי II Sam. c. VIII. vs. 8, vel ברות Ezech. c. XLVII. vs. 16, urbs Syriae Zobaeae, quae uti verosimiliter nomen habuit a puteis, ex בארות et בארותי contractum, ita male cum Beryto confusa est a Michaëli *Suppl. ad Lexx. Hebb.* p. 1233 sq., quem bene refutavit in Archaeologiae biblicae enchiridio Germanice scripto T. I. P. II. p. 292 sq. Rosenmullerus. Habent vero illi, qui scriptionis בארות in Beryti nomine confirmationem quaerunt, quod laudent, testimonium Stephani *De Urbibus*, v. Βηρυτός; haec inter alia referentis: Ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ εὔυδρον· Βὴρ γὰρ τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς. Ἱστιαῖος ἐν πρώτῃ τὴν Ἴσχυν Βηρουτὶ (lege cum Bocharto in *Canaän* Lib. II. p. 743. Βηρούτ, vel, si mavis, Βηρούθ) Φοινίκας ὀνομάζειν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν, ὡς Ἑλλάδιός φησιν. Quam posteriorem explicationem, etsi Scaliger in notis ad Eusebium p. 121 rejiciendam existimat, egregie confirmatam videmus nummi illius Phoenicii auctoritate. Licet enim in vocum barbararum significatione tradenda veteres haud satis accuratos fuisse constet, ut nonnunquam difficile sit statuere quid respexerint, at nihilominus illud ἴσχυς, cum nummi inscriptione לבחרן a nobis lecta collatum, ostendit vetustis illis vocis Βηρούτ interpretibus, non, ut Bochartus arbitrabatur, formam aliquam בירות. per aphaeresin ex אבירות ortam, sed aliam ante oculos fuisse, Hebraicae בחורות, quae *aetatem juvenilem*, *robur aetatis* notat, vicinam, quam בחירות fuisse, et postea in בירות (ore vulgi, omnes literas gutturales confundentis) contractam fuisse suspicor, unde Arabicum بيروت ortum sit. Illud בחירות vel, quod perinde est, בחרות, quod equidem non tam *robur*, quam *electionem*, vel *locum electum*, reddendum arbitror, Graecis literis scriptum peperit Βηρούτ vel Βηρυτός. Etenim, ut ipse literarum ordo alphabeticus satis superque demonstrat, Ἦτα τῷ Chet respondet, et pleni sunt Alexandrinae versionis libri nominum propriorum, in quibus nulla plane ratio literae Chet, sed vocalis tantum ei adjunctae, habita est. Sic, ut hoc

 utar,

utar, pro בְּחוּרִים, (quod nomen loci origine, et forte significatione, nostro בְּחֵרוֹת vicinum est) ponunt Βαουρίμ II Sam. c. XVI. vs. 5; c. XVII. vs. 18; pro גֵּחַר, Γαὰρ Ezra c. II. vs 47, Nehem. c. VII. vs. 49. Ergo Ἦτα in voce Βηρυτ, vel pro Chet substituta est, vel, quod malim, exprimit vocalem Tseri, vel Chirek, huic literae adjunctam. Quod autem a בְּחֵרוֹת fiat gentilitium בְּחֵרִים, vel, ut in nummo legitur, בְּחֵרֵן, extrita terminatione feminina, id plane secundum dialectorum Hebraicae et Arabicae est analogiam. In hac enim illa terminatio feminina elidi et مَكِّيّ aut مَدَنِيّ a مكة et المدينة duci solet, in illa forma vocis, vel integra servatur, vel elisionem patitur. Sic a בְּאֵרוֹת est בְּאֵרֹתִי, II Sam. c. IV. vs. 2, 3, c. XXIII. vs. 37; at בֵּרִי pro בְּאֵרִי, II Sam. c. XX. vs. 14; a גְּדֵרָה derivatur גְּדֵרָתִי I Chron. c. XII. vs. 4 et גְּדֵרִי c. XXVII. vs. 28, et quae alia hujus generis exempla colligi possunt ex Simonis *Onomastico* p. 375 — 386, cui adde Sacyum *Gramm. Arab.* T. I. p. 240. §. 647, et Gesenium in *Lehrgeb. der H. S.* p. 515. Vides igitur eam nominis Beryti scripturam maxime verosimilem esse, quam nummi non solum, sed historicorum etiam vetustate et auctoritate principum a Stephano laudatorum, testimonium confirmat. Quorum alter est Histiaeus Milesius, rerum Phoeniciarum scriptor, allegatus a Josepho *Ant. Jud.* Lib. I. c. IV. p. 11 et c. V. p. 12, alter non Helladius (Ἑλλάδιος) Grammaticus, qui quatenus ex Chrestomathiae illius excerptis a Photio servatis, judicare possumus, de ejusmodi rebus nihil tradiderat; sed Hellanicus (Ἑλλάνικος), cujus nomen fidenter restituo, Herodoto suppar, multiplici rerum barbaricarum scientia insignis, et saepe citatus a Stephano. Hic nempe aptum locum habebat, ubi ista narraret, sive in ἐθνῶν καὶ πόλεων κτίσεσι, sive in ἐθνῶν ὀνομασίαις, quae inter ejus opera a veteribus censentur. Ethnographi corruptio Berkelium latuit, qui tamen eandem plane medelam Stephano adhibuerat in Ἀγβάτανα, item Sturzium, de permutatione nominum *Helladius* et *Hellanicus* disputantem in *Fragm. Hellanici Lesbii* p. 36, *novae edit.* Sed haec Philologi dijudicent: nobis hoc maxime consilium fuit, ut et vere a nobis לְבֵּחֵרֵן legi demonstraremus, et nulla adeo dubitatio superesset de potestate literae Lamed, figurae quintae et sextae secundi versus Inscriptionis Melitensis tribuendae.

Minus certum, sed haud improbabile tamen est argumentum, quod ex alio nummo ducimus ad vim literae Nun eidem figurae vindicandam. Occurrit is inter Mionnetianos pl. XXII. n. 27 et 28, T. III. p. 667, n. 669 et ab altera parte habet ca-

caput galeatum et barbatum cum inscriptione delineata T. IV. n. 9, ab altera Jovem sedentem et in sinistram conversum, cum literis in Tab. IV. n. 10 propositis. In utraque epigrapha exprimenda sulfurcorum ectyporum fidem secuti sumus. Priorem legendam esse conjicio בְּלַד לְרַנְדִן, *urbs*, vel *regio*, *Larandensium*, posteriorem vero בְּעֵל [לְ]רַנְדֵּר, *Deus Larandorum*. Quae lectio quam parum certa sit, satis ipse sentio: at hoc tamen omnes mecum agnoscent post vocem בעל, de qua ne levissima quidem potest esse dubitatio, verosimiliter urbis nomen positum esse: quemadmodum hoc fit in nummo Tarsico inferius a nobis attingendo, in quo recte literas Jovis solio suppositas בעל תרז (vel forte תרין) legit post alios Koppius *B. u. S. der V.* T. II. p. 243. Jam si probari possit tres literas, quae ex illa voce servatae sunt, easdem esse cum tribus mediis vocabuli a nobis לְרַנְדִן pronuntiati, in ultima litera terminationem pluralem nominis gentilitii, i. e literam Nun quaerendam esse apparebit: nam de litera Mem hic nemo certe cogitabit. Haec igitur ut quantum pote accuratius declarentur, primum oculos referamus ad epigraphen integram et vocem בְּלַד explicemus, cujus primam literam nonnulli Beth esse negabunt et Resch esse contendent: at partim hinc oriretur vox nihili רלד, reliqua enim vocis elementa satis certa sunt, partim tanta fuit, (ut ex multis jam exemplis constat), in literis Beth, Daleth et Resch distinguendis negligentia, ut hac de re non multum laborem, nec, cum Beth sola ex tribus loco apta sit, eam huc referre dubitem. Sed dicat aliquis vocem בלד solis Arabibus notam esse. Cui objectioni tollendae haec observatio sufficeret, complures voces jam nobis occurrisse aliasque deinceps a nobis prolatum iri, quae solis Phoenicibus cum Arabibus communes sint: at profecto non opus est ad hanc caussae nostrae defensionem, tamquam ad sacram anchoram, confugere. Hoc enim vocabulum Aramaeis Phoenicibusque in Aramaeismum pronioribus olim in usu fuisse duarum urbium nomina demonstrant, alterius in Mesopotamia circa Mausalam sitae, et ex Lexici Geographici testimonio antiquissimae (قديمة), quam hodieque Arabes بَلَّد appellant, alterius in Seleucide Syriae collocatae et a Stephano Βάλδος vocatae, de quo loco inanis exstat conjectura Berkelii Stephanum in depravatum alicujus scriptoris locum incidisse, et Πάλτος potius efferendum esse, quia scilicet illud nusquam legerat, hoc apud Strabonem et ipsum Stephanum repererat. A qua opinione procul dubio abstinuisset, si Arabes inspicere potuisset, qui urbem his in locis memorant بَلْدَة, Gabalae vicinam, quam inter et Balaneam etiam Paltum collocant Strabo L. XVI. p. 753,

et

et Tabula Peutingerana *Segm.* X. D. Scriptura receptior Παλτὸς ex parte originem debuisse videtur diversae nominis Phoenicii scripturae, cujus in Mesopotamicae urbis nomine vestigia adhuc servata sunt. Hanc enim non بلد tantum, sed بلط quoque, scribi notat Lexicon Geograph. Quamvis autem mirum videri possit urbem aliquam κατ' ἐξοχὴν בלד, vel בלדה, appellari, habemus tamen illius rei exemplum in voce קרית apud Hebraeos, quod urbis Benjaminiticae nomen est Jos. c. XVIII. vs. 28. Jam transeamus ad alteram inscriptionis vocem לרנדן, in qua prima tertiaque litera maximam difficultatem habet. Prima varias interpretationes admittit. Si enim formas hucusque notas perlustres, Gimel, vel Waw, vel Phe etiam, pronuntiare poteris. Sed aut fallor, aut si aliquam ex istis literis elegeris, nullam satis aptam vocis explicationem reperies. Aliam igitur viam persequendam esse putavi et cum nummorum sculptores saepius in eo errasse animadvertissem, quod literas, alias sinistram spectantes falso in dextram, alias in caput vertissent (vide supra p. 21 et Koppium T. II. p. 141 et 191), non video quid obstet quominus hic utrumque errorem conjunxerint, quo admisso res facillime expedietur. Sic enim ᒉ vel ſ ortum sit ex ʟ, quod satis notum τῆς Lamed signum est, idemque hic acciderit, quod cum aliis in locis, tum in nummo Mionnetiano Tab. XXII. n. 14 cernitur, ubi ea figura literae Lamed et Nun, in qua firmanda et probanda dudum versamur, deorsum versa est. Quod nisi hujus literae locus in aversa inscriptione vacaret, haberemus fortasse aliquid, quo nostram sententiam probaremus, quemadmodum hoc in sequentibus elementis haud infeliciter tentari potest. Sequentem enim lineam perpendicularem revera Resch esse atque adeo confirmare potestatem secundae figurae in voce לרנדן, ex nummorum Tyriorum comparatione perspicimus. Cf. Koppii tabulam nummorum Tyriorum et Sidoniorum T. II. p. 212. Similiter quartam ejusdem vocis literam non esse Beth, sed Daleth negligentius exaratum, ex ultimo aversae inscriptionis elemento intelligimus. Quibus omnibus de caussis haud parva cum veri specie a nobis בלד לרנדן lectum nummumque Larandis tributum esse existimamus, Lycaoniae urbi, vel Isauriae, quae hodieque nomen retinet, quamvis vulgo Karaman appelletur, et ad radicem Tauri in ipsis pene Ciliciae confiniis sita est. Cf. Leake *Journal of a Tour in Asia Minor* p. 98 et vide egregiam tabulam Geographicam libello additam. Graeci nomen in plurali efferunt, unde haud immerito quis existimaret לרנדן non civium, sed urbis, nomen esse, nisi obstarent vestigia vocis לרנד ab altera parte lectae. Caeterum silentio premendum non est, etiam aliam esse urbem Asiae Minoris, cui num-

nummus iste haud inepte tribuatur, Labranda Cariae, quod oppidum imprimis cultu Jovis celebratum fuisse testantur veteres. Vide Herodot. L. V. c. 119, ibique interpr. et Jablonskium in *Opusc.* T. III. p. 87 sq. 100 sq.

Eligant ergo eruditi ex duabus istis opinionibus utram velint; nobis figurae, de qua disputamus, potestatem literae Lamed vindicasse suffecerit. Restat ut idem praestemus in postremo hujus vocis versusque elemento (cujus inversae exemplum jam superius adfuit in prima Zeugitana inscriptione vs. 2. l. 1) et ut ostendamus hanc literam, ut forma, ita significatione, a litera nostra N non esse diversam. Hoc igitur ipsum duplicis nummi Phoenicii auxilio ita probari potest, ut nihil ad certam rei demonstrationem desit. Inter nummos nempe Mionnetianos Tab. XXII. n. 20 et 21 censentur duo Cilicii, quorum alter descriptus T. III. p. 663. n. 649, in parte adversa habet Herculem stantem et dextrorsum conversum, brachioque dextro innixum clavae, sinistra manu arcum tenentem; in aversa leonem cervum devorantem et pariter in dextram conversum, cum inscriptione quae Tab. IV. n. 11 legitur, alter eadem pagina memoratus n. 647, et eodem typo insignis, nisi quod Hercules dextrorsum incedat et clavam elevatam teneat, literas affert delineatas Tab. IV. n. 12. Vides literas nullam plane difficultatem habentes, si alterius inscriptionis elementum secundum, alterius tertium exceperis. Hoc igitur si Nun esse ponamus, lectiones inde orientur לְעֵנְבַעַל et עֵנְבַעַל. Quod si viri nomen fuerit, reddendum est *oculus Baälis*, et planissime confirmatur ex comparatione Inscriptionis Zeugitanae II, item tesserae hospitalis, editae in *Siciliae et objacentium insul. inscript. nova collect.* p. 70, in qua reperitur nomen ΙΝΙΒΑΛΟΣ, male relatum ad Hebr. נָבָל a Bellermanno in programmate *de Phoenicum et Poenorum inscript.*, edito Berolini 1810. Vocabuli lectionem et explicationem tuetur nomen proprium Bybliorum Regis, Alexandri aequalis, *Enylus*, quod mihi videtur probabiliter legi posse עֵינָאֵל, i. e. *oculus Dei.* Qua in re ratio habenda est pronuntiationis Phoenicum, vel Poenorum, in sonum U vel Y pronioris, ut observat Gesenius *Gesch. der H. S. u. S.* p. 226. Nam proprie *Enelus* esse debebat. De Enylo cf. Arrianum *de Exped. Alex.* Lib. II. c. 20. Sed fluvii etiam nomen esse potuit: cum ענבעל pariter sonet *fons Baälis*, sive illud interpreteris διϊπετὴς ποταμὸς, sive existimes fontem Baäli, i. e. Soli, sacratum, et hinc oppidum fonti proximum designari, quemadmodum hoc factum est in عين شمس, sive Heliopoli Aegyptia, et עין שמש Palaestinensi Jos. c. XV. vs. 7. Compa-

pa-

parari etiam poterit Belus flumen, quod in sinum Ptolemaïdis se exonerat, procul dubio antiquitus נהר בעל appellatum. Apparet autem ex varietate inter n. 20 et 21 de situ literae Nun illius minime esse laborandum et nihil ad rem facere utrum nostrae Nun sit similis, ut in n. 20 et Inscr. Melitensi, in qua explicanda versamur, an inversa, ut in monumento Leydensi, an denique in latus prostrata, uti in n. 21. Postremae figurae etiam in contrarium latus incumbentis exemplum est, in nummi, ut videtur, Tarsensis inscriptione apud Mionnetum edita, T. XXII. n 31.

Sic igitur ex complurium nummorum comparatione trium figurarum in extremo vs. 2 inscriptionis Melitensis occurrentium, item elementi in ipso ejusdem fine obvii potestas, vel aperte probata, vel, si mavis, non sine verosimilitudine lectoribus commendata est. Quodsi quis roget, quinam igitur illo nomine אללן, אלנן, אננן vel אנלן significentur, ipsos Melitenses designari nobis videri dicemus et opportune huc advocabimus nummum Phoenicium a plerisque ad Gaulon, vel Meliten, relatum, et jam in priore Diatribe p. 29 sq. a nobis obiter tactum, tum quidem vehementer dubitantibus, quid de inscriptione 𐤀𐤋𐤋 statuendum esset. Cujus pecuniae testimonium cum hujus inscriptionis consensu jam confirmatum sit, mihi quidem jam paene certum videtur hujusmodi nummos ad Meliten referendos esse et literas illas ipsum insulae nomen continere, sive אלל legantur, et ea vox incertae notionis componatur cum aliis appellationibus itidem Semiticae, ut puto, originis, ut Alaliae Corsicae et Alalis Palmyreni agri urbis; sive lectio praeferatur in dissertatione nostra l. l. proposita אלן, et in hac inscriptione אלנן efferatur: ut insula nomen traxerit a gregibus (אלים quippe sunt *arietes*, ut אלון, quamvis h. s. non exstet, possit esse *arietum frequentia*) vel a terebinthorum nemore, instar urbis Danitarum אלון Jos. c. XIX. vs. 43. I Reg. c. IV. vs. 9 memoratae; nisi quis pronuntiare malit אלון et alius arboris nomen hic quaerere, cujus in Hebraeorum scriptorum reliquiis iterata mentio occurrit. Veteres unanimi fere consensu eam *quercum* esse volunt, quamvis Graecus Interpres Ezech. c. XXVII. vs. 6 *pinum* esse censuerit: at antiquarum versionum hac in re nulla est auctoritas, nec quidquam colligi potest de vera natura arboris ex locis ubi memoratur, nisi haec pauca, eam inter majores et validiores censeri cedroque parem haberi et imprimis in Basanitide crescere, tum, ut ex l. l. Ezechielis apparet, remos inde confectos esse a Tyriis, cui usui profecto rami quercini minus apti sunt, aptiores vel pinci, vel frax-

fraxinei, quippe qui et validi lentique sunt et recti, quare, etiam hastae ex fraxinis confici solebant. Quod denique de אלון narratur, Jes. c. XLIV. vs. 14 sqq. eam idolis conficiendis et foco alendo inservire, id quamvis in quercum bene quadret, non minus tamen fraxino tribui potest. Etenim hujus quoque lignum recens facile in varias formas elaboratur, quamvis lapsu temporis durum et firmum evadat, nec ullum est lignum viride, quod tanta cum vi ignem admotum rapiat. Haud sane igitur multum abest, quin ego ipse caeteris praeferam lectionem אלון insulamque a fraxinis nomen tulisse existimem, quas primi Phoenicum coloni ibi forte frequentes repererunt. Huc enim Graecum quoque nomen Μελίτη spectare videtur, quod nonnisi versionem esse suspicor appellationis Phoeniciae: quippe μελίτη (scil. νῆσος) proprie est femin. a μέλιτος, quod descendens a μελία, *fraxinus*, vulgo quidem in Lexicis non occurrit, illius loco μέλεος offerentibus; at exstitit tamen, ut ex his Hesychii verbis, quamvis depravatis, intelligitur, Μελίη ὥσπερ μέλι εἶδος δένδρου, ὅθεν τὰ μέλιτα, ubi recte videtur correxisse Albertius Μελίη ὥς· ὥσπερ μελία κ. τ. λ. Vellem idem addidisset quid sint μέλιτα, cujus vocis derivationem a μελία video, at significationem non agnosco. Haec igitur, quam dixi, mea de nomine Melites Phoenicio et Graeco conjectura est: quae nisi vera sit, at verosimilior tamen eruditis videbitur opinione Lancii, qui in sua de inscriptione Carpentoracteusi dissertatione Italica p. 55 sqq. nummi illius Melitensis ἐπιγραφὴν אלל (ut ipsi legendum videtur) ex אילאל *Deus aries* (i. e. Hammon) contractum putat, quod non diversum sit scilicet a nomine celebratissimo הילל apud solum Jesaiam c. XIV. vs. 12 conservato!

Tertii versus, ad cujus interpretationem nunc procedendum est, quatuor primae literae scribendae sunt סלחה vel סלחת. Ut enim tres radicales certae sunt, ita quarta terminationem femininam continens ambigua est: cum nempe linguae primaevae regulae literas quiescentes אהוי feminino generi absoluto, Tau utrique et absoluto et constructo designando dicassent, easque terminationes omnes una Chaldaïca dialectus conservasset, nihil prohibet quominus eadem varietas in lingua Phoenicum obtinuerit. Quare eo in loco ubi figura hucusque ignota femininum genus designat, libera inter quinque literas optio foret, nisi omnium monumentorum Phoeniciorum hucusque explicatorum consensus hoc potius suaderet, tres tantum terminationes א, ה et ת in usu fuisse atque adeo hoc loco inter duas posteriores optandum esset, cum figura τῆς Aleph prorsus diversa saepius in hoc monumento occur-

currat. Jam quibus vocalibus ista vox ornanda sit certo definire non possumus, quamvis de ipsa significatione abunde constet. Quippe verbum סלח apud Hebraeos solam habet *condonandi* et *remittendi* notionem, quae etiam in derivatis סַלָּח, *condonator*, et סְלִיחָה, *condonatio*, cernitur. Haec igitur radix apud Samaritanos, sive in Pehal, sive, quod paene suspicor, in Pahhel, nam ex locis in Lexico Castelliano laudatis illud effici non potest, respondet Hebraeo כִּפֵּר, *expiavit*. Hinc סלוחה apud eosdem est *sacrificium expiatorium*, λύτρον, quemadmodum סְלִיחוֹת et סלחות de *precibus expiatoriis* apud Chaldaeos dicuntur. Quodsi alterutram formam, vel Chaldaicam, vel Samaritanam, huc referamus, analogia linguae Hebraicae hic suadet ut ultimum illum characterem vocabuli potius He quam Tau esse putemus et סְלֻחָה, vel סְלָחָה pronuntiemus, nisi סְלֻחֹת vel סְלָחֹת efferre malis, in plurali ad normam prioris vocis Chaldaicae. Utcumque scribas semper significabitur *donum propitiandi caussa Deo oblatum*.

Quid autem numini nomen fuerit et quale donum ipsi consecratum sit ex sequentibus intelligitur verbis, לְבַעַל חַמָּן אֶבֶן, *Baäli columnam* (στήλην) *lapideam*. De potestate literarum hic nullum dubium oriri potest, quamvis forma τῆς Nun in voce חַמָּן in meo apographo nonnihil a vulgari deflectat et ad Caph accedere videatur, qualem Koppius exhibet T. II. p. 216. fig. 4. Nam omnem difficultatem tollit cum exempli Lanciani, majore, ut videtur, cura facti, comparatio, tum Lancii et Gesenii in eo elemento pronuntiando memorabilis consensus. Quorum alter in libro Italico superius a nobis allegato octo priores horum vocabulorum literas exhibens in tabula operi praefixa, figuram illam controversam ita exaravit ut illius potestas manifesta sit, etsi inscriptionis particulam, perversa divisione instituta, male legit לְבַעַל חַמֹּנָא explicatque de Hammone Deo Aegyptio. Quamvis enim Aegyptia sacra ex Melita insula non exulasse complurium antiquitatis reliquiarum auctoritas declarat, hanc tamen opinionem evertunt reliqua vocabula, quibus hac lectione admissa nullam satis aptam sententiam tribuere poteris. Sic enim sequetur בֵּן אֲשֶׁר יַעֲרַל דִּבְרָן, *filio illius*, *qui impeditus est sermone*. Nisi forte Lancius extrema aliter explicans, in illo אשר nomen proprium latere contendat. Tum igitur nomen Dei hic habebimus, nec reperiemus in quem hae literae conveniant prae-

praeter Osirin (אֹשֵׁר), qui tamen alias, ut infra apparebit, אסר efferri solet, et Deus Amun, quem hucusque omnes, veterum scriptorum et monumentorum testimonio freti, Osiridis patrem esse existimaverant, hic inexspectato in illius filium transformabitur. Quapropter lectionem Lancianam tantisper repudiandam esse censebimus, donec validis argumentis nos edocuerit auctor reliqua etiam falso a nobis explicata esse. Propius ad nostram legendi rationem accedit sententia Gesenii, qui in praefatione ad novissimam Lexici minoris Hebraici editionem p. xxx, item nuperrime in dissertationis nostrae Punicae epistolaeque ad Rochettium datae censura (*Hall. Literaturzeit.* May 1826. p. 51) eandem vocum divisionem secutus, sed לְבַעַל pro לִבְעֵל pronuntians, voces בַעַל חַמָן de *Deo solari* explicat, vel, quod antea ipsi placuisse videtur, de *Domino columnae*, i. e. *eo, cui columna dicata est:* quarum sententiarum posterior quamvis eo nomine se commendet, quod veram vocis חַמָן significationem servat, nihilominus admitti nequit. Sic enim nomen Dei, cui haec vota fiunt, nusquam in lapide expressum foret, quem sola appellatione *Domini columnae* designatum fuisse nemo facile credat, praesertim cum בעל חמן non certi alicujus lapidis dominum (*le seigneur de la pierre* ou *de cette pierre*) significet, sed indefinita sit phrasis, et Gallice verti debeat *le seigneur*, ou *un seigneur d'une pierre.* Nec altera sententia, ex qua בעל חמן foret *Deus solaris*, satis firma est. Undenam Koppius (qui primus eam opinionem proposuit in dissertationis Punicae censura in annalibus Heidelbergensibus edita) et Gesenius didicerint *Baal Chamman* Solis titulum esse, me non perspicere ingenue fateor. Nam Amunis, vel Ammonis, Aegyptii nomen hac ratione Hebraei non expresserunt, sed illud אָמוֹן scripserunt, ut ex Thebarum nomine נֹא אָמוֹן apparet, vel הָמוֹן fortasse, si saltem, quod compluribus, et in his Gesenio, placet, urbs בעל המון ab Ammonis cultu dicta sit. Solem apud Hebraeos nonnumquam חַמָּה dici fatemur, at חַמָן inde derivandum esse Gesenius certe non statuerat, qui in Lexicis et ad Jes. c. XVII. vs. 8 illud post Lorsbachium referre maluit ad Persicam originem comparavitque cum خماناي, quod apud Persas *similitudinem*, *imaginem* notat; quapropter etiam in suis ad Jesaiae locum notis *statuam* universe potius ea voce significari dixit, quam *Solis columnam.* Quodsi postea Koppio duce, sententiam mutavit et חַמָן adjectivum esse putavit a חַמָּה, cujus opinionis etiam nobis probabilis visae confir-

 ma-

mationem deinceps afferemus, eo tamen argumento probare non poterit, בַּעַל חַמָּן *Deum solarem* esse. Ut enim brevis sim et alia argumenta omittam, quae vel ex testimoniorum defectu, vel ex eo duci possint, quod Solis nomen sacrum verosimiliter non חַמָּה, sed חֶרֶס, fuerit Phoenicibus, id unum profecto sufficere arbitror quod nomini בַּעַל, sive appellativo, sive proprio Dei, genitivus, numquam adjectivum, vel aliud substantivum per appositionem, adjungitur. Exemplo sint nomina Baälis propria בַּעַל זְבוּב, בַּעַל בְּרִית et בַּעַל פְּעוֹר, ut equidem linguae rationem habens versionem *Deus solaris*, vel *Deus sol* ferri non posse existimem. Quo hoc etiam accedit, quod probata sententia Gesenii, Nolela donarii auctor simpliciter אֶבֶן, *lapidem*, posuerit, vel dicaverit, Baäli, nullo addito indicio, qualis tandem lapis fuerit, columna, arane, an statua: quod quam parum probabile sit, omnes agnoscent, nec ipse Vir Clar. diffitebitur. Videant igitur Koppius et Gesenius, quibus argumentis suam caussam tueantur; nobis rem aliter explicare liceat. Jam, ut ex ipsa versione nostra et punctandi ratione satis intelligitur, חַמַּן אֶבֶן vertendo conjungimus, et στήλην, vel *columnam lapidis*, i. e. *lapideam*, interpretamur. Loquendi forma plane Hebraica est et comparanda cum מַצֶּבֶת אֶבֶן, Gen. c. XXXVI. vs. 14. Procul dubio autem ipsa tabula, vel potius lapis major, cui olim infixa, aut cujus pars erat, חַמָּן appellatur, de qua voce obscurissima variisque interpretationibus tentata, hic aliquanto fusius disputandum et videndum est, quid de vera illius potestate probabiliter statui possit. Quod negotium ut firmo fundamento nitatur et certa cum ratione peragatur, primum breviter de Veteris Testamenti locis agendum est, in quibus ista vox servata sit. Legitur vocabulum חַמָּנִים (singularis enim numerus deficit) Levit. c. XXVI. vs. 30, Jes. c. XVII. vs. 8, c. XXVII. vs. 9, Ezech. c. VI. vs. 4, 6, II Paral. c. XIV. vs. 4, c. XXXIV. vs. 4, 7, quibus ex locis hoc intelligitur, חַמָּנִים in sacris idololatricis solenniter componi cum אֲשֵׁרִים, i. e. *Astartes statuis*. Jam cum אשרה compluries adjungatur τῷ בַּעַל, et Jud. c. III. vs. 7 הָאֲשֵׁרוֹת ita copulentur τοῖς בְּעָלִים, ut in loco parallelo c. II. vs. 13 בַּעַל τῇ עַשְׁתָּרֹת, neque adeo, post illa quae hac de re in Lexico Majore disputavit Gesenius, amplius dubium sit, quin אשרה et עַשְׁתֹּרֶת unum idemque numen fuerit femininum Baäli masculino oppositum et adjunctum; hinc illud efficio, ubi אשרים sint

sint Astartis statuae, ibi חמנים Baälis esse στήλας, sive statuas, illis de more adjunctas, quia utriusque Numinis una eademque religio erat, unde etiam in celebri loco Jud. c. VI. vs. 25 sqq. statua Deae Ascherae arae Baälis imposita fuisse dicitur, quemadmodum II Chron. c. XXXIV. vs. 4 חמנים iisdem in aris stetisse memorantur. Quam rem profecto non mirabimur, si Dei Baälis Deaeque Astartes formam unam fuisse meminerimus lapidis conici. Cf. quae hac de re diximus in *Diatribe* nostra *de monumentis Punicis* p. 14, quaeque plura inferius ad sententiam istam firmandam allaturi sumus Libro tertio. De cujus figurae origine etsi in tanta religionis illius antiquitate et obscuritate ipse conjiciendi conatus paene temerarius videri possit, hoc tamen vero proximum esse opinor, quod nonnullis Viris doctis placuit, illam flammae symbolum esse adscendentis, eaque imagine calorem naturae omnia foventem et alentem significari. Quo factum est ut primarius etiam Aegyptiorum Deus solaris Amoun, vel Amoun-Ra, quem a Baäle naturae genitore et altore haud diversum esse suspicor, obelisci figura symbolice exprimeretur (cf. Champollion *Précis du syst. hierogl.* pl. 5. n. 84), quam a coni forma nobis ortam esse videri infra dicemus. Hinc igitur ejusmodi lapidem חַמָּן appellatum fuisse suspicor, idque nomen *flammam* designare, vel *calorem;* nisi potius inter adjectiva censeatur, quorum nonnulla in Nun desinere inter alia ostendunt רַחְמָן, *misericors*, a רֶחֶם deperdito in sing. quod in plur. notat *misericordiam*, et נְחֻשְׁתָּן, *aereus*, a נְחֹשֶׁת, *aes.* Cf. Gesen. *Lehrgeb.* p. 513. n. 15. Sic igitur חַמָּן erit *solaris*, et subintellecto פֶּסֶל, *statua solaris*, cujus vocis pluralis פְּסִילִים forte supplendum in nomine אֲשֵׁרִים, sicut מַצֵּבָה et מַצֵּבוֹת in אֲשֵׁרָה et אֲשֵׁרוֹת. Nam formae istae pp. participiales sunt ab אָשַׁר, *laetum et felicem esse.* Diversa vero ratio est locorum in solo Chronicorum libro secundo obviorum, ubi אשרים ופסלים legitur: quos per Hendyadyn explico; quasi scriptum esset, פְּסִילֵי אֱלֹהִים אֲשֵׁרִים, *sculptae imagines Deorum fortunatorum.* Nam in אשרים nonnumquam vocem אלהים subintelligi, inferius in nominum propriorum interpretatione apparebit. Designabuntur ergo *statuae faustae et boni ominis*, nempe Astartes, cujus nomen non exprimitur. In locis vero ubi אֲשֵׁרָה Deae, non statuae, nomen est, reticeri videtur גְּבִירָה, vel מַלְכַּת, vel מְלֶכֶת, *domina*, vel *regina*, quo inter alia pertinet II Reg. c. XXI. vs. 7, ubi de פֶּסֶל אֲשֵׁרָה

 ser-

sermo est. Haec igitur symbola conica, sive Baälis, sive Artartes, (hoc enim, uti vidimus, perinde est) quamvis plerumque ex lapide dolata fuisse verba שבר et נתץ, quae de illis confrigendis usurpantur, verosimile faciant, nonnumquam tamen lignea fuere, quod non tantum ex Judicum c. VI. vs. 25 sqq. intelligitur, sed ex Sanchoniathone etiam (Euseb. *Praep. Euang.* p. 33 A), sive Philone Byblio, qui de religionis apud Barbaros origine disputans, Phoenices et Aegyptios illos, qui generi humano multorum bonorum auctores exstitissent, veneratos esse scribit: ὡς θεοὺς, inquit προσεκύνουν, καὶ εἰς τὸ χρεὼν καταστάντας ναοὺς μετασκευασάμενοι στήλας δὲ καὶ ῥάβδους ἀφιερουν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν κ. τ. λ. In quibus ut Orellio non assentior in sua fragmentorum Sanchoniathonis editione p. 8 στήλας τε rescribendum putanti, ita impense miror eum malam distinctionem lectionemque hujus loci et absurdam decessorum versionem servasse, sic reddentium: *eos — divinis honoribus coluere; ac templorum usu, quae jam ante exstructa fuerant, hoc ad munus officiumque traducto columnas insuper virgasque ipsorum nomini consecrarunt.* Tu rescribe ὡς θ. π. καὶ εἰς το χρεὼν καταστάντας· ναοὺς δὲ κατασκευασάμενοι, στήλας καὶ ῥάβδους κ. τ. λ. et redde: *illos tamquam Deos adorabant etiam fato functos, templisque exstructis columnas lapideas ligneasque eorum nomini consecrabant.* Eadem deinceps recurrunt p. 35. B, ubi homines ait Memroumo et Ousoö defunctis ῥάβδους τε ἀφιερῶσαι καὶ τὰς στήλας προσκυνεῖν. Quibus in locis στῆλαι respondent τοῖς חמני אבן, ut ῥάβδοι τοῖς חמני עץ. Ergo non sine caussa materiem quoque statuae, sive columnae, a se positae designavit donarii auctor, scribens חַמַּן אֶבֶן. Haec quae hucusque disputavimus originem et usum antiquissimum τῶν חמנים quodammodo adumbrant. At lapsu temporis res insigniter mutata est. Qui enim στήλας, sive columnas, Deo sacrabant, hi prae caeteris ipsam formam Numinis symbolicam eligebant, quam imitando exprimerent, et in basi columnae dedicationis formulam exarabant. Talis erat חמן lapideus in cujus explicatione versamur, sive conicus fuerit, sive quadrangularis, et ad obeliscorum formam accesserit, quales etiam Baälis-Astartes statuas fuisse Maximus Tyrius ostendit *Serm.* VIII. p. 87, effigiem Veneris Cypriae pyramidem albam vocans. Sed imprimis forma ista τετράπλευρος conicae substituta est, cum consuetudo illa donaria inscriptionibus ornata in templis dedicandi latius serperet. Tum enim statim agnoverunt quatuor columnae latera longis formulis recipiendis aptiora esse. Quippe sensim sensimque nihil sacri aut profani relictum erat, nihil quod ad rem pri-

privatam, vel publicam, ad regum gesta, vel sacerdotum decreta', pertineret, quin istis lapidibus inscriberetur. Quarum rerum amplitudinem cum parvi illi obelisci non caperent, qui in templorum adytis atriisve steterant, quosque reliquis recte antiquiores judicat Zoëga *De orig. et usu Obelisc.* Sect. III. c. 6. §. VI. p. 174 sq., ipse obeliscum laudans Florentiae asservatum, latitudine palmari, octo palmarum longitudine Sect. III. c. 4, p. 151, cum hi ergo ista non caperent, in ipso templorum aditu posita sunt et in immensam altitudinem excreverunt, ut melius et magnitudini et dignitati rerum, quarum memoriam erant conservaturi, lapidum ipsa moles responderet. Haec igitur, quantum conjicio, rei istius apud Aegyptios origo et progressio fuit, quos inter et Phoenices haud adeo magnum discrimen hoc in negotio fuisse videtur. De quibus etsi non diserte traditur illos vicinorum Aegyptiorum exemplo immania lapidum pondera erexisse, quo memoriam sui ad posteros propagarent, at Paphiae tamen Veneris templum, si fides est imagini in nummis Cypriis servatae, argumento est etiam obeliscos majores ante Phoenicum templa stetisse. Cf. Munter *Der Tempel der Himml. Göttin zu Paphos.* p. 18 et 33 sq. Quamvis fortasse non defuturi sunt quibus ista nummorum explicatio haud satis certa esse videatur. Ut ut est hoc saltem admodum verosimile censeo, habuisse Phoenices minores obeliscos in templorum adytis positos, et signorum sacrorum ipsis insculptorum obscuritate, rerumque, quarum memoriam conservabant, momento, Aegyptiacis haud inferiores, cujus rei, ut videtur, Philo Byblius apud Eusebium p. 32. B auctor est, loco a pluribus ad illustrandum Hebraicum חמנים post Bochartum relato, ab interpretum vero nemine, quantum equidem rem assequor, satis intellecto. Ipsa verba haec sunt: *ὁ δὲ συμβαλὼν τοῖς ἀπὸ τῶν ἀδύτων εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασι συγκειμένοις, ἃ δὴ οὐκ ἦν πᾶσι γνώριμα, τὴν μάθησιν ἁπάντων αὐτὸς ἤσκησε.* Quae si recte intellexisset Michaëlis, non reprehendisset Bochartum qui primus in istis Ἀμμουνέοις Hebraicos חַמָּנִים, vel, quod eodem redit, חמנים quaesivit, (*Canaän* L. II. c. 17. p. 773.) nec huic interpretationi suum אמונים, i. e. *fidi*, *interioris admissionis*, *quibus arcanae literae concreditae*, praetulisset (*Supplem. ad LL. HH.* p. 819 sqq.) Habebat enim in istis Philonis Byblii verbis firmissimum praesidium, quo suam de obeliscis ab Hebr. חמנים non diversis tueretur sententiam. At editorum et interpretum Eusebii tanta scilicet negligentia fuit, ut corruptionem loci non agnoscerent et versionis suae, etiam nuper admodum ab Orellio non correctae, perversitate et Michaëlem et alios in errorem abducerent. Sic enim locum reddiderunt: *Ille au-*

autem (Sanchoniathon) *cum in arcana quaedam Ammoneorum volumina incidisset, quae ex interioribus templorum penetralibus, ubi antea jacuerant, educta cum obvia passim non essent, omnium sententiam diligenti meditatione quaesivit.* Nos, ἐπὶ pro ἀπὸ reposito, sic vertimus: *Ipse omnium rerum scientiam sua opera adipisci conatus est* (non contentus decessorum suorum allegoriis fabulisque, de quibus paullo ante mentionem fecerat) *eam conjectando assecutus ex iis quae arcanis Ammoneorum scriptis* (sive *inscriptionibus*) *in templorum adytis servatis composita* (vel *condita*) *fuerant, quae ab omnibus non intelligebantur.* Quibus ex verbis hoc efficio חמנים, sive obeliscos minores, quos in adytis templorum stetisse jam supra ex hujus loci auctoritate observavimus, inscriptionibus hieroglyphicis fuisse ornatos, mysteriorum doctrinarumque theologicarum, summam item rerum gestarum memoriam, servantibus: scripturae vero hieroglyphicae usum et intelligentiam mature apud Phoenices secus atque apud Aegyptios obsolevisse, ita ut Sanchoniathonis aetate jam multi essent, qui illius sensum non intelligerent, et ipse per conjecturam inscriptionum sententiam assequeretur. Quod profecto nemini mirum videbitur diversam Aegyptiae et Phoeniciae reipublicae conditionem cogitanti. Apud Aegyptios, quoad eorum religio duravit, sacerdotes omnia poterant, qui in monumentis publicis hieroglyphorum memoriam intemeratam conservabant; apud Phoenices vero ordinis sacri numquam tantam fuisse potestatem satis apparet, aut si fuit, mox illam, vel delevit, vel imminuit commerciorum amplitudo coloniarumque in longinquas terras deductio, quibus adeo rebus, quippe potentiae suae adversis, sacerdotes Aegyptios abstinere jusserant. Quo factum est ut invalescente scripturae demoticae apud Phoenices usu, characteres hieroglyphici, quippe quos nec sacerdotum studium et auctoritas tuerentur, nec scribendi ratio, multis illa impedita difficultatibus, satis commendaret, in desuetudinem abirent. Hunc enim vetustissimum literas scribendi, vel potius pingendi, modum a Phoenicibus non minus, quam Aegyptiis ab initio fuisse usurpatum, eandemque rationem utrosque in certa quadam potestate figuris tribuenda esse secutos, ipsa elementorum nomina, ipsae, quae in Punico alphabeto cernuntur figurae, luculenter demonstrant. Nomina literarum Hebraica quatenus explicari possunt, rerum sunt sub sensus cadentium; figurae nominibus respondebant, quatenus illa res ex nonnullis elementis Phoeniciis dijudicari potest; nec dubium amplius esse censeo, post hieroglyphorum phoneticorum originem tanta ingenii felicitate a Champollio-

nio

nio repertam, quin forma bovis, domus et cameli designarint literas A B et G, quia harum rerum appellationes antiquissimae אלף , בית , גימל ab istis literis incipiebant. Quapropter, ut hoc obiter notem, haud infrequenter accidit, ut propter linguae diversitatem eadem species aliam apud Aegyptios, aliam apud Phoenices vim haberet. Quod v. g. ex figuris perspicitur manus, oris et circuli, sive puncto instructi, sive eodem carentis: quae vel Solis est species, vel oculi, quarum prima literam Jod apud Phoenices, T apud Aegyptios significabat, reliquae duae illis erant Phe et Ain, his R, quia ⲦⲞⲦ, ⲣⲟ vel ⲣⲱ, et ⲣⲏ, Aegyptiis *manus*, *oris* et *solis*, יוד, פה et עין Phoenicibus *manus*, *oris* et *oculi* nomina erant. Quamvis igitur frustra sint, qui duarum gentium scripturam demoticam, quatenus ex hieroglyphis phoneticis orta sit, inter se comparent, semel tantum inventas esse literas, alteramque scribendi rationem ex altera ortam esse, sine ullo fundamento jactantes (cf. Seyffarth *Rudim. Hieroglyph.* p. 15. n. 40); utrumque tamen populum ab eodem principio in inveniendis literis progressum esse videmus, nec etiam negamus nonnullas figuras esse Aegyptias, sive hieraticas, sive demoticas, quae plane respondeant literis Phoeniciis vulgaribus, in quibus secundum He, primum, tertium et quartum Caph, et decimum quartum Samech in alphabeto Champollionano censeantur. Sed haec, siquid video, non orta sunt ex hieroglyphis, sed a Phoenicibus commodata, cum illi partem Aegypti ditione tenerent, vel commercii caussa ibi degerent. Hi enim procul dubio scripturam demoticam, quippe magis necessariam populo mercaturae, quam agriculturae, dedito, vel primi invenerunt, vel ad majorem perfectionem evexerunt, et, quod Aegyptii numquam agnovisse videntur, illam figurarum unam eandemque literam significantium diversitatem et scribenti et legenti justo molestiorem esse viderunt, easque paullatim imminutas postremo viginti duorum alphabeti elementorum numero circumscripserunt. Quod tamen sero perfectum est. Magnam enim varietatem, quae in una eademque litera nonnumquam observatur, ex primaeva illa figurarum demoticarum multitudine, a diversis hieroglyphis ortarum, repetendam esse arbitror. Haec igitur mea sententia est de scripturae Phoeniciae origine, deque caussis cur in חמנים, sive obeliscis stelisve, apud Aegyptios hieroglyphici, apud Phoenices, uti noster lapis inter alios ostendit, demotici characteres reperiantur. Neque vero in solis Phoeniciarum literarum nominibus formisque hujus disputationis fundamentum positum est, sed in diserto etiam Sanchoniathonis testimonio apud Eusebium l. l. p. 39. C, ex quo satis cognoscitur tria scribendi genera, atque adeo etiam hieraticum, Phoenicibus cognita fuis-

fuisse. Verba scriptoris haec sunt: ὢν εἷς ἦν Ἴσιρις, τῶν τριῶν γραμμάτων εὑρετὴς, ἀδελφὸς Χνᾶ τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος. Quae quantum vexarint Viros doctos incredibile dictu est. Complures, in his Orellius, in sua fragmentorum Sanchoniathonis editione p. 40. n. 108 et Seiffarthus in *Rudim. Hierogl.* p. 31. n. 82, hic quaesiverunt trium literarum novarum ad vetus alphabetum adjectionem, sed quae tandem istae literae fuerint, quamvis hariolando assequi conantur, definire nequeunt. Orellius putat ab isto Isiri tria elementa addita fuisse sedecim illis, ex quibus scilicet alphabetum vetus illud Phoenicium constiterit. At Seiffarthus dicit literas Aegyptias antiquitus fuisse viginti duas, idque cognosci ex hieroglyphicis characteribus: scripturae demoticae esse elementa quinque et viginti, atque adeo tria postmodum esse adjecta, nempe signa quibus F a P, item A ab E, et O ab A distinguerentur. De quibus omnibus ita loquitur, quasi certa et indubitata forent, neque ullam sententiae suae probationem affert. Ut brevitatis caussa cetera mittam, hoc observasse sufficiat hic agi de Phoenicum hierophantis, quibus certe numquam plures literae in usu fuerunt, quam viginti duae, non de Aegyptiis. Quo hoc accedit, quod verba τῶν τριῶν γραμμάτων εὑρετὴς certum aliquid et in vulgus notum designent. Si de totius alphabeti inventore sermo esset, potuisset articulus usurpari et dici τῶν στοιχείων εὑρετής. Quis vero ita loquatur si trium literarum mentionem faciat, nisi quales illae sint addiderit? Ergo equidem per τρία γράμματα significari puto tria scribendi genera, hieroglyphicum, hieraticum et demoticum, quorum adeo inventio ad ipsa incunabula gentis fratremque Canaänis (Χνᾶ) Isirim refertur. Quae explicatio, ut lubenter fateor, pugnare videtur cum illis, quae paullo ante leguntur variis locis de Taauto, sive Totho; ὅτι τῶν ὑφ' ἡλίῳ γεγονότων, πρῶτός ἐστι Τάαυτος ὁ τῶν γραμμάτων τὴν εὕρεσιν ἐπινοήσας, καὶ τῆς τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς κατάρξας p 31. D, item alibi p. 36. A. Τάαυτος, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφὴν, quibus tertius locus addendus est haud minus memorabilis p. 39. A. πρὸ δὲ τούτων θεὸς Τάαυτος μιμησάμενος τὸν Οὐρανὸν, τῶν θεῶν ὄψεις, Κρόνου τε καὶ Δαγῶνος, καὶ τῶν λοιπῶν, διετύπωσεν τοὺς ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας. Videntur ista de Taauto ita cum illis, quae ante laudavimus in concordiam redigi posse, ut duplex ea de re traditio fuerit, altera Aegyptia, ut ex aliorum quoque veterum testimonio constat, quae Deo Hermeti, sive Taauto, literarum inventionem tribueret, altera Phoenicia magis, quae idem εὕρημα, vel ejusdem perfectionem, et in tres classis divisionem adscriberet Isiri cuidam, Canaänis (χνᾶ) primi gentis conditoris fratri et sacrorum antistiti. Nam ex Sanchoniathonis mente Taauti inventionem intra hieroglypha substitisse ex tri-

tribus, quae citavimus locis, inter se collatis, haud immerito colligas. Quae, si quid video, simul luculentissimam continent doctrinae Champollionanae confirmationem. Hujus nempe solius beneficio intelligimus, quid ultimus iste de Taauto locus et prae ceteris memorabilis sibi velit. A Deorum quippe nominibus et formis exorsus Taautus Hieroglyphices phoneticae fundamenta posuerat (διετύπωσεν τοὺς ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας) singulasque numinum figuras singulis literis designandis dicaverat. Quod utrum per totum alphabetum perfici potuerit dubitari potest; cum credibile videatur Deorum nomina non ab omnibus, sed a nonnullis tantum, literis incepisse, at illud revera tamen in quibusdam obtinuisse, literarum Aegyptiacarum apud Champollionium series nos dubitare non sinit. Ut enim omittam, quod notum est, discum solarem, symbolicam figuram Dei Ra, sive Solis, ad literam R significandam esse translatum, nonne videmus literam A inter alias formas depingi capite accipitris, cui discus est impositus? Est vero haec imago Solis (*Précis du Syst. Hier.* p. 86) id est non tantum Dei Ra, sed etiam, ut puto, τοῦ Amoun-Ra, quatenus ille primarius Deus solaris censetur, a cujus nomine notio literae A derivata est. Idem elementum integri accipitris species repraesentat, quo Horapollo Lib. I. §. 6. Deum delineari dicit, item Solem aliaque numina. Ex quo hoc probabiliter effici posse reor, in veteri alphabeto Aegyptio, ut in reliquis quae novimus, A primum sonum fuisse, quippe signo, vel divinitatis γενικῶς, vel Numinis primarii, expressum, reliquas autem literas eo ordine fuisse positas, quo in Theogonia Aegyptiaca Dii Deaeve se invicem excipiebant, si nempe (quod nec affirmamus, nec negamus) Deorum nomina ab omnibus elementis inceperint, quibus alphabetum constat, vel olim, cum primum formaretur, constitit; neque enim necesse est omnes literarum sonos uno eodemque tempore excogitatos fuisse. Jam si plura nomina ab eodem elemento ordirentur, in loco literae assignando illius Numinis rationem habuisse videntur, quod reliqua dignitate antecelleret, etsi haec pariter ad literam designandam usurparent. Sic igitur scriptura vere sacra exorta est, omnium Deorum imaginibus constans, Phoenicibus, ut ex Sanchoniathonis loco apparet, non minus cognita quam Aegyptiis. Quo forte pertinet, quod apud Hebraeos prima litera sit Aleph, ultima Tau. Illius enim hieroglyphum potuit esse אל nomen Dei κατ' ἐξοχήν, hujus תאות, i. e. *Thauth*, omnium Deorum ministri, alphabeti conditoris, atque extremo adeo loco numerandi. Perierunt, vel nondum detecta sunt, antiquissimi aevi monumenta, quae has conjecturas confirmatura essent. Interim rei exploratio digna est quae Viris doctis etiam atque etiam commendetur. Quodsi illius accuratius persequendae otium

et voluntas adessent, alia ejusdem generis indicia et argumenta non deficerent, in quibus illud etiam numerandum esse conjicio, quod litera ϩⲟⲣⲓ *Hori* alphabeti Coptici hodieque vestigia servat nominis Dei Aegyptii Hori (ϩⲱⲣ), Osiridis et Isidis filii. Sed haec et similia aliis consideranda relinquimus, et ad reliqua duo de Taauto loca consideranda pergimus, in quibus τῶν γραμμάτων et τῶν πρώτων στοιχείων inventor fuisse perhibetur: quae verba de hieroglyphis phoneticis accipienda esse, ut mihi, item aliis visum iri arbitror. Quod vero imprimis observari velim et notari, hoc est, quod hic literae ipsae πρῶτα στοιχεῖα appellentur, quibus vocibus etiam usus est in hieroglyphica describenda Clemens Alexandrinus, dicens illam esse διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικήν. Quapropter haec Philonis Byblii verba locum illustrant, in quo exponendo nec Letronnius Vir Celeb. sibimetipsi constitit, nec Weiskius in sua ad Seyffarthum epistola illius *Rudimentis Hieroglyphices* adjecta p. 44 sq. veritatem, aut probabilitatem, assecutus est. Letronnius enim primum recte existimaverat τὰ πρῶτα στοιχεῖα ipsa esse elementa literarum, (*Précis du Syst. Hier.* p. 31), dein opinionem istam incautus deseruit in epistola libro Champollionano subjuncta p. 404 sqq., conjiciens ista formula designari primas literas sedecim secundum Graecorum traditionem a Cadmo allatas; tot enim literas simplices in alphabeto hieroglyphico reperiri. Quarum positionum posteriorem nunc quidem brevitatis caussa obiter tantum attingemus, quamvis procul dubio falsa sit, nec quidquam ad rem faciat: quippe signis hieroglyphicis intra sedecim elementorum paucitatem circumscriptis, quod aliquomodo fieri posse non plane negamus, non iidem oriuntur soni primitivi, quos Graeci nobis numerant, sed in multis longe diversi, ut quisque ex alphabeto harmonico Champollionii potest efficere. Illud ipsum porro quod de sedecim antiquis Graecorum literis ait, adeo fabulosum est et omni fundamento destitutum, ut tantum virum aliquam vim huic argumento tribuere potuisse mirer, nec vidisse illud nonnisi recentiorum commentum esse Grammaticorum, originem literarum explicare conantium. Nam alphabetum vetustissimum Graecorum ab A ad T accuratissime convenire cum alphabeto Phoenicio XXII literarum, nec postea ullas literas esse adjectas nisi ab Υ — Ω, in dubium vocari nequit, demonstravitque id luculenter admodum post alios viros doctos Gesenius in sua de lingua scripturaque Hebraica commentatione Germanica §. 44. p. 162 sqq. Quid vero de Weiskio dicam, qui aliqua ex parte posteriori opinioni Letronnianae adstipulari videtur, sed non eam in hoc loco sententiarum oppositionem quaerit, quam solam linguae rationes admittant; ut nempe ἱερογλυφικὴ διὰ τῶν πρώτων στοι-

χείων

χείων κυριολογικὴ opponatur τῇ συμβολικῇ, at longe diversam, ut nempe πρῶτα στοιχεῖα in hieroglyphicis opponantur τοῖς δευτέροις στοιχείοις, quae in solis demoticis et hieraticis reperirentur? In cujus opinionis refutatione obscure ab auctore propositae neque ullis idoneis argumentis confirmatae, alii qui velint otium suum consumant, nos illud nobis sufficere arbitramur, quod in primo loco dicatur Taautus invenisse τὰ γράμματα, in altero τὰ πρῶτα στοιχεῖα, ut haec duo unum idemque significare appareat, in tertio denique eum effinxisse sacras literas, adhibitis ad illas exprimendas Deorum formis, Taautum igitur haberi ἱερογλυφικῆς διὰ τῶν πρώτων στοιχείων, i. e. hieroglyphorum phoneticorum, auctorem. Quodsi quaeratur, quid ergo sibi velit Philo Byblius, eodem loco, quo Taauto literarum inventionem tribuit, tradens de Sanchoniathone eum πολὺ φροντιστικῶς μαστεῦσαι τὰ Ταάύτου, eum his verbis idem significare voluisse respondebimus, quam illud, quod deinceps tradit de ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασι, nempe magna cum cura ubique στήλας aliaque monumenta, inscriptionibus hieroglyphicis ornata, investigasse et perlustrasse Sanchoniathonem, ut ex illis cosmogoniae historiaeque suae materiem conquireret. Vides igitur, nos eum disputationis nostrae cursum, quem ab initio institueramus, haud improbabili cum successu confecisse. Etenim nobis propositum fuerat summam inter obeliscos Aegyptiorum et Hebraeorum חמנים ostendere convenientiam; sive originem amborum spectes, sive rationem publicam privatamve, scripturaeque hieroglyphicae in utroque monumentorum genere frequentiam, quae licet deinceps apud Phoenices eviluerit, vetustioribus tamen cognita et usurpata fuisse deprehenditur. In cujus opinionis nostrae probatione etsi paullo longius ab inscriptione illa Melitensi discessimus, profecto tamen nihil fecimus, nisi quod rei obscuritas dignitasque postularet, quippe quae potius interpretationis quandam ubertatem, quam concinnam brevitatem postularet. Nunc igitur ad reliqua monumenti, in quo explicando versamur, verba progrediendum est.

Clausulam inscriptionis, quae penultimo ultimoque versu legitur, hanc esse diximus אשר יערל דברן, sic reddendam: *quoniam impeditus est sermone*, quae sententia philologicam aliquam explicationem requiret, palaeographicam paene nullam; literarum enim forma manifesta est, si Resch et Jod exceperis, quae in unum coaluerunt, quo fit ut prioris forma paullo sit rudior, quamvis de vera illius potestate vix dubitari possit. Jod etiam, quamvis haud satis magna cum cura formata sit, universe tamen characterem servat illius literae, ut ex Koppii tabula T. II. p. 216 intelligitur. Amat autem haec litera conjungi cum praecedentibus

 vel

vel sequentibus, cujus rei exempla duo affert Koppius, alterum literarum נ in inscriptione Citiensi XVIII, alterum יב in Melitensi prima (cf. *B. u. S. der V.* T. I. p. 231, 236 et 250). In vocum explicatione grammatica primum consideranda significatio rarior vocis אשר pro על אשר, *quoniam*, *propterea quod:* cujus usus complura exempla attulit in *Concord. particul.* Noldius; quorum tamen nonnulla alio pertinent; alia, quae ad eam notionem referri debebant, diversis in locis commemorata sunt. E quibus unum tantum afferam, ut obiter locum illustrem quem veterum interpretum nemo intellexit, quique Judaeis etiam nonnullis obscurus visus est. Verba de quibus acturus sum exstant Jer. c. XVI. vs 13, ubi postquam minatus erat Deus, se Judaeos peregre in exilium esse missurum, addit summa cum ironiae acerbitate: *Ibi noctu et interdiu Diis alienis servire poteritis, quoniam equidem vobis nullam amplius gratiam concessero.* Ultima Hebraice sonant, אשר לא אתן לכם חנינה. Vocem אשר Noldius exponit *et*, quam notionem commentitiam esse arbitror. Veteres ad unum omnes illud אשר, ut pronomen relativum, referunt ad Deos alienos, nullo favore et misericordia Judaicam gentem prosecuturos. Ergo hi ignorantes potestatem veram τοῦ אשר, reddiderunt tamquam יִתְּנוּ pro אֶתֵּן legissent. Idem Judaeis quoque negotium facessivisse videtur, Talmudis Babylonici auctoribus, in quo pro אתן legi יתן Kennicottius auctor est. Hi igitur praecedens illud *Dii alieni* (אלהים אחרים) habuerunt pro plurali majestatico, quod nunc cum plurali numero, nunc cum singulari, construi solet. In nostra inscriptione, quamvis conjunctionis notio magis arrideat, ferri tamen posset pronomen relativum constructum cum נללא. Ad proxima quod attinet, verbum עָרֵל, *praeputiatum*, *incircumcisum esse*, singulari hic ratione dicitur. In Hebraismo ערל bis tantum occurrit, semel in Kal, ut h. l., Levit. c. XIX. vs. 23, sed sensu longe diverso. At tanto frequentius est illius derivatum עָרֵל, quod cum pp. usurpatur, tum metaphorice dicitur de membro corporis non satis recte constituto et inepto. Sic peculiariter de corde praeputiato sermo est, quasi impuro et legis divinae praeceptis obtemperare recusante (Levit. c. XXVI. vs. 41, Jer. c. IX. vs. 25, Ezech. c. XLIV. vs. 7 et 9. Cf. etiam Deuter. c. X. vs. 16, ubi exstat ערלת לבבכם *praeputium cordis vestri*) item de auribus et labiis incircumcisis, i. e. audiendo et loquendo ineptis. De aure unus tantum locus est Jer. c. VI. vs. 10. de labiis duo, Exod. c. VI. vs. 12 et 30, quae componenda sunt cum c. IV. vs. 10, ubi Moses fatetur se esse gravem ore et lingua, i. e. certo quodam impedimento oris linguaeque la-

laborantem. Vix dubitari potest num eadem sit vis verborum אשר יערל דברן, et hanc ob caussam Nolela lapidem posuerit, quod linguae quodam vitio laboraret. Fatendum tamen est eum minus accurate locutum esse, et *labia* quidem recte dici incircumcisa, *verba* non item. At hoc tamen facile explicari potest ex usu linguae vulgaris, in quo saepe nullam originis singularum loquendi formarum rationem haberi atque adeo metaphoras in alienum sensum detorqueri videmus. Qui verbum ערל de rebus impeditis et implicitis usurpabant, hi plerumque de notione *praeputii* primaria ne per somnium quidem cogitabant, atque illud aequo jure de verbis, ac de lingua labiisque frequentari posse putabant.

§. ב.

Veniamus ad alteram inscriptionem Melitensem, quam non integram, sed mutilam compluribusque literis orbatam, ad nostram aetatem pervenisse dolemus. Haec an circa eadem loca reperta sit, ubi prior lapis, notatum non reperio. Hoc unum verosimile arbitror saxum in templo, vel sacello quodam, stetisse, cum donarium fuerit Deo sacratum, ut ipsa inscriptio, cujus verba hic statim subjecimus, aperte demonstrat.

נתן דמצא
אסראשש
..שר דעל
.....אבן
.....נקרא.
....די....

Dedit quod potuit Osirisschesch ..... qui super .... lapidem .... invocatus est ...... quoniam ....

In primi versus literis nulla plane difficultas nobis offertur. Tertii enim elementi potestas, ex iis quae ad superiorem inscriptionem disputata sunt, extra dubium posita est. Reliqua omnia manifesta sunt. Tsade comparetur cum figura illius literae penultima apud Koppium ll. T. II. p. 217, Aleph autem cum ultima illius specie apud eundem, item cum extrema versus primi et tertia versus penultimi inscriptionis praecedentis. In vs. secundo omnes literae non minus planae et certae sunt. Ergo lectione jam satis constituta, de sensu vocum videamus. Jam de primo vocabulo

 נתן

נתן, vel si mavis ex Syriasmo נתל, non opus est ut quidquam in medium proferamus. Proximum דמצא et forma et significatione plane Syriacum est, et novo luculentissimoque exemplo nobis ostendit variarum dialectorum in lingua Phoenicia permistionem, quae ex aliis monumentis nobis jam apparuit et inferius etiam ex nummorum Punicorum interpretatione clarius elucescet, repetenda fortasse, ut equidem conjicio, ex assiduo Phoenicum cum aliis Semiticae stirpis populis, Syris et Arabibus maxime, commercio, quod illis eandem linguae suae locupletandae et opportunitatem et vero necessitatem attulit, quam postea experti sunt Koreischitae, cum templi nundinarumque Meccanarum praefecturam adeptis cum variis tribubus, ex tota Arabia Meccam religionis et mercaturae caussa confluentibus et varie loquentibus, agendum esset. Hinc enim primum mira illa linguae Arabicae ubertas effloruit. Par caussa parem effectum apud Phoenices habuit. Hinc repetendae illae superfluae formarum grammaticarum divitiae, hic tanto magis conspicuae et notabiles, quanto angustioribus finibus insula Melitensis circumscribitur, cujus incolae Hebraico אשר, quod illis notum fuisse praecedens inscriptio ostendit, non contenti praeterea Daleth Syriacum adsciverunt. Praeterea verbum מצא non habet Hebraicam *inventionis*, sed Aramaeam *potestatis*, significationem. Sequitur proprium nomen אסראשש, quod significat *Osiris fundavit*, vel, si hoc praeferendum censes, *Esar* (אסר vel אסר) *fundavit*. Etenim quamvis Aegyptiacam religionem apud Phoenices etiam valuisse et Osiridis cultum apud illos receptum fuisse constet, nihilominus adhuc dubitare licet an ita illius nomen scriptum fuerit. In inscriptione Carpentoractensi saltem scribitur אוסרי, quod forte ideo factum est ut duo numina Osiris et Esar a se invicem distinguerentur. De אסר nihil habeo quod dicam, nisi hoc unum, numen ignis fuisse videri, et cum Persico اذر vel ازر componendum esse, ejusque vocis vestigia reperiri in nominibus propriis אסר־חדן, תגלת פלאסר, שלמנאסר, *Nabopolassar* aliis. Si quis tamen Osirin malit, ipsi non illibenter assentiar. Ut ut est, certe Dei alicujus appellationem esse constat, cui adjungitur verbum אשש, quod in Pihhel pronuntiandum esse ipsa forma docet, alias enim in אש contraheretur, nisi forte hic participium adsit activum אשש. Prius tamen praeplacet, confirmatum etiam ex Arabismo, in quo أسّس *fundandi* usu imprimis usurpatum reperitur. Nec tamen deëst in Sp. I, quamobrem conjicio nomen pp. Hebr. יהואש

יהואשׁ, vel יואשׁ, aptius explicari posse ex comparatione verbi אשׁשׁ, ut sit *Jehova fundavit*, quam τοῦ אושׁ, Arab. آس, *donavit*, cujus nulla vestigia in Hebraismo supersunt; cum ab אשׁשׁ adhuc derivata exstent אשׁישׁ et אשׁישׁה. Tum igitur malim scribi יהואשׁ cum patach, et comparem nomen ejusdem significationis יהויכין, *Jehova stabilit.*

Majores interpretandi difficultates reperiuntur in versu tertio, cujus duae ad minimum literae perierunt. Res magnam partem pendet ex potestate secundi elementi, quod ab initio Beth esse existimabam, caudae illius, sive semicirculi a sinistra positi, rationem habens. Hoc si verum sit in magnas difficultates implicabimur. Cum enim in literis deperditis procul dubio lateat nomen Dei Deaeve, cui hic lapis consecratus sit, statim hoc quaerendum est utrum litera ב ad hoc nomen, an ad sequentia pertineat. Si prius probetur, rogamus qualis tandem Numinis Phoenicii Syrive appellatio ex tribus literis constet, quarum duae posteriores sint בשׁ. Prima enim versus litera Lamed Dativi signum fuisse existimanda est. Cujusmodi cum reperiamus nullum, Beth erit adjungenda sequentibus, fueritque adeo nomen Dei biliterum, in Schin desinens, qualia duo tantum, si quid video, reperiuntur, אֵשׁ, *ignis*, ut hic de πυρολατρείᾳ, vel עָשׁ, *Ursus Major*, ut de ἀστρολατρείᾳ sermo sit. Quorum neutrum verosimile arbitror, ut enim hoc in praesens omittam, de quo deinceps videndum erit, his admissis reliquam inscriptionis partem minus expeditam fore, haec gravissima objectio est, fieri quidem potuisse ut Phoenices ignem coluerint, et prope certum esse, quod divinum planetis tribuerint honorem, hoc vero de Urso Majore ne levissimo quidem probari posse indicio; ignis cultum vero, si apud istam gentem exstiterit, non ἐγχώριον fuisse videri, sed a Persis desumtum, una cum nomine apud illos usitato, ut ex iis quodammodo colligitur, quae paullo ante de אסר disputavimus. Quibus tamen hoc responderi posse fatemur, in Deorum apud Sanchoniathonem genealogia jam reperiri Φῶς, Πῦρ καὶ Φλόγα (אור, אֵשׁ et לֶהָבָה) Aeonis et Protogoni filios, vel (hoc enim in versione Philonis Byblii ambiguum est), illorum ex Γένους. i. e. Tholado, nepotes. Cf. Euseb. ll. p. 34. D. Sed hoc quisque ex suo sensu dijudicet, nobis magis arridet, ut illa, de qua diximus litera, Resch sit, et vel cauda literae adjecta, formam habens plane singularem, nec aliis in locis facile obviam, potius fissura sit lapidis, quam pars aliqua literae, vel Resch et Beth, ut saepe, hic confusae esse ex-

existimentur. Hoc si probaveris שר forte reliquias nobis offeret vocis לְאָשֵׁר, *felici*, quod cognomen fuerit Baälis, quatenus est Fortunae Deus et planeta Jupiter, sicut אֲשֵׁרָה fuit Astartes, sive planetae Veneris, Fortunae Deae, appellatio. Quae conjectura, quo nobis verosimilior esse videtur, eo impensius dolemus, priorem hujus versiculi partem periisse, cujus integritas vel novam religionis dualisticae Baälis et Astartes formam, vel novum et ignotum Phoenicum Numen nobis obtulisset. Nunc de sqq. ejusdem versus literis videamus, quae, si secundum elementum, ut supra diximus, Beth sit, בדעל, si Resch sit, דעל pronuntiandae sunt. Utraque formula Syriaca est. Prior significat: *propterea quod super*, posterior, *qui* vel *quod super*, vel *quia super*. Nempe בד ex ב et ד compositum, habet vim כִּי *quoniam*, vel *quia*, respondens plane בַּאֲשֶׁר שֶׁ Hebraeorum, quod nonnumquam eadem ratione vertendum est. Cf. Noldium in *Concord. partic.* varia hujus notionis exempla colligentem. Utrum autem sit melius nonnisi ex sequentium vocabulorum interpretatione et ex probabili ratione, qua inscriptionis lacunae supplendae sint, intelligi poterit. Fateor hic omnia incerta et conjecturalia esse: at nihilominus, comparata alterius lapidis Melitensis inscriptione, a veri specie haud alienum arbitror, in vs. 4 et 5 ante אֶבֶן et נִקְרָא, de quibus ne umbra quidem mihi relicta est dubitationis, supplendum esse חַמָּן et הַזֶּה vel simile pronomen. Ergo vel legendum erit בדעל הכן אבן הזה נקרא, *propterea quod* (Deus iste) *super hunc lapideam columnam vocatus est*, vel רעל חמן אבן חזה נקרא, *qui super hunc lapideam columnam vocatur*, vel *vocatus est.* Phrasis נקרא על אבן, *vocatur super lapidem*, pro *ei consecratur lapis*, est elliptica: plene diceres נקרא שמו על אבן, *nomen illius vocatur super lapidem*, i. e. *lapis ab illius nomine appellatur*, *illius nomini dicatur.* Sic centies loquuntur Hebraei, in quorum libris nullum locum reperio, in quo שם non sit additum: nec forte in integra nostra inscriptione defuit. Habemus certe aptissimum locum, in quem istam vocem inferamus, lacunam nempe in ultimo vs. ante ד׳, *quoniam*, *quod*, quam alias haud facile suppleas. Vidimus ergo secundum lectionem בדעל, *propterea quod*, sententiam haud satis expeditam esse, nisi fingamus tabulam istam appensam, vel appositam, fuisse columnae cuidam lapideae, Deo sacrae, quae ibi antea steterat, et hoc ideo fecisse inscriptionis auctorem, ut ab altera parte sumtuum in novam columnam, sive חמן, erogandorum compendium faceret, ab altera vero tabula donario veteri adjecta ostenderet, illam eidem Deo dicatam esse.

Quam

Quam interpretationem tueri videtur inscriptionis initium: *Dedit quod potuit*, ostendens hominem fortunae bonis parum instructum fuisse. At nihilominus ista *dedit quod potuit* haud satis bene cohaerent cum sqq. *propterea quod* etc., et lectori adeo multa supplenda relinquuntur, ut longe verosimilior sit altera lectio דעל, qua admissa, lacunisque ex nostra conjectura probabiliter suppletis, nihil ad sententiae integritatem desideratur, et inscriptionis restitutae haec erit lectio et interpretatio:

נתן דמצא
אסראשש
[לא]שר רעל
[חמן] אבן
[הזה] נקרא
[שמו] די

Dedit quod potuit Osirischesch, 'Aschero, sive Fortunae Deo, cujus nomini haec columna lapidea consecratur, quoniam. . . . .

Monumenti, quantum fieri potuit, restituti et suppleti haud ineptam lectionem et sententiam vides, quam ab initio disputationis nostrae proponere noluimus, solaque inscriptionis fragmenta eo loco expressimus, ne argumentis conjecturarum nostrarum nondum cognitis et perspectis, temeritatis aliquam notam apud lectores nostros contraheremus. Tenemus igitur et inscriptionis auctorem, et Deum, quem sibi propitiare studuit et ipsum donarium; sola consecrationis caussa abest, injuria temporis deleta. Hujus initium latet in voce די, *quoniam*, vel *quod*, cujus potestas Chaldaica respondet notioni Hebraici אשר, a quo extrema pars Inscriptionis Melitensis primae, quae pariter positae columnae caussam continet, orditur. Jam in isto די memoria dignissima est forma literae Jod, quae in aliis monumentis Phoeniciis, aut raro aut nusquam, cernitur, si Inscriptionem Cyrenaicam a nobis ante triennium expositam et nummum quendam Phoenicium apud Mionnetum *Rec. de Méd.* pl. LXI. n. 1 exceperis; sed frequens est in nummis Hasmonaeorum. Cujus uti certa est significatio, ita novum in eo cernimus exemplum varietatis illius, quae in unius ejusdemque literae Phoeniciae figura in inscriptionibus eodem loco repertis observatur.

§. 3.

Pervenimus ad celebratissimum illud fragmentum Drovettianum, quod tantam ante hoc quadriennium eruditis, harum literarum amantibus, exspectationem commovit. Etenim non ex diariis tantum publicis, quae res sive bonas, sive malas, in majus augere solent, sed ex ipsis etiam literarum Champollionii excerptis, quae in Diario Societatis Asiaticae Parisiensis T. V. p. 20 leguntur, percrebruit, inventum esse inter papyraceos Codices Aegyptios Musei Turicensis unius Phoenicii fragmenta. Idem nuntius quoque allatus erat ad Lanzium, qui in opere Italico de inscriptione Carpentoractensi aliisque nonnullis, superius jam laudato, p. 52, optat ut Codicis MS. Phoenicii fragmenta, in Museo Drovettiano reperta, quantocius in lucem proferantur. Cui desiderio ut in praesenti satisfacere possimus, effecit eximia Rochettii Viri eruditissimi humanitas, qui fragmentum illud (nam unum tantum superesse videtur, non plura, ut ex literis Champollionii et Lanzii verbis conjiceres) quod in Italiam ad invisendas antiquitatis Aegyptiae reliquias excurrens in suos usus descripserat, libenter mecum communicavit. Hoc vero etsi multum abest, ut vel meae, vel aliorum hac de re conceptae opinioni, satisfaciat, pluribus de caussis tamen memoria dignissimum censeo. Quod enim primarium est, doctrinae paleographicae hujus fragmenti accessione nova lux affunditur. Quippe summa in literarum formis huic inscriptioni cum celeberrima illa Carpentoractensi affinitas intercedit: cumque nostra certissime in Aegypto reperta, altera autem figuris ornata sit Aegyptiam religionem spectantibus, hoc primum ex duorum monumentorum inter se comparatione lucramur, ut lapidis Carpentoractensis patriam hucusque ignotam Aegyptum esse statuamus. Cum enim ista superstitio non solis imperii Pharaonici terminis circumscripta fuisset, sed, ut variae antiquitatis reliquiae ostendunt, in coloniis etiam Phoenicum, Sicilia et Melite maxime, viguisset, figuris lapidi insculptis nulla de illius origine conjectura superstrui poterat. Nunc vero, ut quisque videt, longe alia res est, et novi hujus monumenti auctoritate non hoc tantum efficitur, etiam alterum illud, de quo verba fecimus, Aegyptium esse, sed praeterea ex variis scripturae Phoeniciae familiis, hanc imprimis, quam duae inscriptiones servant, apud Cananaeos illius regionis inquilinos floruisse. Quamquam non in omnibus literis utriusque monumenti plane eadem ratio est, et fragmenti papyracei scriptura multo pressius ad quadratam vulgarem accedit. Inter alias Aleph, Gimel, Waw, Cheth, Koph, Schin Hebraicas ita re-

fe-

ferunt, ut statim ab omnibus, etiam palaeographiae imperitis, agnoscantur; e reliquis Daleth, Jod, Caph, Resch levi tantum flexu a vulgaribus differunt. Utinam igitur ipsa inscriptio aliquod aetatis indicium contineret, vel diligenter notatum esset, quonam Aegypti loco, quibusve cum voluminibus papyraceis, vel aliis vetustatis reliquiis, fragmentum repertum sit; haec enim si scire et accurate expendere liceret, forsitan probabiliter conjiei posset utrum illud ad antiquiora, an ad recentiora tempora, referendum esset. Ut nunc res est, ab omni opinionis temeritate abstinendum arbitror, donec alia monumenta accesserint, de quo in tanto quaerendi studio et tanta inveniendi felicitate, quae nostro aevo quasi priva et propria sunt, minime desperandum est. Interim ex summa literarum in duabus istis inscriptionibus similitudine hoc luculenter constat, nos non sine caussa in priore Diatribe repudiasse Koppii sententiam, hanc scripturam ad Aramaeos potius, quam Phoenices referentis. Phoenices enim vetustissimi, sive Hycsos, cum nondum in Palaestinam transissent, sed adhuc in Arabiae desertis oberrarent, Aegyptum ditione tenuere, et postea, multis interjectis seculis, a Psammeticho ejusque successoribus eadem gens magno numero in Aegyptum translata est multisque privilegiis ornata. At Syros, sive Aramaeos, colonias eodem deduxisse ibique rerum suarum sedem posuisse, nec verosimile est, nec ab ullo scriptore traditum reperio. Quae cum ita sint, manifesto intelligitur, quantum haec specimina scripturae Aegyptiacae, cum Hebraica quadrata arctissime conjunctae, istam de Assyriaca hujus origine traditionem labefactent. Nam quod solum ad istam sententiam aliquatenus stabiliendam superest, responderi nequit, nisi lapidem Carpentoractensem, aperte Osiridi dicatum, at nostram saltem inscriptionem a Judaeo Aegyptio proficisci potuisse, Assyriacis literis uso. Quippe et hujus auctorem pariter idololatriae addictum fuisse ipsa fragmenti verba demonstrant, quae hic descripsimus:

אל מרצא מקדואשת עבדך וחים ע .....
חנא הרס ושדידא מרצא יהוי יק .....

Deus, qui placaris sanctitate servorum tuorum et vita . . . . .
Circumiens sol et potens gratum sit (obsequium). . . . .

Vides sententiam esse imperfectam et mutilam; at quamvis lectio eo defectu difficilior redditur, nihilominus ista inscriptio reliquis omnibus longe expeditior est; tum quia vocabula divisim, non uno tenore, scripta sunt, tum ipsa literarum perspicuitate. Quatuor priora elementa nullo commentario indigent. Quintum et sex-

 tum

tum in unum coaluere: nam manifesta est compositio ex Tsade Phoenicia, quae in Koppiana tabula octava est, et Aleph. Vox מְרַצָא participium est in Hophal cum terminatione Aramaea, quae species hic, ut saepe, respondet רָצָה Kal Hebraeorum, hoc in verbo de Deo solenniter usurpato, ubi preces et sacrificia placatus et clemens accipere dignatur. Conferri potest quarta species Arabica verbi رضي, *dedit quod placeret*, *gratificatus est*, c. c. a. p. et عن r. Etenim, analogia duce, hujus passivum, i. e. Hophal Hebraeorum, pariter cum عن rei conjungendum est, sensu *accipiendi id quod placeret*, *gratum habendi*. Constructio verbi cum Mem Hebraeis ignota est, sed confirmatur Arabica verbi illius compositione cum عن rei, quae particula, in reliquis dialectis inusitata, saepissime praepositioni Mem respondet. Singularis est scribendi ratio in tertia voce, ubi quinta litera plane superflua, et procul dubio pronuntiationis determinandae caussa adjecta est. At ex tribus literis quieti obnoxiis, quibus hoc officium proprium est, nulla hic in censum venire potest praeter Aleph. Nam Waw, quae statim praecessit, ubique formam habet invariabilem et ab ista toto coelo diversam. Nec etiam illud admitti potest illam formam esse literae Jod, vel, quod fortasse elementi figura non respuat, duas hic literas Waw et Jod esse conjunctas; voces enim קרוישת et קרווישת barbarae plane sunt et inauditae. Ergo ad Aleph necessario confugiendum est, ut illud indicium fuerit syllabae illius non per Schurek, sed per Cholem, efferendae. Confirmat hoc exemplum illud quod antea deprehendimus in inscriptione Zeugitana II, ubi eadem de caussa תאיבה pro תובה legitur, Aleph praemisso, quod perinde est. Ergo de hujus elementi potestate quid amplius dubitetur non video. Quod profecto tanto opportunius nobis accidit, quanto magis ista forma a vulgari literae Aleph deflectit, et pressius ad extremum elementum secundae vocis versus proximi, i. e. Samech, accedere videtur. Proximum עבדך esse *servorum tuorum*, non *servi tui*, adjunctum וְחַיִם ostendit. Cujus litera Jod comparanda est cum lit. 15 v. 1 inscriptionis Carpentoractensis secundum ἀπόγραφον Lanzianum. Hic abrumpitur vs. primus, de cujus reliqua parte etsi nihil constet, at verosimile tamen est, adjectivum aliquod hic desiderari, quod voci *vita* respondeat, ut *vita eorum pura*, *proba*, vel *abstinens*, memorata fuerit. Porro ex fragmento literae, quod superest, efficitur proximam vocem ab Ain incepisse.

Transeamus ad vs. 2, cujus prima vox facillima lectu חָנָא pluribus de caussis est memorabilis. Quippe literam continet Gimel, vulgari Phoeniciae, item quadratae, haud dis-

dissimilem, sed in hac scripturae Phoeniciae specie nondum repertam. Tum animadversione digna est terminatio Aramaea Aleph, quae hic non est radicalis, uti in כרצא, sed servilis, ut in שרירא, quod uti חגא adjectivum est vocis secundae, quam חרס, i. e. *Sol*, pronuntiandam censeo. Utrum vero illa litera feminini generis, an emphaseos, indicium sit, equidem definire non ausim. Ab altera parte enim in inscriptionis Carpentoractensis voce אלהא certissimum indicium habemus emphaseos a Phoenicibus Aegyptiacis usurpatae, ab altera vero observandum est vocem חרס, quamvis Jobi c. IX. vs. 7 sit masculina, admodum probabiliter duplicis olim generis fuisse: cum שמש etiam communis sit, ex dialectorum autem comparatione satis constet, nomina formae et originis diversissimae, sed significationis ejusdem, summam in generis usu observare analogiam. Cf. Gesen. *Lehrgeb. d. H. S.* p. 470—473. Porro videndum de forma et potestate vocis חָגָא, quam equidem a חוג, vel si חַגָּא pronuntiatur, a חגג, quod perinde est, derivandam censeo. Notat utrumque verbum *in orbem*, *vel circulum*, *volvere*, *vel volvi*, unde in verbo חגג descendit potestas *choreas ducendi*, *festi celebrandi*, et in حج, illa *Caabae circumeundae et peregrinationis Meccanae peragendae*. Propriam notionem servarunt verbum חוג, *circulum describere*, ejusque derivatum חוג, *orbis coelestis et terrestris*, item nostrum חגא, quod *eum* designare videtur *qui in orbem volvitur*. Aptum profecto Soli Ὑπερίων epitheton, quem pari de caussa scriptor Orphicus κόσμου τὸ περίδρομον ὄμμα appellavit *Hymn. in Solem* v. 14. Quid si ab ista voce חגא, vel potius ab ejusdem cognato חָגִּי, aut חַגַּי, quod in nomine proprio Prophetae adhuc superest, et Syriaca ܚܓܝ, *hagoi*, vel *agoi*, sonaret, derivandum sit Apollinis cognomen Ἀγυιεύς, quod nonnulli labentis aevi scriptores, in his Macrobius *Saturn.* L. I. c. 9, minus recte ab ἀγυιαῖς derivare voluerunt, quasi *Apollo viarum custos* ista appellatione praedicaretur? Quod quamvis vetustissimorum scriptorum locis, ubi istud nomen occurrit, minime confirmatur, fieri tamen potuisse censeo, ut Sol, cursus perpetui, quem per orbem coelestem conficere videtur, ratione habita, viarum custos existimaretur, modo ab omni inter ἀγυιά et Ἀγυιεύς comparatione abstineamus, cum harum vocum conspiratio plane fortuita sit, et orientalem nominis illius originem luculenter tueantur quae de forma illius Apollinis Ἀγυιέως tradit Harpocration in voce, exscriptus a Suida et Schol. Aristoph. ad Vespas. v. 860. Vide quos laudavit Valcken. in notis ad Phoenissas vs. 634. Verba quae ad nostram rem perti-

 nent,

nent, haec sunt: Ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν· ἰδίους δὲ εἶναί φασιν αὐτοὺς Ἀπόλλωνος· οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν. In quibus quis tandem non agnoscat obeliscum, sive conum illum, quem ut Solis symbolum veteres Phoenices et Aegyptii adoraverunt, variis nominibus vel epithetis insignitum? Quo fit ut ista forma nunc, quatenus Deus est παγγενέτωρ, *Tholad* appelletur; nunc, si ratio indefessi cursus habetur, quo coelestem orbem perlustrat, vel Ὑπερίων, vel Ἀγυιεύς. Quin etiam in observatione adjuncta, alios Apollini, alios Dionyso, alios ambobus hos conos sacros arbitrari, novam nostrae opinionis confirmationem videmus. Est enim illud manifestum indicium Syncretismi illius Orientalis, ex quo Dionysum-Osirin vel Dionysum-Tholadum, quemadmodum in Diatribe olim edita demonstravimus, inter se componebant et sancta religione colebant. Quod ad formam denique spectat vocis Ἀγυιεύς, ut saepissime Graeci literam Cheth initialem leni adspiratione expresserunt, sic idem illud fecerunt in nomine pp. vel eodem, vel cognato חגי illud reddentes Ἀγγαῖος. Nec alia ratio nobis esse videtur vocum Graecarum ἅγος vel ἄγος, ἅγιος vel ἄγιος, et ἀγών, quos omnes ab eadem radice חג descendere et Phoenicibus deberi arbitror, suam religionem in Graeciam transferentibus. Ut enim haec paucis illustrem, illi ἅγος vel ἄγος primaria inest notio *pietatis* et *religionis*, orta ex illa *festi sacri*, *rituumque sacrorum*, sive sacrificiis, sive choreis et pompa solenni obeundorum, quae in Hebraeo חג, et verbo et nomine, item in Arabico حج, cernitur. Hinc fluxit ab altera parte potestas illa *venerationis*, ab altera illa *lustrationis* et *expiationis*, cum sacris ritibus peragendis conjunctae. Hinc postremo ipsum scelus expiandum, sive piaculum, ἄγος dictum est. Adjectivum ἅγιος, vel ἄγιος, proxime ab illo ἅγος, vel ἄγος, descendit, aut, si mavis, ab adjectivo Hebraeo חַגִּי. Vocabuli ἀγών denique primaria notio, ut recte jam statuerunt grammatici, in *conventus loco* et *concione* posita est. Hoc igitur vix dubito, quin sit deperditum חַגּוֹן, vel a חוג, vel a חגא, quod apud Aramaeos eodem sensu superest, derivandum. Id enim analogia duce, per ellipsin vocum מקום, vel קהל, necessario vel *ipsum locum conventus sacri et publici*, vel *ipsam turbam concionemque hominum ad sacra confluentium*, designarit. Vide quae de adjectivorum forma in ון desinente notavit Gesen. in *Lehrgeb. d. H. S.* p. 513. n. 15, quaeque superius de forma חַכְּמֹן animadvertimus p. 50 sq. His igitur, quae hucusque disputavimus, si calculum adjeceris, nova quidem argumenta lucraberis, quibus omissum sonum literae Cheth in voce ἀγυιεύς tuearis, quamquam hoc quidem per

per se satis certum et expeditum est: quod vero majus arbitror, caussam cernes cur in una eademque voce ἄγης et ἅγης nunc spiritus lenis adsit, nunc gravis, quae ad sonum literae Cheth aliquanto magis accedat. Haec de voce חגא ejusque cognatis nostra sententia est, nunc de reliquis versus secundi vocibus videamus.

Nomen Solis חרם jam obiter attigimus in epistola ad Rochettium, p. 4, nec quae eo loco a nobis annotata sunt, hic iterum repetemus. Quod vero ex collatis nominibus Phoenicum propriis tum conjecimus, חרם unum esse ex sacris Solis titulis, id nostra inscriptione luculenter confirmatur. Quamvis si in hujus appellationis rationem et caussam accuratius inquiramus, in lingua Hebraica cognatisque dialectis vix quidquam reperiemus, quod rem illustret, nisi simul ad Graecos accesserimus, qui ut in religione et epithetis Solis saepissime factum esse videmus, ex certa quadam potestate et cognomine illius numinis novam Dei personam creavere. Hic Deus est Ἄρης, quem ab initio a secundo Cabiro, sive Axiokerso cultus Samothracici, diversum non fuisse ostendit Creuzerus *Symb. u. Mythol.* T. II. p. 320, *edit. sec.*, cui numini ut omnium genitori et fecundatori, Axiokersa, sive Venus genitrix, adjuncta est. Quae cum ita sint, dubium profecto non est, quin Ἄρης hoc quidem adspectu sit Deus solaris, a Baäle-Tholado, sive Sole rerum genitore, non diversus. De quorum numinum inter se nexu cum multis actum sit in superiore nostra *Diatribe in monumenta Punica*, nunc quidem in illius rei memoriam non amplius excurremus, et quae praeterea de ista opinione dicenda restant, in tertium hujus disputationis librum referemus, qui in confirmanda nostra sententia et refutandis Virorum Doctorum objectionibus versabitur. Hoc interim nemo negabit fieri posse, ut nomen secundi Cabiri Ἄρης lateat in illo חרם, quod etiam ipsum Solis, i. e. Baälis-Tholadi, nomen est. Quod si roges, quid tandem isto nomine חרם, vel Ἄρης, spectaverint Phoenices, equidem nihil temere affirmem, nec tamen illud eruditorum oculis subjicere verear, quod mihi verosimillimum videatur. In ipso themate חרם ejusque cognatis in dialectis Orientalibus, quemadmodum ante dixi, non multum superest, quod rem probabiliter explicet. Apud Arabes in حرس exstat inter alias notio *gubernandi* unde حارس, *gubernator* et *dominus*, quod satis forma sua respondeat τῷ חֹרֵם, Ἄρης, si participii vocalibus efferatur. At vero altior procul dubio et significantior est hujus appellationis ratio. Nam si nihil aliud voluissent, vulgaris ille titulus בעל suffecisset. Gesenius in Lexico contulit Arabicum حرش, i. e. *provocavit*, *exacerbavit*, *jurgia* et *simultates* se-

scvit, quamvis ipse haud satis agnoscebat, quid haec ad Solis nomen facerent. Interim ista non plane repudio. Fieri enim potuit ut jam ab initio istam discordiarum et contentionis notionem, quam deinceps cum illo numine conjunctam videmus, spectaverint hujus religionis conditores. At illud, quidquid est, in praesenti, ut plane incertum, nec hujus loci, intactum relinquam. Quidni vero huc referatur Hebraicum חָרַשׁ, *incidere*, *arare*, *fabricari universe*, *tum maxime lapides*, *ligna et metalla?* Literas enim Schin et Samech frequenter in dialectis permutari satis constat, nec video cur hoc minus fiat in חרם et חרשׁ, quam in כנס et כנשׁ; praesertim cum in ipsa quoque dialecto Hebraea שׂ et ס promiscue ponantur, cum alibi, tum in סִרְיוֹן et שִׁרְיוֹן, *lorica*. Quo admisso חֶרֶם vel חֶרֶשׁ, Ἄρης, erit *arator*, *fabricator*, *machinator* et peculiariter μεταλλουργός. Quod nomen quam aptum sit, omnes profecto agnoscent, qui meminerint in Cabirorum religione planetarum coelestiumque Deorum cultum cum Numinum inferorum, qui metallorum usum homines docuissent, notione coaluisse. Cf. Creuzer. *Symb. u. Mythol.* T. II. Cap. VI. §. 1—6 et imprimis §. 3. *edit. sec.* Hinc igitur illud nomen חֶרֶם bifariam explicandum est, et quatenus Solem designat, ejus vim adumbrat omnia *fabricandi*, *gignendi*, *fingendi*, et simul ad arationem respicit et agrorum culturam, quos Sol maxime foecundat: quatenus vero Cabirus secundus (i. e. Ἀΐδης, vel Pluto) eo nomine significatur, etiam huc trahenda est notio μεταλλουργίας. Huic חֶרֶם, in Hebraea lingua deperdito, in Graeco Ἄρης servato, affine erat ejusdem potestatis vocabulum חֵרֵם, eadem formae variatione, quae inter مالك, مَلْك et מֵלֵךְ obtinet. Illud חֵרֵם, vel חֵרֵשׁ, quod in voce *Ceres* latere jam suspicabatur Schellingius, *Ueber die Gotheiten von Samothrace*, p. 17 et 63 sq. n. 48 sq., et, quemadmodum in Epistola ad Rochettium docuimus, in numine Philosophi Cyrenaici Anniceris (חֲנִיחֵרֵם) adhuc superest, pariter servatum esse videtur in nominibus Cabirorum Axiokersos, (ὁ Ἀΐδης secundum Mnaseam apud Schol. Apollon. Rhod. I. vs. 917) et Axiokersa (ἡ Περσεφόνη ibid.), quae, ut equidem puto, aperte ad μεταλλουργίαν referenda sunt. Prius mihi est אִישׁ הַחֵרֵם, *ignis* τοῦ μεταλλουργοῦ, vel אִשָּׁה חֵרֵם *ignis* μεταλλουργῶν. Posterius idem notat sub feminina forma אִשָּׁה חַרְסָה, vel אֵשׁ הַחַרְסָה. Illud הַחַרְסָה, sive illa terminatio paragogica sit, ut vulgo autumant, sive feminina ex dualismo orta, quod ipse praeferam, semel legitur in Judicum c. XIV. vs. 18, in narratione de Samsonis cum puella Philistaea nuptiis, quam forte ex Philistaeo quodam scriptore de-

desumserit hujus libri compilator, ut ista vox, hic casu quodam servata, Phoenicia potius sit, quam Hebraea. Quod etiam de nostro חרם censendum: id enim ut nomen appellativum nusquam occurrit, nisi Jobi c. IX. v. 7, qui locus Idumaei, vel Aramaei, scriptoris probare nequit illam vocem ab Hebraeis in suam linguam receptam fuisse: quod autem ex Jud. c. VIII. vs. 13 laudari solet חרם, non est, ut nonnulli arbitrantur, *Solis*, sed loci nobis ignoti appellatio. Sed redeamus ad Cabiros, in quorum nomine Hebraico Schin respondet τῷ ξι Graecorum, quod quale sit paucis probandum est. Sono literae Schin Graeci caruere. Ergo illam vel simplici Sigma expresserunt, quod millies factum, vel literis χς vel σχ, ut in Ρηχς et Σχεν, pro ריש et שין, in Jeremiae Threnis factum est. Jam χς maximam habet affinitatem cum ξι, quod ex γς vel κς compositum est: quo pertinet etiam quod Graeci pro Artaschetr, vel Ardschir aut Ardeschir, scripserunt Ἀρταξέρξης. Ergo literam Graecam satis apte respondere vides τῇ Schin Hebraicae; nec miraberis igitur, si hanc etiam quaeram in nomine Cabiri prioris, sive Ἀξιέρου. Nam demta terminatione restat ἄξιερ, i. e. Hebraicis elementis אשר, *Fortunae Deus*, de quo Baälis cognomine hic non repetemus, quae supra animadvertimus ad lapidem secundum Melitensem, in quo illius nominis vestigia deprehendisse nobis videbamur. Fatemur hac ratione Axierum non esse vere diversum ab Axiokerso, et haec numina tantum epitheto et qualitate, non persona, a se invicem differre. Sed haec ipsa hujus religionis indoles est. Axieros, i. e. Hephaestus, vel Phthas, primum ut hermaphroditus consideratur (Creuzer. l. l. T. II. p. 672 sq.), quo fit ut Mnaseas apud Schol. Apoll. Rhod. I. vs. 917. in eo Cererem quaesiverit, dein in numen masculum et femineum, Axiokersum et Axiokersam, dividitur: hinc intelligitur cur, demto Axiero, duorum tantum Cabirorum Samothracicorum nonnumquam mentio fiat, maris et feminae (Creuz. l. l. II. p. 334 sqq. et impr. p. 336). Sic enim Axierus, quatenus est אשר, in Axiokersum, i. e. Baälem, vel superorum, vel inferorum, quatenus est אשרה, sive aliis verbis Ceres, in Axiokersam, vel Persephonen, resolvetur. Haec enim duo numina saepe coaluisse in unum ex variis veterum locis apparet. Cf. Creuz. l. l. T. III. p. 274 sq. T. IV. p. 9, 219, 231 etc. Ad quorum omnium Deorum inter se nexum hoc etiam pertinet, quod ipsum nomen *Ceres*, ut obiter ante significavi, forsitan sit illud Hebraicum, vel potius Phoenicium, חרם, quod universae huic disputationi ansam dedit. Hoc enim si verum sit, eadem opera et du-

 plex

plex illius vocis genus, de quo antea anquisivimus, et personae illius mythicae dualismus, et confusio Axieri, ab altera parte cum Baäle, sive Axiokerso, vel Ἄξει, ab altera cum Axiokersa, luculenter confirmabitur. Quodsi qui sint, quibus mea sententia de dyade Cabirorum Samothraciae ex triade orta eo nomine minus placeat, quod quatuor illi fuerint, demtoque Axiero, trias adhuc superfutura esset, hi quaeso meminerint, quartum, Cadmilum, sive Hermen, reliquorum potius ministrum et σύνεδρον haberi, nec veris Cabiris annumeratum fuisse, a quibus in Phoenicum Theogonia discrte distinguitur. Nam teste Sanchoniathone l. l. p. 36. A. e duobus fratribus Misor et Sydyk, hic Cabiros genuit, ille Taautum, quem Graeci Hermen appellavere. Hujus vero, quarto loco Cabiris Samothracicis adjuncti, nomen Κάδμιλος (חָרֶם הָאֵל, cf. *Diatriben* nostram *Punicam* p. 44 sq.) cum aperte Phoenicium sit, hoc cum maxime nobis persuasit, ut ab eorum discederemus sententia, qui reliqua nomina ex Aegyptia lingua explicare conantur, et sacra illa ab Aegyptiis ad Phoenices manasse contendunt. Quidni enim illi, ut aliorum, sic etiam Taauti, non minus inter Aegyptios, quam inter suos celebrati, sacrum nomen conservassent? Nec praeterea ullum indicium est, quod religionem Cabirorum, de quorum nomine Phoenicio nemo est qui dubitet, extra Syriae fines natum et inventum fuisse ostendat. Et haec quidem de Cabiris Samothracicis in praesenti satis dicta sunto, de quibus tanto diligentius agendum esse duxi, quanto arctiore vinculo numen illud חָרֶם Bibliorum et inscriptionis Drovettianae cum illa difficillima et obscurissima quaestione conjunctum est. Ad reliquam fragmenti partem explicandam pergimus.

Memorabilis est tertia vox secundi versus שדירא, sed facilis intellectu. Nemo enim futurus est, qui haec studia vel primoribus labris degustaverit, quin statim hic agnoscat Arabicum شديد, *vehemens*, *validus*, *potens*, quod Moslemis est septuagesimum tertium e nonaginta novem nominibus divinis et in Corano frequenter legitur. Respondere videtur Hebraeo שַׁדַּי, quod solis Judaeis et Zabaeis proprium fuit, sicut شديد Arabibus et Phoenicibus. His enim illud epitheton divinum non ista tantum inscriptio vindicat, sed locus etiam Sanchoniathonis l. l. p. 37. B. Croni filium Σάδιδον a patre interfectum memorantis, qui tamen utrum cum isto Numine solari quidquam commune habeat non exputo. Graeci illum Solis titulum suo ἄκαμας expressisse videntur, quo Deum ornat Scriptor Orphicus *Hymn. in Sol.* vs.

vs. 3. Sequitur vox מרצא eadem plane ratione scripta, qua superius, sed diverso sensu. Ibi enim ipsa constructio satis ostendebat, illud ad personam referri: hic vero, quantum ex sententia fragmenti judicari potest, Mem non sequebatur, atque adeo ad rem pertinere debet, et quidem ad substantivum aliquod deperditum mascul., cujus initium יק adhuc in extremo vs. cernitur. Significat igitur illud מְרַצָּא, idem quod part. in Sp. I. Arab. راضٍ, *gratus*, *acceptus*. Literae autem יק variis modis suppleri possunt. Num forte legendum יְקָה, *obedientia*, *obsequium*, cujus femininum יְקָהָה, h. s. adhuc bis in statu constructo superest, Gen. c. XLIX. vs. 10, et Proverb. c. XXX. vs. 17? Fieri tamen potest ut יְקוֹד pronuntiandum et Arab. وقود, *holocaustum*, comparandum sit. Defectus autem articuli ostendere videtur huic voci aliam adjunctam fuisse in genitivo, vel affixum ipsi adhaesisse primae tertiaeve personae. Conjungitur autem ista vox participio מְרַצָּא ope verbi substantivi, quod hic singularem futuri formam habet יהוי, solis Arabibus propriam, tertiam literam Jod servantibus et ab هوى, *cecidit*, يهوي derivantibus. Illud יהוי, quod hic optativo *sit* reddendum est, apud Hebraeos יְהִי efferretur, quod parum abest, quin potius ex isto יֶהֱוֶה, vel si mavis, ex יֶהֱיֶה per contractionem, quam ex יִהְיֶה per apocopen et transpositionem, ortum existimem, ut ista litera Jod in יהי non secunda sit radicalis, sed tertia. Cujus rei probationem etiam nobis offert Syriaca dialectus, in qua vulgaris futuri forma ab ܗܘܐ est ܢܗܘܐ, quae deinceps extrita secunda litera in ܢܗܐ contrahitur, cum alibi, tum apud Bar-Hebraeum p. 418. v. 3. Idem scriptor nobis offert ܬܗܐ p. 422. vs 9 et 12 pro ܬܗܘܐ. Eadem ratio est verbi חיה, cujus derivatum יְחִי pariter contractum videtur ex יֶחֱיֶי, sicut apud Syros ܢܚܐ ortum est ex ܢܚܝܐ.

Grammaticam interpretationem absolvimus, nunc paucis adhuc de sententia universe considerata videamus. Continet igitur fragmentum istud papyraceum initium formulae invocationis, sive precum, qualis in hymnis Orphicis cernitur. Solis numen, quem inscriptionis auctor alloquitur, κατ' ἐξοχὴν appellatur אל, ut apud Graecos Ἥλιος, vel Ἠέλιος et Ἀέλιος, quos antiquiores scribendi modos ex הָאֵל ortas esse censeo. Quod vero maximum est, hic colitur tamquam Deus, qui omnia circumit et perlustrat, et de hominum bene maleve factis cognoscit; tamquam ὄμμα δικαστί-

νης, ut Orphicus ille hymnologus ait, qui ex hujusmodi, ut videtur, formularum Orientalium imitatione, sic inter alia Solem compellat:

Εὐσεβέσιν καθοδηγὲ καλῶν, ζαμενὴς ἀσεβοῦσι.

§. 4.

Linguam literasque Punicas etiam post deletam Carthaginem in Africae septentrionalis litoribus viguisse, non solum Augustini testimonio novimus, sed multorum quoque nummorum, Imperatorum Romanorum capita adjunctis inscriptionibus Punicis offerentium, auctoritate. Quorum tamen plerique cum nondum explicati sint, nec dialectorum linguae Semiticae ope facile intelligi posse videantur, non sine caussa a nonnullis existimatum est in istis vetustatis reliquiis potius linguam Numidicam, quam Punicam, quaerendam esse. Quamobrem pergratum nobis accidit inscriptionem in ruderibus urbis Leptitanae repertam esse, quae omnem hac de re dubitationem nobis eximat. Haec enim, quam in Tab. nostra III. n. 4. a. b. edidimus, bilinguis est, literasque complectitur Latinas et his subjectas Africanas, quae linguae Hebraicae et Aramaeae ope probabiliter intelligantur. Illius varias delineationes vidimus, nonnihil a se invicem discrepantes. In his prima est quam in Itinerario suo edidit Ali Beyus, de cujus tamen ratione nihil certi dicere possumus, cum liber nunc quidem nobis ad manum non sit. Hic, si bene memini, lapidem Lepti viderat: eundem in Museum Britannicum, ubi nunc asservatur, translatum, delineavit Clar. Reuvensius. Cujus opus quo diutius considerabam, eo certius mihi visum est nonnullas literas minus, vel fortasse nimis, accurate exaratas, et a fissuris et inaequalitatibus saxi, quas temporis injuria effecerat, haud satis esse distinctas. Hanc caussam esse putabam, cur omnis interpretandi conatus frustra esset. Quamobrem affinem meum conjunctissimum, Comitem van Limburg Stirum, in Angliam profecturum, enixe rogavi ut lapidem diligenter inspiceret, et pro sua artis graphicae peritia accuratissimam illius delineationem mihi conficeret. Quod negotium is quidem meam in gratiam lubentissime et suscepit et perfecit. Etsi vero inscriptionis speciem ab eo nobiscum communicatam Reuvensianae praeferendam esse judicamus, tum quia fere in omnibus ipsi convenit cum apographo, quod nobis ante aliquot annos humanissime obtulit Munterus Vir Amplissimus: tum quia illius lectionem facile et probabiliter interpretari possumus; at in Reuvensiana explicanda haeremus; nihilominus utrumque apographum in tabula delineari curavimus et Stirumiano n. 4. a, Reuvensiano n. 4. b, adscripsimus, ut integrum hujus rei judicium Viris doctis, harum rerum peritis, relinqueremus.

Jam

Jam quid voces Latinae AVG. SVFE. notent Archaeologi videant. Equidem verosimile existimo hic magistratus Leptitanorum designari et compendia ista AVGVSTALES SVFETES pronuntianda esse. Nam quibusvis Africae urbibus etiam Imperatorum Romanorum tempore suos fuisse Sufetes inter alia demonstrant inscriptiones Latino-Africanae laudatae a Bocharto in Canaän p. 473. vs. 30 sq. Verba Punica sic legenda esse censeo:

כצלֹת לבצֹרת רתעלֹת

Ut precatio (vel *precandi caussa*) *propter defectum*, vel *exsiccationem*, *canalium*.

Habemus hic igitur lapidem votivum', cujus inscriptio utrum integra sit, an mutila, dubitari potest. Nam ad sensus quidem integritatem nihil desideres, at nomen Dei Deaeve, cui haec inscriptio sacra fuit, non tenemus. Ergo aut ea pars monumenti amissa est, cui haec inscripta fuere, aut positus est lapis in sacro quodam septo, sive τεμένει, ita ut ipse locus satis demonstraret cuinam Deo monumentum dicatum foret, nec opus esset illius nomen disertius designare. Posteriorem conjecturam confirmat lapidis votivi Leptitani II comparatio, qui quamvis integer esse videtur, nullam tamen Numinis memoriam continet. Praeterea a dextra lapis intactus est, a sinistra pauca tantum, nempe partem literae A, nullum vero Punicum elementum desiderari arbitror, nec igitur, nisi in superiore parte monumenti, quae periit, ullus huic Numinis appellationi locus fuit. Ergo hujus lapidis hac in re eadem forte ratio est, ac superioris illius, cui inter Zeugitanos primum locum tribuimus, in cujus inscriptione, quamvis longiore, Deum quidem alloquitur monumenti auctor, at nomen reticet, forte in ea saxi parte, quam temporis injuria delevit, memoratum. Nunc de literis videamus, e quibus prima est Caph penultima in tabula Koppii l. l. p. 216. Quae sequitur et septimo loco repetitur majorem difficultatem habet. Eidem paene formae superius in Inscript. Zeugitana II potestatem literae Lamed vindicare conati sumus. At haec a nostro loco aliena est, cum figura literae Lamed clara et manifesta, at ab ea, in qua explicanda versamur, diversissima, hic tertia, quinta et decima tertia sede occurrat. Quodsi aliam literam circumspiciamus, huic specie similem, maximam ipsi reperiemus esse convenientiam cum octava Tsade apud Koppium l. l. p. 217, cujus literae character universe positus est in lineola sive recta, sive incurva, quae lineolae perpendiculari, a dextra adjungitur. Adde quod haec literae potestas ex eo confirmatur, quod in utrumque hujus inscriptionis locum, in quo haec figura oc-

 cur-

currat, bene quadret. Cui explicationi si vel Koppius ipse, vel alius quisquam palaeographorum illius partes sequentium, objiciat, confusis literarum formis, omnem interpretandi probabilitatem evanescere, non illud tantum, quod antea, respondebimus, nempe tutissimum de literarum adhuc incertarum potestate judicium in sententiae nexu prudenter expenso situm esse; sed eum praeterea ad alphabetum Phoenicium ab ipso Koppio conditum ablegabimus, in quo inter secundam Waw et quintam Resch, item inter secundam Lamed et sextam Resch nullum plane discrimen est. Proxima litera Lamed maximopere accedit ad Hebraicam et vulgari elegantior est; Tau vero saepius recurrens plane Hasmonaea est, uti Beth Palmyrena, vel ei similis, quae in nummis nonnullis quarto Libro tractandis et in Inscriptione Carpentoractensi exstat. Solae supersunt Resch et Daleth, e quibus illa plane Africana et in nummis Numidicis et altera inscriptione Leptitana, in Museo Britannico conservata, quam mox tentabimus, occurrit. Est literae Resch Latinae inversio rudiore penicillo factae. Elementa formae exstant etiam in nummis Tyriorum Anni P. C. XV. et LXXXVII. Cf. Kopp. l. l. p. 212. Ad Daleth quod attinet, illius species jam antea nobis in Inscriptione Zeugitana II oblata est, in qua nexus sententiarum illam hujus figurae potestatem summopere probat. Hinc tamen non continuo effici, eandem quoque vim hujus formae esse in hac inscriptione Leptitana, ex ante dictis intelligitur. Praeterea dubitationem auget summa ܛ Tet Estrangelo cum ista specie similitudo. Qua fit ut ex sola grammatica inscriptionis explicatione dijudicari possit, utrum hic Daleth in caput versum, an Tet habeamus. De singulis igitur vocabulis breviter videndum est. Jam כְּצַלֹּת, est *tamquam preces*, vel *precandi*, *supplicandi caussa;* ubi cum Caph componitur Inf. verbi in Chaldaismo, Syriasmo et Arabismo in Pahhel usitati צַלֵּא. Alterum לְבַצֹּרֶת, *propter pluviae defectum*, vel *siccitatem*, nobis offert vocem Hebraicam rarissimam, cujus unum tantum exemplum exstat in singul. Jer. c. XVII. vs. 8, alterum in plur. בַּצָּרוֹת, ibidem c. XIV. vs. 1, quibus in locis usurpatur de *pluviae defectu* et hinc orta *annonae caritate:* quo sensu Chaldaeis etiam notum est. Radix apud Syros habet *deficiendi* notionem, unde nomina ܒܨܪܐ, ܒܘܨܪܐ et ܒܨܝܪܘܬܐ, *defectum* notant. Huic igitur לְבַצֹּרֶת nunc in statu constr. adjungendum est תְּעָלֹת, quod sive *canales*, *fossas*ve universe, sive *aquaeductus* significat, ab Hebr. תְּעָלָה ductum. Quodsi ordinarias linguarum Semiticarum rationes secuti, in literae praecedentis incertae rationem inquiramus, hic nullam nobis optionem relictam esse videbimus, nisi inter

ar-

articulum ה vel א et ד genitivi signum Aramaeum. Sed ut quivis agnoscit, ipsa figura elementi duas priores literas respuere videtur, ut sola Daleth restet. Verumtamen boni interpretis officium postulat, ut nihil praetermittatur, quod in utramque partem disputari possit, nec quidquam reticeatur, quod pro alia litera tuenda in medium proferri queat. Hoc igitur ejusmodi est: Leptitani Sidoniorum coloni sermonem patrium non servaverunt intactum, sed, Sallustio teste *de Bello Jugurth.* c. LXVII, eorum *lingua conversa erat connubio Numidarum*, i. e. ut puto, Berberorum. His vero solenne est nominibus femininis, sive suis, sive peregrinis, praeponere literam Tse Arabum, sive generis, sive articuli, designandi caussa; utrum enim sit verius nondum mihi satis compertum est, etiamsi articulus in ista lingua desiderari existimetur. Nam praeterea aliam literam Te vel Tse in fine adjiciunt, ut v. g. fit in nominibus ثُفُكْث, *sol*, vel *calor*, et ثْمُورْت, *terra*, quorum themata videntur esse فُكْ et مُورْ, vel etiam Te femininum Arabum servant, ut in ثمدينت, *urbs*, ثُلْقُمت, *buccella panis.* Num forte Leptitani hunc sonum a vicinis Numidis adscitum litera Tet expressere, quam olim adspiratam fuisse hinc θῆτα Graecorum, illinc Tha Arabum, demonstrat?

§. 5.

Superiori lapidi Leptitano alium adjungimus ex iisdem oris in Angliam advectum et in Museo Brittannico depositum, cujus nondum editi pariter duplex apographum, in Tab. III delineari curavimus, Stirumianum, quod in interpretandi tentamine secuti sumus, n. 5. a, et Reuvensianum n. 5. b. In difficillimae et obscurissimae inscriptionis lectione et explicatione et saepe et multum haesimus, dubitantes utrum Numidica ista verba forent an Punica: nec profecto affirmare audemus, nos veram illorum sententiam assecutos esse. Ad probabilitatis tamen aliquam speciem nos pervenisse contendo, in qua Viri docti vel acquiescant, vel fundamentum aliquod reperiant, cui melior et perfectior interpretatio superstruatur. Quamobrem eruditos hoc Africanae antiquitatis monumento diutius privare nolui; si forte aliis quam mihi contingeret esse in conjectando felicioribus. Lapis de cujus materie et vera magnitudine mihi non satis constat, cubi formam habet, nullisque emblematibus, aliisve indiciis, ornatus est, quae illius naturam ponendique caussam indicent. Gesenius, penes quem hujus etiam saxi delineatio exstat, cippum sepulcralem esse arbitratur, et in meae ad Rochettium epistolae censura

(*Hall.*

(*Hall. Literaturzeit.* May 1826. p. 46) priores inscriptionis literas sic effert: בעל תעקבר, *dominus sepulcri*, i. e. *in hoc sepulcro conditus*, conjiciens particulam הע genitivi indicium esse, nec differre ab eo תא, quod pari potestate in inscriptione Cyrenaica legatur, et ab Arabico متاع vel بتاع per aphaeresin ortum sit. De qua sententia inferius agendum erit, ubi praecipuas Virorum Doctorum de lapidibus Humbertianis et inscriptione Cyrenaica sententias perlustrabimus. Nunc illud tantum animadvertimus, nos ex illa hypothesi, quae caeteroquin nobis summopere placuisset, aliquam inscriptionis explicandae viam semul iterumque quaesivisse, nullum vero exitum reperisse, nec etiam illud, quod Gesenio extra controversiam positum videtur, nempe septimam literam esse Beth, certo probari posse. Quamvis enim libenter concedamus in nonnullis etiam melioris notae monumentis, nummis praesertim, literas Beth et Resch, cujus hic figuram cernimus, nonnumquam inter se confundi, non ante tamen altera in alterius locum substituenda est, quam compertum sit vulgarem harum literarum potestatem cum sententiae nexu conciliari non posse. Hoc vero in Leptitano illo mouumento secus est, cujus, si figuram illam, quam diximus, Resch esse existimemus, longe facilior videtur esse explicatio, quam nunc statim aequis lectoribus dijudicandam proponam.

בְעלת עִקָּר רִד כ-
-ל קְצָתֹת כְּתַכְּע וְתֹ-
-דות עֲּפְפַת כ-
-ל כְּנַ[י] תְּבִירָן בִּר כַּתָּזִן

Sterilitatis ergo, quae per omnes fines dominatur, debiti instar et oblationis eucharisticae duplicatae omnium filiorum Thebiranis filii Cathazi (nempe monumentum positum est).

Priorum duorum inscriptionis versuum mihi videtur esse certior explicatio quam sequentium, quorum literae, uti postea videbimus, etiam aliter legi et conjungi possent, ut diversa plane esset sententia. Interim nos ex variis rationibus illud elegimus, quod nobis imprimis probabile visum est. Nunc de singulis videndum. Prima vox בְּעִלַּת est plane Syriaca. Aramaeis enim עִלָּא, ܥܠܬ, in statu constr. עִלַּת, et ܥܠܬܐ est *caussa*, *occasio:* nec multum abludit Arab. عِلَّة. Literae certae sunt; sola Lamed aliquam animadversionem meretur. Eadem est formae in-do-

doles, quam in hoc elemento ab initio inscriptionis Zeugitanae I et vs. 3 Zeugitanae II observavimus. Proximae vocis עִקֵּרך literae non minus manifestae sunt. Est reduplicatum, sive Pihlel, a radice עקר, *eradicavit*, in plerisque dialectis *sterilis fuit*, quae *sterilitatis* notio in nonnullis etiam verbi derivatis Hebraicis, Chaldaicis et Syriacis cernitur, ad solos tamen viros feminasque, ut videtur, restricta; in hac vero inscriptione latius patens, et sive de animalibus, sive, quod equidem malim, de frugiferis arboribus usurpata. Formam עִקְּרְך comparamus cum פִּרְחַח, *suboles*, Job. c. XXX. vs. 12, quod tamen in nonnullis Codd. פִּרְחָח effertur. Ejusdem naturae est שַׁאֲנָן, *superbia*, ὕβρις, et רַעֲנָן, quamvis hoc semper adjectivum est *viridis*. Poterit etiam עִקְרָך et עִקְרְך scribi, ad normam τοῦ אֻמְלַל et אֻמְלַל, vel עִקֵּרְך, vel עִקְרָך, cum vocalibus defectivis, quae plene scribuntur in חֲבַלִּיל, סַגְרִיר, שַׁעֲרוּר, aliis; vel denique עִקְרֹך, ut נַהֲלֹל. Verbum רַד, quod sequitur, nobis videtur esse geminatum pro רדד, quod cognatum est τῷ רדה, *dominari*, et bis *subigendi*, *subjiciendi* potestate occurrit, Psalm. CXLIV. vs. 2, et Jes. c. XLV. vs. 1 quibus locis non male *calcandi*, *calcatione domandi* potestatem tribuit Schroederus *de Vest. mul. Hebr.* p. 378 sqq., qui imprimis de duorum verborum inter se cognatione legendus est. Explicationem nostram corroborat ipsa constructio, quae in locis Bibliorum laudatis et nostra inscriptione eadem apparet. Nam ibi verbo רד accusativus adjungitur עמי et עמים, hic in eodem casu subditur כל קצתות. Erunt fortasse, quibus רד pro ירד, *descendit*, positum esse videatur, ut sensus sit sterilitatem coelitus immissam in universam regionem descendisse. Forma רד h. s. occurrit Jud. c. XIX. vs. 11. Similes aphaereses literarum vocales habentium memoravit Gesen. *Lehrgeb.* p. 139, quibus adjunge ex lingua Melitensi exemplum nostro simile *hab*, *dedit*, pro יהב vel وهب. Nec accusativus verbo ירד, quam רדד vel רדה, ineptior est. Ergo hic equidem nihil definio, sed ad voces proxime sequentes propero. Hic duae tantum literae controversae nobis occurrunt, quas Caph et Tsade pronuntiavimus. Prior, quae inferius repeti videtur vs. 3 extremo, item vs. 4 loco antepenultimo, non multum differt a sexta Koppii l. l. T. II. p. 216 et Palmyrena. Potestas τοῦ Tsade imprimis stabilitur praecedentis monumenti Leptitani comparatione. Libenter fatemur illud adversari videri nostrae sententiae, quod eadem litera in monumento Zeugitanico II a nobis Lamed pronuntiata sit, vel potius Nun, quod superius p. 77, opportuno loco, obser-

servare neglex imus. Qui vero hac de re dubitant, hos iterum obsecro ut accurate considerent, quanta sit in iis etiam inscriptionibus, quae in una eademque provincia Zeugitana repertae sunt, elementorum discrepantia, ut mirum profecto non sit, si ejusdem figurae alia in illis ratio esse reperiatur, alia in Leptitanis, de quibus nunc sermo est. Si igitur Tsade existimanda sit, erit pronuntiandum קְצָתֹת, quod repetendum est a sing. קֶצֶת, prorsus uti דְּלָתוֹת derivatur a דֶּלֶת, *porta*, et קְשָׁתוֹת a קֶשֶׁת, *arcus*. Imprimis vero comparandum est שְׂפָתוֹת. Nam sicuti hoc ducitur ex deperdito שֶׂפֶת, pro quo in usu est שָׂפָה, *labium*, ita pro inusit. קֶצֶת, a quo ortum est קְצָתוֹת, apud Hebraeos frequentatur קָצָה, *finis*, a quo est forma plur. ordin. קְצוֹת. Designantur h. l. *omnes regionis fines*, *tota regio*, et כָּל קְצָתוֹת accurate respondet Hebraico כָּל גְּבוּלֵי הָאָרֶץ. Nec si quis Nun תָּ Tsade praeferat, sensus ineptus erit. Quippe vox קְנָתוֹת eandem plane rationem habet formae et derivari poterit a sing. קֶנֶת, vel si mavis, קְנָת, *possessio*, quod superest in nomine urbis Gileaditicae Num. c. XXXII. vs. 42. I Chron. c. II. vs. 23. Haec vero lectio si probetur, hic potius de pecudibus sermo erit, quam de agris, uti in Hebr. cogn. מִקְנֶה, quod egregie responderet usui magis certo et probato praecedentis עקרר, *sterilitas*, de animantibus, non item de agris, frequentati. Atque equidem si auderem, haud gravate istam explicationem admitterem, imprimis extremae hujus inscriptionis literae caussa, nostrae admodum similis, quae si Tsade erit, nihil reperies, quo te expedias, nisi vocem finalem nomen pp. barbarum esse affirmes. At equidem nondum huic explicationi assentiri possum, cum quocumque te vertas, eidem figurae potestatem literae Nun in prima inscriptione Leptitana obtrudere minime possis.

Pluribus etiam difficultatibus premitur proxima vox, quam כְּתִבְע pronuntiandam esse existimavimus. Sola enim litera secunda ת satis certa est. E reliquis prima mihi est Caph inversa, Koppii septima p. 216, tertia Beth eam exprimit, quae in Inscriptione II Zeugitana legitur, et quarta Ain eadem ratione mutilata et in duas partes divisa est, qua hoc in isto monumento et in aliis etiam locis temporis injuria factum esse agnovimus. Jam vox תִּבְע, vel si hoc praeferas, תְּבַע, Aramaea est, descendens a תבע, *quaerere*, *exigere*, imprimis *debitum*, et hinc, ut equidem conjicio, significans: *illud quod debiti instar exigi*

gi potest, et h. l. peculiariter *donarium*, *quod superiorum beneficiorum caussa Numini debetur*. In sqq. duobus vocabulis de conjunctione literarum et vocum divisione diu et multum dubitavimus, de literarum potestate non item. Sola Waw et Phe considerari merentur, quarum illa jam antea nobis occurrit in nummis Numidicis, haec eandem plane formam habet in Inscriptione Borgiana vs. 4. l. 3 et in Zeugitana I. vs. 3. l. 4. 5. Ibi tamen desunt semicirculi, qui hic literae Phe utrique superimpositi sunt, sive illi ornamenti caussa adjecti existimentur, sive signa sint diacritica, quod ad explicationem perinde est. E geminis vocibus altera תרות origine et significatione cognata est Hebraicae תּוֹדָה, *laudatio*, *gratiarum actio*, *sacrificium eucharisticum*. Adjungitur substantivo ejusdem generis adjectivum עֲפֵפֵת, formatum secundum analogiam participiorum verbi geminati Hebraici, rationem servantium. Comparetur Syriacum ܥܦܦ, *duplicavit*, quod ergo in Pehal, deperdito in reliquis dialectis, at hic servato, significare debuit *duplicari*. Quae legendi ratio etsi mihi imprimis placeat, haud reticendum tamen est, compluribus modis vocem istam pronuntiari posse, quamvis sententia semper una eademque sit. Erunt quibus efferre placeat עֲפִפַת pro עֲפִיפַת, in statu constructo ob sq. genit. כל ab עֲפִיפָה, *duplicata*, quod ipsum erit Syr. ܥܦܝܦܐ. Idem עֲפִפַת substantivum quoque fuerit, *duplicatio*, respondens Syriaco ܥܘܦܦܐ, quocum plane coalescet, si pronunties עֻפִּפַת, quod pariter licebit. Postremo considerari poterit ut Infin. in Pahhel, vel nomen ab ea specie derivatum, ut עֲפֵפֵת efferatur, eodem *duplicationis* sensu. E tribus igitur postremis rationibus si aliquam eligas, reddendum erit: *oblatio eucharistica duplicationis*, substantivo secundum Hebraeorum consuetudinem pro adjectivo posito.

In vocibus, quae adhuc explicandae restant, literarum difficultates exiguae sunt. Sola Nun paullo incertior est, sed illustranda videtur ex Persica forma veteri, quae pariter lineae perpendicularis speciem habet. (Kopp. l. l. p. 282). Animadversione dignae sunt etiam Beth, quae ultimi versus secunda, et Jod, quae ejusdem versus sexta litera est. Harum altera similis est figurae, quam superius in Inscriptione I Leptitana in voce בצרת observavimus: altera est illa litera Jod quam offert vox פְּרִית in Inscriptione II Zeugitana. Pro בְּנֵ[י] תבירן, etiam literis aliter conjunctis legi posset בְּנֹת בִּירָן, *filiae Biranis*, vel potius בְּנוֹת בִּירָן. Nam

 ni-

nisi litera aliqua exciderit, intervallum inter literam Nun et Tau majus est, quam ut ad eandem vocem satis commode referantur, in hoc praesertim monumento, quod reliquis Africanis sculpturae nitore longe praestat. Existimamus ergo vel literam Waw aut Jod temporis injuria deletam, vel vacuum spatium hic relictum esse, ne lectores in dividendis vocibus haererent; quo in casu Jod de industria omissum et eadem ratione supplendum sit in בְּנֵ, qua hoc ex J. C. Lindbergii in *Comment. de nummis Punicis Sextorum*, etc. ejusque censoris Gesenii sententia (*Hall. Literaturzeit.* May n. 64, p. 526) factum est in nummis Hispanicis Mionneti: pl. XVIII. n. 1—4, pl. XIX. n. 19, quos illi legunt מְבַעֲלֵ צֶכִין, *a dominis*, i. e. *magistratibus*, *Sextorum*. Quod tamen eam potius ob caussam attuli, ne quis nimiam mihi exprobaret in conjectando audaciam hoc exemplum secuto, quam quod eorum interpretationi assentiar, aut mihi facile persuaderi patiar figuram illam decussatam, quae ubique Tau est, de Mem explicari et hic מבעל, non תבעל, legi posse. Si revera umquam in pl. constr. vocis בעל Jod omissa sit, equidem hoc citius de nummis Gaditanis, quorum typum inter alios edidit Bayerus *Vind. numm. Samar.* p. 1 et alibi, asseverare ausim. In his enim diserte legimus, Koppio duce, T. II. p. 208, מבעל אגדר, i. e. *a domino*, vel, si Jod neglectam esse contendas, *a dominis Gadium.* Quarum rationum parum abest quin priorem praeferam, memor incertae plane sententiae, quam ex omissa litera Jod ortam nemo mortalium expediat, nisi prius didicerit, utrum unus an plures Gadibus praefuerint: qua de re etiam nos admodum incerti sumus. Quamvis enim bello Punico secundo, vel popularem, vel aristocraticam regiminis formam in ista Tyriorum colonia valuisse ex Livio certum est, Suffetes Gaditanorum Lib. XXVIII. c. 37. memorante, at nescimus utrum hoc semper, et ea praesertim aetate obtinuerit, qua nummi isti cusi sint: cum antiquissimo tempore Phoenices illorum tractuum regibus paruisse, ex Arganthonii notissimi Tartessiorum Principis exemplo constet. At bona fortuna accidit, ut alii etiam nummi supersint, his literis inscripti בעלת הגדר. Hoc Koppius l. l. p. 209 explicuit *domina Gades*, vel *dominatrix Gades*, pronuntians בַּעֲלַת הַגֶּדֶר, quam interpretationem regulae linguae Hebraicae repudiant. Quippe adjectivum, vel participium, articulo carens, si substantivo determinato praeponatur, praedicati locum obtinet, ut reddendum esset: *domina est Gades.* Ergo vel dicendum hic designari *dominam Gadium*, (בַּעֲלַת הַגֶּדֶר), i. e. *reginam aliquam*, *Deamve*, Astarten puta, quae hic *domina*

Ga-

Gadium appellata sit, ut Hercules *dominus Tyri* (בעל צר), vel Koppii decessoribus Dutensio et Velazquezio adstipulandum, reddentibus: *dominatio Gadium.* At de regina sermonem esse minus verosimile est; sic enim nomen pp. additum foret: quod argumentum etiam valet de voce מבעל, si de uno, non de pluribus, capiatur. Nec etiam Astartes mentio satis apta: cum ab altera parte Herculis caput cernatur, cui Gades sacrae erant, cujusque memoria hic igitur exspectanda erat, non Astartes. Quod si igitur vertas: *dominatio Gadium*, istud בעלת, me quidem judice, collective sumendum et ad normam pluralium fractorum Arabicorum exigendum erit, et quemadmodum apud Arabes a sing. بَعْل, *dominus*, derivatur collect. بُعُولة, quae vox proprie est Inf. formae 29 et notat *dominari* et *dominationem*, sic vocabulum Phoenicium efferri poterit בעלת, et collectivo sensu de *dominis*, vel *magistratibus*, Gadium explicari, plane uti nostrates *regering*, Germani *Regierung*, de ipsis imperantibus usurpant. Res enim omnibus linguis communis; at apud solos Arabes et Aethiopes certis quibusdam doctrinae legibus adstricta est. Interim vocalium τῷ בעלת addendarum optio omnibus libera est, modo meminerint Infinitivum esse collective positum, cujus usus lectionem vocis מבעל pro מבעלי haud leviter confirmat. Haec nobis ratio maxime placet: at fatendum est aliam etiam superesse explicandi viam, non minus probabilem, ut בעלת הגדר et בעל הגדר, *praeditus* (locus), vel *praedita* (urbs), *munimento*, plenum sit nomen oppidi alias הגדר appellati, quomodo apud Hebraeos nunc dicitur בעל מעון, בעל הצור, בעל חרמון etc. nunc simpliciter חרמון, הצור et מעון. Femininum בעלת, quod mireris, in urbium nominibus compositis rarissimum est, nec aliud exemplum exstare videtur, nisi בעלת באר, *praedita puteo*, Jos. c. XIX. vs. 8, quae libro primo Chron. c IV. vs. 33 בעל vocatur per ellipsin vocis באר. Interim sive hoc, sive illud, placeat, longe diversa ratio esse videtur vocis בעל et vocis בנ defective scriptae. Nam in illa perpetuum erat singularis et pluralis numeri confundendi periculum, in hac nullum, modo Leptitani, ut ex sqq. verosimile est, in sing. more Syrorum voce בר uterentur. Non igitur si id in בנ licuit, idem continuo in בעל imitari concessum est; sed contra, si posterior vox ita pronuntianda est, eandem licentiam in בנ tanto meliore jure tueri poterimus. — Nunc paucis adhuc de extremis hujus inscriptionis vocibus videndum est. Prima תבירן est nomen pp. si-

 gni-

gnificationis incertae, quia aequo jure a כור, vel ביר, et a תבר descendere poterit. Nec, si בנות בירן legamus, quidquam ad vocis potestatem determinandam lucramur. Utrumque tamen, quomodocumque explicetur, Semiticum est. Quid vero de altero nomine dicemus כתין, quod inscriptionem claudit? Nulla enim est radix Semitica כתין. Ergo aut hoc statuendum est, illud nomen barbarum, et forte a Numidis ad Leptitanos translatum esse, aut ex consueta literarum Ain et Tsade permutatione כתין pro כתע scriptum esse, quam radicem soli Arabes servaverunt. Haec igitur postremorum vocabulorum interpretatio erit ex apographo Stirumiano: at in Reuvensiano octava vs. 4 litera admodum diversa est lineasque nonnullas ostendit a dextra lineae perpendiculari adjunctas, quae figuram efficiant literae Mem haud dissimilem. Hujusmodi lineas etsi affinis meus ait se reperisse nullas, at loci tamen obscuritas (in cella enim subterranea Musei Brittannici lapis jacebat) efficere potuit ut illas minus discerneret. Quodsi ergo hic Mem pro Nun legamus, ultimaeque totius inscriptionis figurae potestatem literae Nun tribuamus, quam in Inscr. II Zeugitana obtinere vidimus, extrema sic efferri possent: בְנֵ תְבִיר (בְנוֹת בִיר vel) מִבַּרְכָתָן, *filiorum Tabiri* (vel *filiarum Biri*) *ex Barcaeis*, quod etsi nobis literarum ductus accurate sequentibus minus placet, minime tamen reticendum existimavimus. Hoc tamen si quis probare malit, תביר facile explicare poterit ut participium pass. verbi תבר, i. q. שבר, *frangere;* unde etiam תבור montis nomen derivatum est. ביר vero *puteum* notabit (Cf. Jer. c. VI. vs. 7 et Ar. بئر) quod nomen virile tuentur Hebb. nomina pp. בְאֵרָה, בְאֵרָא et חֵפֶר. In altero מִבַּרְכָתָן latebit nomen gentile בַרְכָתִי a בְרֵכָה, sicuti מַעֲכָתִי a מַעֲכָה, ut Barca urbs Cyrenaica, vel tota ista regio, intelligatur, quae deinceps ab Arabibus برقة appellata est. Etsi equidem בְרֵכָה, i. e. *piscina*, et מִבְּרֵכָתָן pronuntiare malim, et nomen referre ad *Bergen* oppidum, quod in vicinia Leptis magnae collocat Itinerarium Antonini.

Haec de singulis verbis tradenda esse existimavimus. Jam universe hoc addendum est, lapidem positum esse piaculi caussa, antea largam messem fuisse videri, cujus beneficii gratia cum haud satis ampla munera et sacrificia se Diis immortalibus obtulisse homines sibi persuaderent, hinc sterilitatem ipsis divinitus immissam, geminatis muneribus iram Numinis avertere conati sunt. Memorabile vero est in Inscriptione I Zeugitana geminata sacrificia voveri, hic vero solvi, at inscriptionum auctores pro diversitate locorum diversis geminandi verbis usos esse; et Leptitanum magis in Syriasmum, Zeugitanum in Arabismum inclinasse.

LIBER

LIBER TERTIUS.

NOVAE CURAE IN LAPIDES HUMBERTIANOS ALIOSQUE ANTEA A NOBIS EDITOS ET EXPLICATOS, ITEM IN INSCRIPTIONES CITIENSES.

Absoluta inscriptionum vel ineditarum, vel antehac a nobis nondum explicatarum, interpretatione, ad ea nos monumenta convertimus, de quorum lectione et sensu mihi cum nonnullis Viris doctis controversia est; lapides Humbertianos puta, et inscriptiones, Borgianam, Carpentoractensem, Cyrenaicam. Qua in quaestione tractanda ita versabimur, ut quid nobis de eruditorum hominum hac in re dissensu videatur, exponamus; tum argumenta afferamus, quibus sententia nostra de lapidum Humbertianorum ex Carthaginis ruderibus effossorum vetustate, et de Tholadi Tholathaeque religione, luculenter confirmetur. Jam temporis ratio postulat ut primum agamus de censuris Diatribes illius, quae a me ante hoc sexennium edita est et monumentorum Africanorum explicationem complectitur. De hac igitur, quantum equidem novimus, tres potissimum Viri docti sententiam suam publice dixerunt, Anonymus Hallensis, Koppius, Gesenius. Ab Anonymi vero censura, quam primo loco memoravimus, incipiendum est. Edita est haec in Diariis literariis Hallensibus mensis Julii 1824, n. 165. Doctissimus auctor in eam sententiam disseruit, ut trium versuum priorum lapidis tertii Humbertiani interpretationem, quae nobis cum maxime certa et indubitata visa est, impense probaret, reliquas autem explicationes meas eatenus admitteret, quatenus id nosmetipsi faciendum esse censemus, modeste et prudenter adhuc subdubitantes, nec audacter affirmantes, omnium literarum et vocum adeo certam et exploratam esse sententiam, ut de meliore interpretatione desperandum sit. In inscriptionis vero Borgianae explicationem nonnulla animadvertit, de quibus breviter agendum est. Quod ab initio quaerit, qualis tandem illa civitas Tuggensis fuerit, ubi hoc monumentum exstat, complures enim Tuccas reperiri in Africa, Tugiam in Hispania Tarraconensi;

si; quibus fortasse duo oppida Tucci in provincia Baetica adjungi possent (Cellar. *Geogr. Ant.* T. I. p. 66 et 77); his igitur ita respondemus, illud oppidum Zeugitanae significari, quod haud procul Bagrada flumine jaceat in vicinia Siccae Venereae a Shawio descriptum T. I. p. m. 159 sqq., et a nobis satis diserte indicatum sit *Diatribes* p. 42, ubi illud קרן סג, *cornu Siccae*, opportunissimum esse judicavimus, quia duae urbes Sicca et Tugga paucissimarum horarum spatio dirimantur et Sicca Tholathae, sive Veneris Uraniaé, religione imprimis inclaruerit. Quae caussa etiam est, cur haec de ista urbe, quam de Siga Mauretaniae Casariensis, aut de portu Sigensi, a censore memoratis, accipere praestet. In sqq. vocem tertii versus extremam, quam nos תרגנו, *desiderium ejus*, *secundum desiderium ipsius*, explicueramus, censor pronuntiat תרגנו, i. e. *Tarraconensis*, qua in ingeniosissima conjectura statim acquiesceremus, si quemadmodum Anonymus suspicatur, illud קרן סג pariter תרגנו pronuntiandum esset. At hoc saltem ex apographis nostris, Munteriano, quod in Tab. II. n. 3 delineandum curavimus, et Humbertiano, effici nequit. Minus autem verosimile est nomen gentile ibi omissum esse, ubi primum Haäwah filius Fameae memoratur, et in sqq. demum illius nomini repetito adjectum esse; nisi forte statuendum sit in praecedentibus titulos viri sacerdotales numerari, atque eo igitur in loco eum potius insigniri ab urbe ubi dignitate floruerat, quam ubi natus erat. Ut ut est, gratias agendas esse censemus Viro doctissimo, et hanc opinionem nobiscum communicanti, et terminationem gentilem Waw Judaici nominis exemplo tuenti. Notat enim Judaeum Aäronem ben Elihu Nicomedensem in MS. tam Leydensi, quam Jenensi, libri כתר תורה, s. *corona legis*, appellari ניקמדיאו. Quae observatio, quanti momenti sit postea apparebit Libro quarto, ubi nummum producemus Africanum, in quo ejusmodi terminatio Waw adjectivi relativi occurrit.

Haec pauca sufficiunt de Anonymi censura: nunc ad Koppium veniamus, qui suam de mea dissertatione dixit sententiam in Annalibus Heidelbergensibus, quam obiter jam attigimus in nostra ad Rochettium epistola, nunc vero paullo uberius et accuratius retractabimus; tum quod illa quaestio hujus potissimum est loci, tum quod ille libellus noster, quem modo nominavimus, non in multorum adeo hominum manus pervenisse videtur. De tribus igitur argumentis nobis cummaxime dicendum est. Nam primum in eo versatur censor, ut, quod antea in Palaeogra-

graphia sua Semitica saepenumero fecerat, Philologis etiam atque etiam inculcet, illorum doctrinae hac in re nonnisi secundarias partes esse, quo doctior sit aliquis, eo facilius eum labi in inscriptionibus legendis et conjecturis indulgere libentius, postremo simpliciter lectionem esse instituendam, nec de sensu laborandum, donec literarum potestatem definiveris: hinc secundo loco demonstrare conatur me aliorum exemplo a recta via aberrasse, et quo eum sensum in verbis invenirem, quem mihimet ipse finxeram, literarum certae et indubitatae potestati vim intulisse, L pro N, N pro L, R pro D, D pro R, B pro Z pronuntiasse, cum tamen, modo regulis Palaeographiae obtemperassem, longe faciliorem interpretationem reperissem. In cujus rei confirmationem novam denique affert lectionem versionemque Inscriptionis Humbertianae tertiae. Jam quod ad primum illud attinet, etsi ab omni lectionis temeritate studiosissime temperandum esse putemus, nec ante consuetam literarum potestatem esse repudiandam, quam omnia alia interpretandi subsidia frustra tentata sint, nihilominus certissimum esse arbitramur, ut Philologum Palaeographiae studiis parum, aut nihil, tribuentem, sic Palaeographum Philologiam negligentem non admodum feliciter in obscurissimis istis Phoeniciae vetustatis reliquiis operam esse positurum. Quin nemo facile negaverit, totam istam Palaeographiae Semiticae doctrinam ex Philologia ortam et hujus subsidio imprimis confirmatam esse. Quamvis enim illi qui primi Alphabetum Phoenicium explicare conati sunt, ex inversis Graecarum literarum formis, item ex Samaritanis nonnullis, de quorumdam characterum Phoeniciorum potestate conjecturam fecerunt, ad certam tamen rei scientiam pervenire minime potuissent, nisi lingua Hebraica nixi essent, illiusque ope literarum significationem conjecturalem cum ipsa vocum Phoeniciarum ratione convenire ostendissent. Nec diversa hodieque, etsi aliquantum in isto studio profecimus, explicandi via est. Quo plures enim ignotae et variae deteguntur literarum formae, eo difficilius esse constat de earum statuere significatibus, nisi a notis ad ignota, usus diligenti cum aliorum monumentorum, tum dialectorum Semiticarum comparatione, caute et prudenter processeris. At quamvis haec in incertarum literarum potestate determinanda unice valeat interpretandi ratio, eadem tamen via minime insistere licere in iis characterum formis explicandis, quae certis regulis a se invicem discriminatae sint, ut Nun et Lamed, item Beth, Daleth et Resch, contendet Koppius. Has enim omnibus peritis harum rerum judicibus esse probatas. Atqui minime quaerendum est utrum illud a multis probatum sit, sed an satis recte et idonea de caussa probetur. Ego vero haud dubi-

bi-

bitanter affirmo, monumentorum, de quorum interpretatione a Koppio aliisque proposita constet, adeo exiguum esse numerum, ut paene temerarium sit statuere regulas, a quibus nemo paullo doctior vel lato digito ausit discedere. Quid quod ex iis etiam locis, de quorum sensu nemo dubitat, manifesto intelligitur, literas illas nonnumquam inter se confundi. Sic Resch et Daleth habent caudam sinistrorsum recurvam ut Beth in nummis Gaditanorum, uti supra jam observatum est p. 16, et si nummos Sidoniorum et Tyriorum conferas apud Koppium T. II. p. 212, inter Daleth vocis לצדנם, n. III. VI. IX. XI. XX, et Resch vocis לצר, n. XXII et XXV, nullum plane discrimen reperies, nec distinguere poteris inter Lamed et Nun vocis לצדנם, n. I. IV. et X. Quae cum ita sint, non sine voluptate ex censura operis Mionnetiani (*Hall. Literaturzeit.* Marz, n 63, p. 518 et 522) intelleximus Gesenium quoque de harum regularum auctoritate dubitare coepisse. Quod si facere non recusasset ipse Koppius, et aliquanto majorem operam Philologiae Semiticae dedisset, in inscriptionibus Phoeniciis illustrandis multo plura praestitisset, et Palaeographiam Semiticam, cujus firmissima fundamenta posuit, felicius etiam tractasset. Nunc vero istas disciplinas ita a se invicem distinxit et separavit, ut earundem in uno homine conjunctionem noxiam potius quam utilem scientiae Palaeographicae futuram, et primum legendas, dein explicandas esse inscriptiones contenderet, quasi alterum ab altero ullo umquam modo separari posset. Quae res eum exitum habuit, quem facile quisquam mente praecipere poterat. Nempe ut regulis istis palaeographicis satisfiat, analogia et leges dialectorum Semiticarum penitus negliguntur, nec linguae ingenium consulitur, atque ejusmodi saepe explicationes proponuntur, quae peritis Philologis placere nequeant, et quod imprimis dolendum est, apud plerosque omnem Palaeographiae scientiae fidem et auctoritatem labefactent. Cujus erroris insigne exemplum nobis offert interpretatio lapidis tertii Humbertiani, quam in nostrae locum substituit Koppius, ego vero in eorum gratiam repetam, qui nec censuram Koppianam, nec meam ad Rochettium epistolam, viderunt. Mea inscriptionis illius lectio et interpretatio haec erat:

לרבתן תלת ולבעלן לאדנן בעל המלא הלד
בגדעת תרת הסכר בן עבעם נדר

Dominae nostrae Tholath, et Domino nostro, hero nostro, domino clementiae Tholad, propter sectionem uvarum, (vel *mistionem musti*) *ex voto.*

Kop-

Koppiana lectio sic sonat:

נד ברת לת נתון בעלל לאבנן בעל חמן
אתן רד נד עתת דת הסזד בן עבעמל רד

Haec ipse Vir doctus sic ad verbum transtulit, quod bona fortuna accidisse arbitramur, cum, si ipse siluisset, nemo mortalium hoc aenigma solvere potuisset:

Deploravit familia traditum (positum) *dum operata est* (intulit) *ad lapidem nostrum. Baäl Hamman* (Deus Solis) *vos subjecit succidendo tempora. Lex Haszad filium Abamel subjecit.*

Quae quam ridicula sit interpretatio, propter articuli defectum minus ex Latina versione apparet, quam ex Gallo-Francica, jam antea a nobis proposita in epistola ad Rochettium, hic vero repetenda.

Une famille s'est affligée, à cause d'un donné (c. à. d. *d'un mort*) *tandis qu'elle était occupée à faire notre pierre* (ou, *en déposant* [le mort] *dans notre pierre*). *Baäl Hamman vous a assujétis en tranchant des tems. Une loi a soumis Haszad fils d'Abamel.*

Quodsi a versione ad textum Hebraicum nos convertamus, omnia foedissimorum vitiorum plena reperiemus. Ut enim singula ordine persequamur, litera ת in voce tertia לת, ipso Koppio fatente, plane superflua est, nec illius ratio intelligi potest, quae profecto observatio ad totam explicationem evertendam sola sufficeret. Quidni vero adversariis etiam nostris aequi bonique consulamus, et ipsi Koppio tantae difficultatis solvendae viam aperiamus? Modo legat בתלת ex Syriasmo, vel Arabismo, pro בתלה, *virgo*, et reddat: *virgo deflet traditum*, vel *defunctum*. Sic omnia salva! Fatendum est quidem נד non satis bene respondere feminino בתלת, sed quis tandem hoc aegre ferat in verbo praecedenti, qui meminerit eandem Koppium sibi sumsisse licentiam in verbo postposito et paullo post nomen femin. דת cum verbo רד conjunxisse? Dolendum est sane istam conjecturam reliquis lectionis Koppianae difficultatibus mederi non posse! Quid enim dicemus de נתון, *datus*, quod potius de eo qui a Deo datus ejusque beneficio natus sit, quales alias נתנאל et נתניה appellantur, quam de defuncto, usurpari posse verosimile est? Quid de affixo 1. personae pl. in voce אבנן, quod 3. pers. sing. esse deberet, ut referretur ad בת? Ut vero de ficto illo בעל חמן taceamus, ad quem mox redeundum erit, ubi ad Gesenianam illam κρίσιν pervenerimus, quis linguae peritus ferat illud אתן

 רד

pro רדכם, vel illud גר עתת, *succidit tempora*, pro *necem intulit?* Quis umquam admittat illum literarum sibilantium concursum in הסמר, aut illud verbum רר in extrema sententia accusativo postpositum? Alia etiam his adjungere possemus, sed piget operae in ejusmodi ἀντίχριστω insumtae, nec diutius lectorum otio abutendum est, quorum commodis longe melius consuletur, si nostram de Palaeographia cum Philologia studiose copulanda sententiam luculentis argumentis probemus, et Koppio ostendamus quantum detrimenti praejudicata illius opinio cum exigua ingenii linguae Hebraicae scientia conjuncta, huic disciplinae intulerit. Exempla repetemus ex Tomo I operis laudatissimi, quod *Bilder und Schriften der Vorzeit* inscribitur, ubi p. 200—249 ex inscriptionibus Citiensibus XXXIII a Pocockio editis quatuordecim interpretari conatur, in his celeberrimam illam, Oxonii asservatam. Qua in disputatione ita ab omni veri specie et probabilitate aberravit Koppius, ut illius interpretationes ad unam omnes rejiciendae sint, sola excepta facillimae inscriptionis V, quam recte לאשמן בן אבע legisse videtur. Hoc igitur ut non temere dictum esse constet, singulas illorum lapidum epigraphas breviter retractabimus, a duabus tamen abstinentes, de quibus nihil certi in medium proferri posse putamus, nempe XIII. (Kopp. p. 204) et XXIX. (p. 225). Incipiamus ab inscriptione decima repetita inferius Tab. IV, a qua Vir doctissimus suam illorum monumentorum explicationem exorditur p. 200 sqq., et cujus verba sic effert:

נ.רזאר בן חר כפרז שת

Quid quinque priores literae significent se ignorare fatetur; reliqua sic reddit: *filius Churi in nihilum positus est.* Qua in explicatione refutanda non magis otium consumemus, quam in aliis quae deinceps sequentur. Consideret ipse Koppius, quibus rationibus sua commenta Philologis, Orientalium linguarum peritis, probet. Nobis suffecerit nostra probasse et opposuisse Koppianis, ut lectoribus liberum sit ligendi arbitrium. Videant igitur an ista sibi placeant:

נדר אר כן חרב החרשי

Monumentum votivum Uri filii Horebi Harischitae:

Jam primum, quamvis non negem subinde puncta conspici in inscriptionibus Phoeniciis, quae distinguendis vocabulis inserviant, illiusque rei manifestum exemplum esse in Inscriptione Oxoniensi, sive Citiensi secunda, sedulo tamen in his cavendum esse censeo, ne quis sculptori attribuat, quod temporis injuriae debeatur et naturae lapidis. Sic, ut hoc utar, in saxo Leptitano II, de quo superius exposuimus, plura ejusmodi foramina reperiuntur, quae minus peritus et accuratus delineator facile cum pun-

punctis ad finem vocabulorum positis confundat. Ergo hoc signum negligendum esse putavimus, praesertim cum minime perspiceremus, quomodo illud primae literae postponi possit, nisi haec compendium scripturae sit, quod parum probabile est. Litera tertia primi, et extrema tertii versus, quam Zain esse censuit Koppius, aequo jure Resch existimari potest, ut apparet ex multis nummis Tyriorum. Nec obstat, quod alia mox forma literae Resch occurrat, cum ex tot exemplis de diversis ejusdem literae formis in eadem inscriptione constet. Prima igitur vox נדר hic est *ipsa res*, *quae ex voto datur*, ut in Levit. c. VII. vs. 16. Nomen virile pp. אר occurrit plene scriptum אור, I Chron. c. XI. vs. 35, et synonymum fere est τοῦ נֵר, *lumen*, quae avi Saülis, patris Kisi et Abneri, fuit appellatio, I Sam. c. XIV. vs. 50 et 51, c. XXVI. vs. 5 etc. Proximum nomen pp. Koppius חר effert, quod equidem non improbarem, nisi sqq. illud minus pati viderentur, cum חר, sive חור, complurium Hebraeorum, a Simone in *Onomastico V. T.* p. 54 enumeratorum, nomen fuerit, Phoenicibus haud ignotum, ut Inscriptio Citiensis, quae Oxonii asservatur, docet, inferius retractanda. Ut nunc est, malim legere חֹרֵב, i. e. *devastans*, vel si Arabicum حرب huc adhibeas, *bellum gerens*, *bellator*. Interim fieri potest, ut חָרְבָּה, i. e. *devastatio*, pronuntiandum sit, cujus rei dijudicatio tota pendet a proximae literae, quam Koppius nulla de caussa Phe esse existimavit, item characteris, quem idem Vir doctus ת explicuit, pronuntiatione. Ad priorem quod attinet, mihi quidem simplex He esse videtur. Forte tamen figura 𐤄 composita est ex duabus ejusdem literae formis 𐤄 et 𐤄, ut haec 'חרבה החרש sonent. Denique si ultima figura non Jod, sed Tau, existimanda sit, alia iterum vocabulorum divisio futura est. Sic enim figura illa literae He simplex habebitur, et חַר כְּהַחֲרֹשֶׁת legi poterit. Qua conjectura probata חרשת erit Inf. a חרש, *arare*, et inscriptio significabit lapidem istum votivum propter agrorum cultum feliciter institutum, vel instituendum, positum esse. Sic ergo He post praefixam Beth servatum fuerit eadem anomalia, quae in Hebraeorum libris nonnumquam cernitur. Cf. Gesen. *Lehrgeb.* p. 198. At ut verum fatear, minus verosimilis ista mihi ratio videtur, praesertim cum caussa prorsus nulla sit, cur ultima litera Tau esse existimetur. Quod enim affertur exemplum ex inscriptione vasis Panormitani apud Torremuzzam Classis XX. n. 14. p. m. 321, id, si recte a Barthelemyo verba Phoenicia lecta sint, non minus pro Jod, quam pro Tau pugnare videtur. Ista enim, ut notum est,

est, sic legit Vir doctissimus (*Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXX. p. 405) העתר בעל בן מסלח, *Adherbaäl* (i. e. *Baäl ditavit*) *filius Mislach*, ultimum signum, de quo nunc sermo est, intactum relinquens et siglum esse conjiciens. Hoc igitur si Tau fuerit, leges מסלחת, *condonatio*, a סלח; si Jod extuleris, erit מסלחי, et pertinebit ad ea virorum nomina, quae enumerat in *Onomast.* suo p. 386 sq. Simonis, Jod servile sibi adjungentia, etsi nec patronymica sint, nec gentilitia, ut אראלי, *heroicus*, חורי, הורי et כרמי, *ex generoso ortus et ingenuo*, ארמני, *palatinus*. Sic etiam מסלחי *condonatitius* erit, i. e. filius, qui suis parentibus signum placati Numinis fuerit et propitiati. Cum igitur Tau tantum alteri, Jod, ut mox apparebit, utrique inscriptioni apta sit, hujus potiora jura esse arbitramur, et vocem inscriptionis extremam החרשי pronuntiamus, ut gentile sit, absorpta, ut assolet, et supra a nobis exemplis probatum est, litera Tau feminina, a חרשת, i. e., ut equidem conjicio, Erysthia urbe Cypri, cujus apud Stephanum *De Urbibus* v. Ἐρύσθεια, et Dionysium Bassaricorum poëtam ab eo laudatum, mentio est, sic dictae, ut videtur vel a *silva*, Hebr. חרש, Chald. חורשא, Rabb. חרישה, item חרישותא, Chald. *ramorum perplexitas et densitas* (vide inferius *Hyle* in nominum geogr. recensione), vel ab *arvis agrisque cultis* quibus abundabat: nam חרשת est *arata*, nempe *terra*. Quo in Erysthiae nomine, ut Cheth abiit in tenuem vocalis sonum, ita servatum est in nomine insulae Cypri *Cerastis*, sive *Cerastia*, quod Graeci, qui illud nobis servavere, vel a promontoriis, vel ab hominibus cornutis, ductum fabulantur, ego vero minime dubito, quin a fertilitate ortum et Hebraicis literis חרשת exarandum sit.

Veniamus ad Inscriptionem Oxoniensem, sive Citiensem secundam, quam plurimi Viri docti interpretari conati sunt, Barthelemyum ducem secuti, etsi nemo omnes difficultates removisse videatur. Koppius, de quo imprimis hic agendum est, verba sic legit et explicat:

אנכ עבדאסר בן־עבדססם בן־חר מצבת
למבחיי יט נאת על משכב־נחתי לעלם כלא
שתי לאמת עשתרת בת־תאם בן־עבדמלך

Ego Abadosir, filius Abadsusimi, filii Churi, monumentum ei, quod ex vita mea

mea extendet habitationes ad cubile requiei meae. Ad secula inclusus repositus sum in conjunctione cum Astarte filia Thoëmi, filii Abadmolechi.

Variis philologicis argumentis hanc explicationem tueri conatus est Koppius, quae nemini literarum Orientalium perito facile probabit. Summa disputationis nostrae huc redit: quod nomen Abadosiri ex illius sententia in nominativo absoluto positum sit, id ferri potuisse, si scriptum esset זאת מצבת, vel זאת מצבתי, quemadmodum in exemplo ex Jes. c. LIX. vs. 21 repetito legitur אני זאת בריתי אותם. Quod in sqq. illud למבראשונה, *secundum id quod ab initio fuit*, adhibet ad tuendam lectionem למבחיי, id etiam atque etiam laudandum putamus, etsi minus recte ista comparatione usus sit, vocem למבחיי cum sqq. vocabulis falso a se distinctis conjungens, et hinc exsculpens sententiam, quae non magis verbis a se lectis respondeat, quam verba ipsa cum Hebraismi, vel linguarum cognatarum, ingenio conspirant. Si enim ista per linguae leges ferri possent, vertere minime liceret, uti fecit Koppius: *Denkmal für dasjenige, was von meinem vorigen Daseyn, seine Ruhe-Statte im Grabe gefunden hat*, sed *D. f. d. was während meines vorigen Daseyns* etc., quod admodum ridiculum est. Nec minus illud reprehendendum quod כלא praetulerit τῷ כלא, qui purus putus Chaldaismus est, a reliquarum dialectorum ratione abhorrens, ex quo כל cum Aleph emphatico substantivo postponitur, cum alias tali in casu affixum τῷ כל adjungi soleat, praecedenti nomini respondens. Unum illius exemplum constructionis Biblia nobis offerunt Ezrae c. V. vs. 7. לדריוש מלכא שלמא כלא, *Dario Regi pax omnis*, nec sane dubito, quin alterum servatum sit apud Ezechielem c. XXXVI. vs. 5, in verbis ועל אדום כלא. Tu fidenter rescribe כלא accentu retracto. Quid enim miremur Ezechielem, scriptorem parum accuratum et medios inter Chaldaeos viventem, in Chaldaismum incidisse et potius ad librariorum vitia, aut Aleph pro He affixo substitutum, confugiamus? Non tamen horum locorum eadem prorsus ratio est ac nostri. Illic enim nomina sunt determinata, at עלם est indeterminatum, atque adeo cum כלא in statu constructo conjungi videtur: etsi hoc facile explicari potest. Etenim כלא cum articulo postposito idem est ac הכל, et eadem igitur constructio est, quae Jes. c. XXIX. vs. 11. cernitur in חזות הכל. Postremo in hoc gravissime labitur Koppius, quod אמת עשתרת praetulerit certae et indubitatae

le-

lectioni אמת עשתרת, i. e. *ancilla Astartes*, quae merito jam Akerbladio et Sacyo placuerat. Primaria vero omnium illius errorum caussa in eo posita est, quod שתי male intellexit, nec sibi persuadere potuit, hoc primarium sententiae verbum esse, quo rectissime a Barthelemyo, Akerbladio et Sacyo exposito praecedentia etiam regantur. A vero Inscriptionis sensu proxime abfuisse videtur anonymus censor in Diario Literario Halensi 1805. n. 177, qui legit יטנאת, illud 3. p. praet. esse conjiciens a יטן, et explicat ex Arab. وطن, *consuevit*, *commoratus est*. Formam fem. יטנאת merito repudiat Koppius: nos illius lectionis vestigiis insistentes, et omnium literarum potestate servata, quam Koppius ejusque decessores iisdem attribuerant, sic legimus et vertimus:

אנך עבדאסר בן עבדססם בן חר מצבת
למבחיי יטנא תעל משכב נחתי לעלם כלא
שתי לאמת עשתרת בת תאם בן עבדמלך

Ego Ebed-Osir, *filius Ebed-Susimi*, *filii Houri cippum* (*secundum quod*, i. e. *propterea quod*, *in vita mea consuescens adscendere*, vel *intrare*, *solebat cubile requiei meae*) *in tempus perpetuum posui Amath-Astartae*, *filiae Thomae*, *filii Ebed-Molechi*.

Quodsi quem offendat oratio illa in parenthesi posita, sententiam etiam aliter reddere poterit. Nempe in Mem vocis למבחיי forsitan lateat מן sensu Arabico, *is qui*, vel *ea quae*, cujus Nun, non minus facile quam He voculae מה, in proximam literam Beth inseri potuit. Sic igitur sensus erit: *monumentum ei*, *quae in vita mea consuescens adscendere solebat cubile requiei meae*, *in aevum omne posui*, (nempe) *Amath-Astartae:* quod parum abest, quin mihi quoque praeplaceat. Aliae praeterea supersunt interpretandi viae. Nam illud תעל, ut vertendo significavi, etiam a עלל, *intravit*, derivare licebit, ut Chaldaismus sit pro תבוא, quo admisso evitabis difficultatem alias ex forma orituram; cum תעל a עלה derivatum, potius significet *adscendat*, quam *adscendebat*. Etsi optativi potestas non omnino a loco aliena sit, nec absurda foret bene precandi formula: *adscendat cubile requiei meae in omne aevum*, i. e. *perpetuo mecum requiescat in sepulcro:* cum משכב etiam defunctis tribuatur. Cf. Ezech. c. XXXII. vs. 25. At hoc si inscriptionis auctor voluisset, ista verba, ut arbitror, non hoc loco reliquis interje-

interjecisset, sed uxoris, sive concubinae, nomini proprio postposuisset. Pro ea vocis notione, quam ego imprimis probavi, nempe *adscendere solebat*, hoc pugnat, quod actio, quae continua est et fieri solet, futuro exprimatur (Gesen. *Lehrgeb.* p. 774), quodque forma etiam futuri apocopata nonnumquam ἀνωμάλως usurpetur in Indicativo. Cf ibid. p. 428. Porro verbum יטן etiam de consuetudine viri et feminae antiquitus usurpatum fuisse Arabicum وطن, ostendit, cujus Sp. X. inter alia notat *cohabitare uxori.* Haec de lapidis expositione universe considerata: nunc de duobus nominibus propriis videndum עבר כסם et תאם, quorum prius significat *servum equorum*, et demonstrat Phoenices Aegyptiorum instar etiam animalia nonnulla divino cultu prosecutos esse. Equi ab initio Baäli, sive Soli, sacri erant, ut ex II Reg. c. XXIII. vs. 11 intelligitur: dein cum ipsis, tamquam simulacris et symbolis Numinis, superstitiosa hominum veneratio communicata est, eadem ratione, qua hoc in vitulis aureis Danis et Bethelis factum esse constat. Ad nomen vero תאם quod attinet, impense miror neminem eorum, quod sciam, qui in hoc monumento explicando aliquam operam posuerunt, hic *Thomae* i. e. *Didymi* nomen agnovisse, quod veteribus Hebraeis appellativi potestate minime incognitum, sero demum ut proprium invaluit, cujus rei Thomas apostolus primum exemplum est.

His absolutis nos excipit inscriptio XXIII, quam una cum sqq. in Tab. IV reperies. Hanc Koppius p. 231—236 explicuit, verba sic legens et vertens:

מצבת בקים
אש יעף אעב
דא·סד לאב
יאלר כתא

Monumentum stabile viri defessi. Hanc porticum Dai struxit patri Johalar tamquam conclave. Quod sic eleganter παραφράζει· *Ewiges Denkmal eines Mannes, der seinen Lauf vollendet hat. Diese Halle erbauete Dai seinem Vater Johalar gleichsam als ein Gemach.*

Ut in superioribus, sic hoc etiam in loco doctissimus Palaeographus punctis istis, quibus vocabula a se invicem separari existimavit, item praejudicatis illis de certa forma literarum Lamed et Resch opinionibus, in errorem abductus est. Quo accidit ut nomina pp. דא et יאלר (rescribe ילאר) nobis obtruderet, sensu carentia,

 cum

cum tamen fere semper ista nomina apud Orientales aliquid significent. Ut vero taccam de vocabulis אעב, כתא et סר, pro יסר, *fundavit*, quibus nihil excogitari potuit vero dissimilius, quam contorta tota sententia est! Quodsi aliquanto diligentiorem Philologiae operam dedisset Koppius, statim agnovisset quatuor priorum vocabulorum, quae recte legit, non eam, quam ipse finxit, sed longe diversam esse sententiam, qua percepta ad reliquorum quoque intelligentiam haud difficulter pervenisset. Equidem istam inscriptionem sic explicandam esse nullus dubito:

מצבת בקים
אש יעף אעב-
ד אסד לאב-
ינא דכתא

Cippum ad sustentandum virum defessum fieri curavit Asad (?) *pauperibus Citiensium;* vel *Cippus ad sustentandum virum defessum. Fieri curavit* etc.

Vides sententiam Syriasmis plenam, e quibus primus est בקים, *ad sustentandum:* nempe קים est Inf. in Pahhel Chaldacis, non item Hebraeis, *sustentandi* sensu usurpato: proximus est אעבד, Aphel ab עבד, quod Aramaeis *facere* notat: tertius לאבינא nobis offert statum constructum Syriacum pluralis numeri: qui pariter adest in דכתא a כתין, *Citienses*, per ד in genitivo casu cum praecedenti אבינא conjuncto. Reliqua facillima sunt, nec dubium est, quin hic lapis aliquando ad latus viae positus fuerit, ut viatores pauperes, qui jumenti defectu pedibus iter faciebant, sedem haberent, qua membra sua defessa refocillarent. Hoc unum non apparet utrum illud אסד sit nomen pp. viri cum أسد, *Leo*, comparandum, an potius legendum sit אסד, i. e. ἡ βουλή, et vox composita existimetur ex Aleph articuli et סד, alias plenius סוד scripto, *concio*, *consessus*, imprimis *deliberantium*. Quod si probetur, eadem opera discimus aristocraticam, vel democraticam, regiminis formam Citii viguisse, non item monarchicam, qua tempestate hoc saxum erectum est. Cui conjecturae etiam hoc favet, quod אסד si nomen pp. foret, procul dubio de more Orientalium nomen patris sibi adjunctum haberet, quo ab aliis cognominibus distingueretur.

Sequitur inscriptio XVIII, quam Koppius p. 237 sic legit et vertit:

תאוב

תאוב
נעבר
תנין
בן־כבא

Valde desideratus (est) veneratus Tinjan filius Cobai.

Falsam interpretationem sola peperit perperam instituta vocabulorum divisio; si saltem tertia litera primi versus Waw sit, quod doctus palaeographus non satis perspicue demonstravit. Si igitur Waw sit, sic pronuntiandum videtur: תְאוֹ בֶן עֶבֶר תַנִין בֶן כַבָא, ut תְאוֹ nomen pp. sit, quod dorcadis, vel capreae, genus significet. Rem Hebraicorum nominum virilium אֲרָן, דִישָׁן, vel דִישׁוֹן, זִמְרָן et יַעְלָא, vel יַעֲלָה, quae omnia ad varias caprearum species pertinent, comparatio tuetur. Equidem tamen figuram istam literae He, quam Waw, propiorem existimem et legere malim תַאהַב, quae vox mihi *amoris commonstrationem* significare videtur, ab אהב. Quo admisso, proxima vox לְעֶבֶר efferenda et inscriptio sic reddenda est: *Amoris commonstratio Ebed-Tannino filio Cebae.* Sic igitur cippus iste a liberis cognatisve Ebed-Tannino amoris et pietatis caussa positus fuerit. Ut ut est, hoc satis constat, עבד תנין notare *servum draconis*, et novum hoc nomine contineri indicium cultus, animalibus sacris praestiti', in quibus serpentes praesertim et dracones apud Phoenices numeratos fuisse, Porphyrius auctor est, haec referens ex Sanchoniathone apud Euseb. *P. E.* L. I. p. m. 40 sq. *Τὴν μὲν οὖν τοῦ δράκοντος φύσιν καὶ τῶν ὄφεων αὐτὸς ἐξεθείασεν ὁ Τάαυτος, καὶ μετ' αὐτὸν Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι.* Caussas deinde tantae venerationis commemorat ex Taauti, ut ipse quidem affirmat, commentariis descriptas, tum haec addit: *διὸ καὶ ἐν ἱεροῖς τοῦτο τὸ ζῶον καὶ ἐν μυστηρίοις συμπαρείληπται*, et paucis interjectis: *Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν·* postremo adjungit Pherecyden a Phoenicibus initia duxisse doctrinae suae de Deo Ophioneo et Ophionidis. Manavit certe ista superstitio ad Graecos, apud quos quanta eorundem animalium reverentia fuerit ex infinitis veterum locis intelligitur. Nec sane mirum est eandem quoque religionem viguisse apud Babylonios, quorum superstitiones Phoeniciis valde affines erant; ut nulla caussa sit, cur historiam Draconis in apocryphis Danielis additamentis, multorum exemplo ad fabulas relegemus. Erunt tamen fortasse qui תנין de crocodilo, quo sensu pluribus veteris Instrumenti locis servatum est, explicare malint, cum magna in multis Cananaeae

et Aegyptiae religionis necessitudo fuerit. Quamvis hoc minus verosimile existimem, nec etiam facile credam תנין, quae tertia exponendi ratio est, de draconis coelestis constellatione accipi posse, atque adeo ad astrorum cultum respici. Posterius nomen כבא variis modis efferri poterit. Nobis hoc maxime arridet, ut pronuntietur כֵבָא, et scriptum sit pro כְּאֵבָא, quod auctum Aleph emphatico haud differat a כְּאֵב, i. e. *dolor*, apud Hebraeos servato. Forma כְּבָא apud Chaldaeos superest.

Paucis nunc agendum est de inscriptionibus XII et XXI, quae p. 238 sq. superiores excipiunt. Duodecimam Koppius legit:

לְעֶבֶד אמּמֹן
בֶּן עֶבֶד מְנִ עָרֵב

Abed-Ammono, filio Abad-Meni, suavi; sequentem vero:

לְאמֹּמֹן חָל

Ammoni fortissimo.

Mihi vero idem placet, quod Muntero, ut nempe pro אמֹּמֹן utrobique אֶשְׁמֻן, vel potius אֶשְׁמֻן legatur, praesertim cum Mem et Schin ab iis qui inscriptiones paullo negligentius exarant, facillime confundantur. De reliquis Inscriptionis XII verbis jam obiter egimus ad lapidem primum Carthaginiensem p. 9, subdubitantes utrum בֶּן עֶבֶד מְנִי רַב, an בֶּן עֶבֶד מִן (מנ vel) הָרֵב, legendum esset. In XXI Cit. pro לְאמֹּמֹן חָל sine ulla dubitatione legendum לְאֶשְׁמֻן חֵן, *Aschemano* (sit) *gratia*. Est faustum votum in defuncti honorem, quod facile agnovisset Koppius, nisi religiosa illa distinctio inter Lamed et Nun illius oculos obscurasset, iis etiam in delineationibus, de quorum fide minime constat.

In monumentorum Citiensium censu proxime sequitur trigesima p. 242, quam sic legit Koppius:

לְעֵמַת זֵתִי(ם)
נִבֵּ נְבְמַץ

Ista vertit: *In conjunctione cum oleis progerminat Nabmaz:* quod merito jam displicuit Gesenio in *Commentatione de inscript. Phoenicio-Graeca* p. 26, legenti לְעֻמַּת בִּתִּי, *ad latus filiae meae*, sed versum secundum intactum relinquenti, cujus, si quid video, ista explicatione vs. primi admissa, numquam sensum aptum inve-

venire poterit. Koppii error ortus est ex falsa lectione Akerbladii, in inscriptione Phoenicia Atheniensi a se in *Commentationibus Gottingensibus* edita, זכר pro דכר pronuntiantis, quem refutavimus jam antea in nostra *de monumentis Punicis Diatribe* priore p. 68. Hinc tributa potestas τῆς Zain simili figurae inscriptionis nostrae Citiensis quintae, quae tamen aperte pro sententiae nexu, vel Daleth, vel Resch, est. Quod enim illam Beth esse censuit Gesenius, id ea de caussa ab eo factum esse videtur, ut singulari suae de forma literae Beth hypothesi inserviret, qua de re infra dicendi locus erit, ubi de illius opinionibus agetur. Nobis illa controversa litera Resch est, et quemadmodum antea in Inscript. XII et XXI, sic etiam h. l. et in Inscr. XXIV, literas Mem et Schin a Pocockio non satis distinctas esse opinamur. Ex nostro sensu legendum est לְעַשְׁתֹּרֶת יִתֵּן בֵּן בֹּמֵּץ, *Astartae dedit filius Bomatzi*, vel *Aschtoreth-Jitteno filio Bomatzi.* Litera Tau vocis יִתֵּן non amplius exstat integra, sed fragmentum ejusmodi est, ut facile ad illam pertinere possit. Nomen בֹּמֵּץ compositum ex בּוֹ, *in eo*, et מֵץ, *oppressio*, sequitur normam nominis pp. בֹּעַז, *in eo est robur.*

Difficilior est inscriptio XXIV p. 243, quam totam legere non potuit Koppius, partem vero a se lectam tamen explicare conatus est. Quod quam vere et eleganter fecerit ex ipsis verbis dijudicent harum literarum periti!

עֵמַת שֵׁר לְאֹשׁ
דֹּם ל...בֵן עַבְדָא

Proximum profectionis cuilibet quiescere, sicut N. N. filio Abdai.

An ipse rem acu tetigerim nescio, hoc vero scio paucos, vel nullos, fore, quibus Koppianum illud Lamed per *sicut* redditum placeat, ut reliquas difficultates brevitatis caussa silentio praeteream. Equidem sic legere malim: עֵמַת שֵׁר לְאשׁרמלכתך בֵּן עַבְדָא, *Donum publicum τῷ Aschremalcethach filio Abdae.* In his עֵמַת non diversum existimo ab ea voce, quae in fine inscriptionis Zeugitanae II. legitur. Est Arabicum عامة ab عام, *communis*, *publicus*. Sequens שֵׁר synonymum esse conjicio τῷ תְּשׁוּרָה, *munus*, quod si longius petitum arbitreris, legere etiam poteris עַם תְּשֵׁר, ut תְּשׁוּר sit masculinum vocis תְּשׁוּרָה. Utrum enim eligas, ad sensum perinde est et ad verbum expressa versio haec erit: *commune doni*, vel *publicum doni*, ad normam earum constructionum, quas recensuit Ge-

 se-

senius *Lehrgeb.* p. 650. טְהָר לֵב, *purum cordis*, i. e. *puritas cordis*, vel *cor purum*, נְכוֹן יוֹם, *erectum diei*, i. e. *dies provectior* (*hoog dag*). Praecipua difficultas est in אשרמלכתך, non adeo quaerenda tamen in significatione et forma vocabuli, quam in characterum nonnullorum specie. Videtur esse titulus regi, vel principi, honoris caussa additus, notat enim *salus sit regno tuo*, nec quisquam credo mirabitur literam Jod vocis אַשְׁרֵי desiderari; trium vero literarum posteriorum כתך admodum dubia lectio est. Primam et ultimam inversas esse existimamus, quales jam antea ex aliis inscriptionibus, praesertim ex Zeugitana II, nobis innotuerunt, media fragmentum literae Tau esse videtur, cujus intermedia linea, quae duas reliquas conjungebat, lapidis attritu periérit.

Eadem literarum inversio, cujus paullo ante mentionem injecimus, nobis forsitan subsidio esse possit in sequentis inscriptionis XXVI p. 245, rationem inquirentibus, quamvis hic quidem propter literarum compendia non ultra conjecturam procedere licet. Koppius rem partim in medio relinquit, partim sic explicat:

לבת נֹעַם
..... בּת
..... עַל

In prima voce recte quaerit nomen pp. puellae *Bathnoam*, i. e. *filia suavitatis*, at vocem עַל nulla de caussa reddit *una cum*. Nobis tertia litera secundi versus Gimel, extrema Waw esse videtur. In scripturae compendio priore Aleph inversum et He, in posteriore Koph ordinarium quaero et Resch inversum, sive caudatum, quod cum alibi, tum in inscriptione Leptitana II, occurrit, sive ordinarium, quo casu linea illa deorsum ducta ad sinistram, Lamed existimanda esset illius formae, quae in nummorum Sidoniorum et Tyriorum tabella Koppiana T. II. p. 212 cernitur n. VII et XII. Ergo vel קִ֯ר, vel לקִ֯ר, in hoc siglo latebit, i. e. ut censeo קֶבֶר, vel לְקֶבֶר. Rationi enim consentaneum est, ut compendia scripturae in notis vocabulis usurpentur; quid autem frequentius et solennius in hujusmodi inscriptionibus, quam nomen קֶבֶר? Ergo totam inscriptionem sic legendam esse conjicio:

לבת נֹעַם
בת גאהו-
-עַל קֶבֶר (v. לְקֶבֶר)

Bath-

Bathnoamae filiae Gehoual sepulcrum, vel *in sepulcrum.*

Nomen pp. גֵּאהוּ עָל compositum est ex גֵּאָה, vel si mavis גְּאֹה, infinitivo, vel subst. verbi גאה, *decorum esse* et *majestatis plenum*, affixo הוּ et עָל, *altus*, *elevatus*, ut sensus sit, *decor ejus elevatus est.* Si quis extremam literam versus secundi Gimel pronuntiare malit, quod tamen minime probem, aliter voces distinguere poteris et legere: לְבַת גְּאָה גֹעַל (קֶבֶר) לְקֶבֶר, *Filiae Goae sepulcrum*, vel *in sepulcrum*, *positum est.*

Magna trepidatio et haesitatio Koppii est in Inscriptione XVII expedienda; p. 246 sq., cujus hae literae sunt:

לאשמ
נעיר

Dubitat utrum hic lateat nomen Esmunis et עֵיר sit *monumentum*, vel *aeternitas*, *perpetuum*, an potius in priore vs. quaerere nomen אשׁמא et נעיר legere praestet: quod ipse exponit *erectum.* Turbas istas facile sedasset, si hic viri, sub hoc lapide sepulti, nomen compositum אֶשְׁמֹנְעֵיד, *Aschemoned*, i. e. *Aschemon* (est) *testis*, quaesivisset: quod mihi formatum esse videtur ad normam τοῦ יוֹעֵד, *Jehova testis est*, Neh. c. XI. vs. 7. Forte vicinum est אֶלְעָד, I Chron. c. VII. vs. 21, si saltem עָד part. habeatur verbi עוּד, *testificari.* Quod vero hic עיד cum Jod scriptum sit, id nemo mirabitur, qui inspexerit Ps. XXVII. vs. 12, ubi in variis Codd., edit. Minchath Schai et Concordd. Buxtorf. exstat עֵדֵי שֶׁקֶר, *testes falsi.*

Desinamus in Inscr. IV, quam extremo loco interpretari conatus est Koppius p. 247 sq. Ejus ratio haec est:

תאר אאמת
מלכיתן
רב חדש

Quod sic Germanice reddi posse putat: *Das wahre Bild Malkithans*, *colossalisch ausgehauen.* Alii, si velint, in hac interpretatione refutanda otium suum consumant; nobis tot ineptias jam pertaesis, nostram explicationem breviter proponere liceat, quae in sola vocum divisione et explicatione, non item in literarum pronuntiatione, de qua nulla dubitatio est, a Koppiana differt. Est igitur hujusmodi:

תארא

תארא אמת
מלכיתן
רב חרש

Theora serva Molechjitteni, Principis Choreschi.

Est igitur haec etiam inscriptio sepulcralis, ut reliquae, quas illustravimus, pleraeque, nec satis aptum exemplum elegit Koppius, quo nonnullorum lapidum aliam sententiam esse demonstraret. Forma tamen epigraphes rarior est: cum enim in aliis prima vox sit מצבת, *cippus*, vel קבר, *sepulcrum*, in aliis nomini proprio initiali Lamed possessoris praefigatur: hic simpliciter defunctae nomen lapidi insculptum est, cujus rei unicum fortasse exemplum exstat inter monumenta Citiensia, quae retractavimus, in Inscr. XVIII. Posset vero ex isto veteris aevi monumento, qui honorem ancillae habitum testatur, argumentum repeti ad servorum conditionem inter Phoenices leniorem, nisi hic verosimiliter de pellice regia sermo esset, quae passim a Syris ܐܡܗܬܐ, *servae*, appellari solent. Nam ex ejusmodi mulierum sorte, quas ob corporis formam colunt et magno pretio habent Orientales, nihil effici potest ad indulgentiam servis universe praestitam. Nomen pp. תארא vel, uti nos fecimus, *Theora* pronuntiari, et ab אור, *lucere*, derivari poterit, vel תארא efferri, ut femininum, vel emphaticum, sit ab Hebr. תאר, *eximia forma.* Quodsi denique tertia litera Daleth legi posset, quod tamen minus est verosimile, foret תדרא, i. e. *ver*, *herba verna*, quae vox a Syris frequentatur. Proximum מלכיתן, *Molech dedit*, nomen pp. esse planissimum est; ut omnino miremur Barthelemyum virum sagacissimum hic מלך אחל, *Regem Idaliae*, quaesivisse, praesertim cum postrema duo vocabula cum ista explicatione in concordiam redigi non possint. Ex his רב, uti cuivis patet, est *Princeps;* חרש, vel, si mavis, חרש verbale in Puhhal, videtur esse nomen pp. urbis et promontorii *Curias*, alias *Curium*, in australi Cypri insulae litore sitorum, ubi Citium quoque jacet. Scriptura Phoenicia egregie quadrat in nomen Curias, sive locus dictus sit a *silva*, i. e. חרש, quam promontorio vicinam fuisse tradit Schol. Lycophronis ad vs. 448, (ubi nunc male legitur τὸν Κάζειν pro τὸ Κώριον) Hylatae Apollini sacram, sive a *μεταλλουργία*, quae verbo Hebraico חרש exprimi solet. Nam universa Cyprus aere suo nobilis erat, iste locus maxime illius metalli fodinis celebratissimus, quod bene

ex

ex corruptis Servii et Aristotelis locis effecit Meursius in *Cypro* L. I. c. 27, p. m. 74. Ut iste scriptores, quos modo laudavi, ita Bochartus jam Scholiasten Lycophronis correxerat in *Canaän* L. I. c. III p. 355, at male derivarat nomen illius promontorii a Ch. כּוּרָא, vel כוורא, *piscis*, quasi כּוּרי dictum fuisset ob piscium frequentiam.

Pervenimus ad extremum disputationis nostrae finem, contra Koppium institutae, qua hoc probare conati sumus, Palaeographiae et Philologiae Semiticae adeo arctam esse necessitudinem, ut legendarum inscriptionum primarium praesidium et fundamentum in Philologicis studiis quaerendum sit. Aliquanto breviores esse poterimus in considerandis et refutandis Gesenii opinionibus, partim propositis in Diariis Halensibus mensis Maji 1826 n. 110 et 111, collata praefatione editionis secundae Lexici Hebraici minoris p. xxx sq., partim, quantum nummorum Phoeniciorum explicationem spectat, in censura operis Mionnetiani edita in iisdem Diariis mensis Martii 1825 n. 63 et 64. Qua in retractanda hunc ordinem tenebimus, ut primum de inscriptionibus Humbertianis, tum de Cyrenaica quam brevissime agamus. Quae in meos nonnullorum nummorum explicationes animadvertit, eadem in Librum hujus dissertationis quartum rejiciemus, qui nummis explicandis potissimum dicatus est. Probaverat V. C. ab initio in praefatione Lexici paullo ante memorata majorem partem explicationis lapidis Humbertiani tertii, in eo tantum a nobis dissentiens; quod לרבתן תלת ולארנן בעל חִמְנָא תלד, *Dominae nostrae Tholath, et hero nostro, domino hujus cippi Tholad*, praetulit, cum ipse בעל חמלא, *domino clementiae*, legissem. Utrum sit melius ex ipsa forma literarum effici posse nego: sed lectio Geseniana eam ob caussam ferri non potest, quod *dominus cippi* ex Orientalium dicendi more eum significat, cui cippus dicatus est, cujus tituli honor non ad unum pertinere potest Tholadum, quippe qui, nec solus, nec principi loco, in inscriptione nominatur. Praeterea magis assumitur quam probatur usum Aleph emphaticae cum pronominis demonstrativi potestate Poenis notum fuisse. Senserat hanc difficultatem ipse Gesenius, ut videtur, sed Scyllam vitans in Charybdin incidit, aliamque sententiam adoptavit suis quidem praejudicatis opinionibus egregie inservientem, sed nullis fundamentis nixam, et priori illa quam dereliquerat longe pejorem. Ejus nova lectio haec est: לְבַעַל חַמָּן אֶבֶנֶדֶר ג....בֶּן עַבְדמֶלְקַר, *Deo solari lapis votivus N. N. filii Abd-Melkar*. Tum ad secundum lapidem transgressus, illius epigraphen sic effert, incipiens a medio vs. 2:

 לְבַעַל

לבעל (ח)מן
(א)בנדר עבד אשמ
(ן) בן.........
(ע)בד אשמן

Deo solari lapis votivus Abd-Eschmuni, filii . . . : . . : Abd-Eschmuni.

In lapide primo haec verba invenisse sibi visus est: חמן (אב)נדר עבדמלל, *Deo solari lapis votivus Abd-Maleli.* Denique in fragmento quinto ista quaerit: חמן אבנ(דר) (ח)נבעל בן, *Deo solari lapis votivus Hannibalis filii N. N.* Quae commenta legens, quibus, uno quasi calami ductu, omnem bonae explicationis laudem eripere mihi conatur Vir Celeberrimus, parum abfuit, quin oculis ipse meis non crederem. Nec sane, nisi ista a tanto viro profecta essent, ea mentione, nedum refutatione, digna existimassem. Ex me quaerit Censor ut lapides ipsos diligentius intuear, et accurate considerem utrum literarum ductus illius conjecturis respondeant. Sed hos dudum diligenter inspexeram, cum dissertationem meam, ante sexennium publici juris factam, editioni pararem. Tum vero statim deprehendi, quod postea etiam aliis exemplis mihi confirmatum est, Humbertiana apographa adeo perfecta esse, ut nihil usquam ad inscriptionis integritatem desideres. Haec sola observatio jam sufficit ad opiniones Gesenii funditus evertendas, et nobis saltem omnem opportunitatem adimit iis de locis disputandi, ubi auctor omnem literarum, quales in editis apographis leguntur, auctoritatem recusasse videtur, ut v. g. factum in nomine עבד מלקר, quod sibi finxit ex literis extremis lapidis III, עבעמ נדר, vel עבעמנרד, non tantum violata prorsus literarum potestate, sed etiam neglecta Tau vocis מלקרת, quam scribendo omissam esse, nullis, quantum scio, exemplis constat. Quod si vel ad singularem istam Gesenii licentiam non attendamus, alia multa sunt, quae probare nequeamus. E quibus primum est quod ineptae distinctioni inter Lamed et Nun religiosius adhaerens in Inscr. I עבד מלל, cujus nullam explicationem reperturus est, substituit nostro עבדמנן, quod sive, ut antea fecimus עמדמנן, sive עבדמנן (*Parcarum servus?*) efferatur, aptissimum est: cum post עבד requiratur nomen vel Numinis, vel rei superstitiosa veneratione cultae, quod in מלל frustra quaeras. Nec magis admitti potest illud בעל המן, *Deus solaris*, quod quam infirmis fulcris nitatur, supra in Inscriptionis Melitensis I interpretatione multis verbis demonstravimus: tum imprimis reprehendo

quod

quod Dei Tholadi nomen, quod antea ipsi placuerat, nulla de caussa rejecit. Nam quod in nostra ad Rochettium epistola diximus, idem hic iterum inculcandum est, si quid usquam certi in ejusmodi investigationibus reperiri possit, hoc saltem nulli dubitationi obnoxium esse. Quippe primum hoc nomen תֹּלֶד a me lectum, et ex comparatione nominis feminini תֹּלֶת justis vocalibus instructum esse: tum vero me, qui quantum bonae frugis in nominibus pp. lateret saepe laetus agnovissem, circumspicere coepisse, num forte in illis nominis illius vestigia superessent; sic demum אֶל תֹּלֶד inter urbes Cananaeas reperisse. Qui ejusmodi argumentis non convincitur, ridendum se praebet, cum ejusmodi scepticismum affectet, qui solis mathematicis demonstrationibus aliquam vim tribuat. Quapropter satis mirari non possum Gesenium aut alios, qui ista rejiciant, in inscriptionibus Punicis interpretandis adhuc versari, in quibus nullum locum reperiri posse existimo, cujus certior explicatio sit, aut manifestior evidentia. Quod si quaeramus, qua de caussa Gesenius in eum errorem inciderit, haec unice quaerenda est in opinionis praejudicatae tuendae studio. Sic enim praesidium aliquod inveniebat, quo singularem suam tueretur de forma literae Beth Africanae sententiam, in monumenti illius Cyrenaici, de quo inter nos controversia est, explicatione propositam, sed nullis idoneis argumentis fultam. Quod enim ex Inscr. XXX Citiensi repetitur, et per se infirmum est, cum parum similitudinis figurae illic Beth a Gesenio lectae, cum nostra intercedat, et paullo ante a nobis plane sublatum, לעשתרת pro לעמת בת legentibus. At ipsum profecto Gesenium minime latuit, quam fluxa et incerta haec essent. Cum enim ab initio אבנדר legisset idque haud diversum esse existimasset ab *Abadir*, vel *Abaddir*, quod sive lapidis sacri, sive Dei Phoenicii, nomen est, subito istam sententiam deserit et אש נדר, *Vir voti auctor*, legi posse pronuntiat. Quod etsi superiori isto commento est aliquanto melius (quis enim ferat אבנגדר contractum fuisse in אֲבַדר?) nihilominus falsum et eam tantam ob caussam excogitatum est, ne eadem figura, nunc Beth in אבנדר, nunc Schin in עבראשמן pronuntianda esset. At vel sic tamen variarum potestatum in una eademque figura confusionem minime evitabis, nisi initium lapidis tertii Humbertiani aliter explicueris, et in lectionis meae, a Gesenio ut videtur probatae, locum nescio quid substitueris: nam quarta litera vocis לרבתן eadem illa Tau est, quam ipse pro lubitu, nunc Beth, nunc Schin, pronuntiandam putat. Quod vero in il-

illius ratione imprimis miror, litera Beth toties vulgari sua forma in Inscriptt. Humbertianis occurrit, ut si illud de Beth Africana commentum admittas, fatendum sit, binas figuras diversissimas in una eademque inscriptione eidem literae designandae inservire; quo ipso tollitur primarium Viri Clarissimi argumentum, quod ad improbandam significationem literae Tau in commentatione sua de inscriptione Cyrenaica adhibuerat, provocans ad diversitatem figurae literae illius in aliis ejusdem monumenti locis, quae satis ostenderet scriptorem hic non Tau, sed aliam literam, designare voluisse. Et hujus quidem controversae literae mentio me admonet ut illam de monumento Cyrenaico quaestionem quantocyus aggrediar, cujus caussa tota illa de lapidibus ante a me editis disputatio a Gesenio instituta est. Quod dum agimus illud grati agnoscimus, quod Censor nec difficultates dissimulaverit, quae suam interpretationem premant, nec meae explicationis faciliorem et elegantiorem sententiam esse negaverit, quin etiam nonnulla adjecerit, quibus mea ratio firmari et corroborari possit. Ut autem hoc laudandum et imitatione dignum putamus, ita miramur et dolemus, argumenta mea non accuratius et manifestius ab adversario esse exposita. Singula ordine persequamur.

1). Quae lectioni a Gesenio propositae יהוטא, *Judas*, a me objecta sunt, ea sic proponuntur, quasi negassem Judae nomen satis apte in fronte inscriptionis memorari, cum in Graeca subjecta illius nulla plane mentio fiat. Cui argumento sic occurritur; in altera inscriptione Graeca pariter a Gesenio edita Simonis Cyrenaei nomen in titulo quidem scribi; at in ipsa inscriptione inter plura legislatorum nomina silentio praetermitti. At ego sic ratiocinatus eram. Utriusque monumenti et Graeci et bilinguis eadem origo est. Quodsi apud homines huic sectae addictos Judas tantam assecutus esset auctoritatem ut illius nomen, Dei, vel Daemonis alicujus, instar in fronte monumenti bilinguis ponerent, mirum est ne nomen quidem viri memorari in altera inscriptione Graeca, ubi eadem doctrina describitur, illiusque auctores recensentur. 2). Eidem lectioni יהוטא tuendae Gesenius hoc attulerat quod Zabii pro יהודיא scribant יחוטיא, cum literis Chet et Tet. Quod argumentum ego sic sustuleram, Zabios, ipso fatente Gesenio, hoc fecisse alludentes ad verbum חטא, *peccavit*; Judaeos enim *peccati* insimulare voluisse; at Carpocratianos idem procul dubio non fecisse in nomine Judae, quippe quem summa veneratione prosequerentur. Respondet Gesenius ista comparatione τοῦ יחוטיא simpliciter probari permutationem literarum ד et ט in hoc vocabulo יהוטא. Sed hoc vim ratiocinii mei minime tollit. Cum enim mutatio literae Daleth et Tet

ex

ex eo tantum orta sit, quod litera He simul in Chet mutaretur et sic ad verbum חטא alluderetur, duplex hinc argumentum ducitur ad Gesenii sententiam refutandam. Nam vel dici potest He servata etiam Daleth servandam fuisse, cum illa allusio non amplius exstaret; vel si He pro Chet scribi potuerit, ut inferius factum est in הסר, talem allusionem Carpocratianos minime decuisse. 3.) Quod a me ad tuendam significationem particulae תא allatum est, de eo sic a Gesenio exponitur, ut lectores vim argumentorum minime sentiant. Quod ut melius perspiciatur, totam inscriptionem versionemque illius Latinam mihi describendam esse video.

יהוא

שלום שירכא תאסדאקא עאין

שלום סדאקא תאתורא הסר

שלום תורא תאשאלום אסר

Jahou.

Salve communio, justitiae fons,

Salve justitia, legis beneficium,

Salve lex, pacis vinculum.

In his igitur particulam תא, vocibus סראקא, תורא et שאלום praepositam, genitivi signum esse existimabam, idque ex analogia ita comprobabam, ut varias particulas demonstrativas et relativas Semiticas ذا, די et تا enumerarem, quarum prima cum apud Mauros et Aethiopas, secunda vero apud Chaldaeos genitivo designando inserviat, minime mirum esse affirmabam, si idem usus particulae תא apud Cyrenaeos fuerit, cum تا prorsus synonymum sit ቱ, ذا et די, vel ذي. Deinceps illud in *ta* genitivi particula apud Melitenses servatum esse conjiciebam. Gesenius vero ista memorans et excerpens, illius Arabici تا, in quo tamen tota quaestio vertitur, ne verbulo quidem meminit et simpliciter dicit me Cyrenaicum תא cum די et ذو, ذي et ذا composuisse: tum illud improbat, quod Melitensium *ta* huc adhibuerim: hoc enim recentioris esse originis, et ex Mauritanico متاع, vel بتاع, *possessio*, *supellex*, quod pariter Genitivi signum sit, decurtatum; hinc quoque apud Vassalium in Lexico Melitensi eo signo scribi, quod ቱ Ain respondeat, et accedente affixo *tighi* et *tighak*, i. e. *meus*, *tuus*, efferri: huic vero particulae nihil commune esse cum Arab. ذو, ذي, ذا vel cum די et זה, (ubi iterum Arab. تا, quod minime omnium omissum oportuit, nescio quo casu, neglectum esse vides!) porro

haud

haud satis intelligi, quomodo ista recentioris Arabismi forma in veterem dialectum Cyrenaicam transire, aut qua ratione universe Arabismus aliquam vim in eam linguam exercere potuerit, quo tempore nostrum monumentum conditum sit: praesertim cum istius inscriptionis forma potius sermonem quendam doctum Gnosticorum prodat, ex Hebraismo et Syriasmo conflatum: postremo hoc etiam meae explicationi obsistere, quod in aliis dialectis, ubi particulae pariter genitivo designando inserviunt, casus iste numquam nominativo praeponatur. Quae Gesenii argumenta uno obtutu complexus sum omnia, cum haec adeo inter se nexa et juncta esse viderem, ut nonnisi continua disputatione illis satis apte responderi posset. Quod de Melitensibus تاع efferentibus ait ex parte tantum verum est: eodem quippe loco, quem Gesenius excitat (*Lex. Melit.* p. 62) notat Vasallius eosdem quoque *ta* pronuntiare: quin in Grammatica p. 139, ubi de casuum particulis agit, solam pronuntiationem *ta*, vel *te*, memorat. Illud vero تاع si ex Mauritanico بتاع vel متاع ortum sit, miramur illud affixo junctum *tigh* scribi, vocalemque prorsus mutari. Quamquam tota illa quaestio de part. تا, vel تاع, ex متاع decurtata longe minoris ad nostram rem momenti est, quam sibi persuadet Gesenius. Unde enim, quaeso, didicit متاع recentiore demum tempore ut genitivi particulam usurpari coepisse et nullo affinitatis vinculo cum تا illo, quod Arabum Grammatici inter particulas demonstrativas collocant, contineri. Nam quod posterius spectat, si Melitenses تا pro تاع ex متاع scripsere, quidni idem Arabibus ipsis licuit? nec sane ullam voculae originem video, in qua lubentius acquiescam. Quod si de usus antiquitate quaeris, si *ta* Melitense idem sit quod متاع, tertio post Mohammedem seculo jam usu fuisse tritum apparet, iis ipsis in locis, de quibus nunc sermo est. Ea enim tempestate Aglabitae, agri Cyrenaici et Tripolitani domini, Meliten occupavere. Nec video quid obstet, quo minus multis seculis sit antiquius, quamvis historicae probationes deficiant, quae in lingua vulgari nec eruditorum usibus destinata nemo requirat. Hoc vero testimonii instar esse poterit, quod ut mores et cogitandi ratio, ita lingua multo minus mutari solet in Oriente, quam nostris in regionibus; quo fit ut vulgaris Arabum dialectus veteris linguae faciem accuratius referat, et Hebraismo vel Syriasmo similior sit, quam erudita. Hinc mirum non est idem cerni in nostro تا, vel تاع, vel متاع, quod erudita dialectus in solis conservavit dualibus femininis اَللَّتَانِ et اَللَّتَيْنِ pronominis relativi, vulgaris autem in singulari etiam frequentaverit. Nisi enim Grammatici illius memoriam in scriptis suis pro-

prodidissent, haud equidem scio an illud non penitus ignoraremus, in nullis adhucdum libris a me repertum; nisi forte huc referenda sit Coranica jurandi formula تَاللّٰه, explicanda per مَتَاعُ اللّٰه q. d. أَمْرُ اللّٰه, *res Dei* (est); *Deo rem judicandam et vindicandam committo.* Jam ut Arab. تا, ex مَتَاع, ortum in Melitensi et Cyrenaico *ta* latere arbitror, ita vicinum تي incertae originis, quod ut demonstrativum memorant Grammatici, atque ut relativum vulgo frequentatur in اللَّتِي, forsitan servatum sit in formis *tighi*, *tighak*, *meus*, *tuus*, quas paullo ante memoravi. Equidem rem sic explico, prouti a تا ductum est Arab. تالك, sic ἀναλόγως a تي formatum sit تيلك, cui voci sic deinceps adjecta fuerint affixa: تيلكك, تيلكي et sic porro, quod, Kef paullo mollius pronuntiata, ut Persis in multis solenne est, *tighi* et *tighak* extulerint Melitenses. Scio equidem Vassallium ista per Ain scribere, cujus tamen dissensus non adeo magni momenti est, cum scripturam novam Melitensem ex suo sibi sensu et pronuntiatione sibi finxerit: et Agius de Soldanis p. 81. diserte memoret sonos, quos nos dedimus, *tighi* et *tighak*. Neque vero quisquam mihi objiciat affixum 2. p. otiosum jam adesse in تالك et تيلك, atque his formis affixa vix adjungi posse, nam etsi affixa pleonastica lubenter agnoscam in ذلك et تلك, eadem non adeo facile admittam in ذالك, تالك et تيلك, cum vix intelligam, quo tandem consilio, quo sensu his vocibus accessissent. At sint ista, inquies, uti autumas, quid vero haec omnia ad dialectum Cyrenaicam, in qua ejusmodi Arabismos vix exspectes? Respondeo mihi non magis miram videri formulam Arabicam חא, quam vocem ejusdem linguae שִׁירְבָּא; et si quaeras, qua tandem ratione Arabismus istam dialectum suis dicendi formulis infecerit, duae potissimum caussae sunt, quarum alterutri talis rerum eventus adscribi possit. Primum si vetustis Arabum traditionibus fides sit, Reges Himyaritici nonnulli longinquas in Africam septentrionalem expeditiones susceperunt, magnamque illius partem in potestatem suam redegerunt. Quae narrationes etsi caute admodum et prudenter considerandae, nec temere admittendae sunt, minime tamen omni fundamento destitutae esse videntur. Nam pastores, qui Aegyptum occupavere, ex Arabia venisse verosimile est; quo fit ut ab aliis Phoenices, ab aliis Arabes appellentur, cum ex utroque genere mixti essent; his autem, ut recentiore memoria Moslemis, Aegypto occupata, via ad ulteriorem Africam aggrediendam patebat. Nec ista gens profecto jam pluribus ante seculis ad intima Africae penetralia pervenisset, et ad Nigrum usque flumen omnia loca longe lateque tribubus suis implevisset, si Isla-

mismi demum temporibus in istas terras transire coepisset. Sic igitur fieri potuit, ut multis in locis coloniae ex Arabibus Phoenicibusque constarent, et ipsa lingua aliquam inde mutationem pateretur. Etsi altera ratio, de qua nunc verba facturus sum, mihi probabilior visa est, ex Phoeniciae linguae forma et indole repetenda, quam plerique Viri docti Hebraicae simillimam, paucis Syriasmis admixtis, putaverunt; ego vero, etsi alienus sum a Bocharti licentia, Phoenicismi speciem ex omnibus dialectis conflantis, nihilominus hoc mihi certissime persuadeo linguam istam non Syriacis tantum vocabulis formisque, sed Arabicis etiam scatuisse, etsi Hebraicae, quam caeteris dialectis, similior fuerit. Quam sententiam tribus maxime de caussis probavi. Nam primum multae inscriptiones sunt et nummi, ex quibus te numquam expedias, nisi nunc ad Syriasmum, nunc ad Arabismum confugeris, quod de nummis praesertim inferius apparebit; dein haud paucae glossae sunt et nomina propria, in quibus statim Arabicae linguae vestigia agnoscas, cujus rei pariter nonnulla exempla inferius producemus: postremo idem docet diligentior investigatio eorum vocabulorum, quae a Phoenicibus accepisse videntur Graeci: quae res etsi in praesenti disputatione pro dignitate explicari nequeat, paucis tamen declaranda est. Quod igitur Syriasmos spectat, ad voces complures provoco, de quarum origine Orientali nemo dubitat, quae vero ita apud Graecos scribuntur, ut eas ex archetypo Aramaeo fluxisse constet. Sic, quod alii jam animadverterunt, ταῦρος, Τύρος, Ταρτησσὸς descenderunt a formis Syriacis טר, תור et תַּרְתִּישׁ, quibus respondent Hebraeae צֹר, שׁוֹר et תַּרְשִׁישׁ. Nec dubito quin his etiam adjungi possit Ἀθάρα nomen Deae apud Strab. L. XVI. extr., ortam ex Syriaco אתרא, quod Hebraei אשרה efferunt. Ex Arabicis vocabulis tria tantum seligam, quae mihi videntur esse certissima: βασιλεὺς, λαῖφος et λοξίας vel λοξός· e quibus βασιλεὺς ad literam exprimit Arabicum باسل, *vir strenuus*, *fortis*, *heros;* estque adeo regis epitheton ornans; λαῖφος partim est *velum navis*, partim *pauperum pannos* designat, et respondere videtur Arabico ليف, quod Lexica vulgo لِيف efferunt, Djeuharius et لَيْف, et لِيف. Significat illa vox *lanuginem*, *villos*, *fibras et filamenta*, imprimis *palmarum*, ex quibus Arabes Nomades funes, habenas, capistra, storeas, quas clitellarum vice jumentis imponunt, conficere solent. Cf. Pseudowakid. in فتوح مصر p. 34 vs. 4 sq. Quemadmodum vero hodieque nonnulli populi barbari et rudes in Maris Pacifici insulis ejusmodi storeis, quas ex arborum filamentis contexuerunt, et ve-

vestium et velorum loco utuntur, sic iisdem usibus fibras palmarum antiquitus apud Orientales inserviisse existimo, antequam linum repertum esset, unde voci ליף duplex potestas *vestis vilioris* et *veli* adhaeserit, in Graecorum λαῖφος servata. Tertium exemplum est λοξίας, quod Apollinis cognomen est, ab obscuris et aenigmaticis oraculis repetitum. Atqui لُغْز est *aenigma*, *oratio ambigua et obscura*, quin etiam physico sensu et pp. sic appellatur *latibulum lacertae*, *vel muris campestris*, *occultis meatibus impeditum*, tum أَلْغَاز, in pl. sunt *viae distortae labyrinthi*, ut facile appareat Graecum λοξὸς etiam, unde λοξίας, ab Orientali لُغْز fluxisse. Vides paucas voces e multis ejusdem generis, quae qua ratione in Graeciam translatae sint, nisi id a Phoenicibus factum sit, equidem non perspicio. Tradit quidem Strabo Lib. X. p. 447, Arabes Cadmo duce in Graeciam venisse, at quam parum istis traditionibus de Cadmo credendum sit, omnes agnoscunt: et si aliqua illi narrationi fides habenda esset, potius hoc probaret nonnullas Phoenicum tribus antiquitus parum ab Arabibus fuisse distinctas et inter Arabes habitasse, quam veros Arabes, quales fuerunt, cum a reliquis ejusdem stirpis populis se segregassent, in Graeciam venisse. Hoc vero ipsum quod Phoenices primum in Arabia habitaverunt, dein Syris admodum contiguas sedes habuerunt: tum vero illud, quod non, uti gentes cognatae, a reliquis separati vixerunt, sed assidua cum Arabibus, Syris, Chaldaeis, Hebraeis, aliis, commercia exercuerunt, necessario effecit ut eorum lingua, vel variis dialectorum cognatarum formis et vocabulis locupletaretur, vel potius in multis formam illam primaevam retineret, quam lingua Semitica, nondum separatis a se invicem dialectis, habuerat. Haec mihi probabilis rei ratio visa est, quam sive admittas, sive alteram illam praeferas, non video quid mihi amplius probandum restet, quo ejusmodi Arabismos facile in Cyrenaeorum dialecto, et in nostra adeo inscriptione, usurpari potuisse intelligatur. Quod enim postulat Gesenius ut ostendam linguam istam, cujus specimen in hoc monumento servatum est, fuisse dialectum Cyrenaicam, nec ut ipse existimat, linguam quandam fictam, Zabicae instar ex Hebraica et Syriaca conflatam, id primum ejusmodi est, ut deficientibus aliis ejusdem et linguae et regionis inscriptionibus, dijudicari nequeat, dein haud magni ad ipsam rem momenti esse videtur. Fac enim Zabicam istam dialectum et Cyrenaicam fictas esse, nec usu hominum tritas, quod tamen minime admittimus, sed fac igitur esse, an hoc prohibet quominus in ea reperiantur variarum dialectorum particulae? Nonne ipsum verbum [illegible] Zabicum, quod ego et Gesenius ad שירכא il-

lustrandum adhibuimus, Arabicam potius habet significationem, quam aut Syriacam, aut Hebraicam? nonne שירכא illud, quod in Cyrenaica inscriptione legitur, purum putum Arabicum est? Quin etiam fictarum linguarum conditoribus hoc solenne esse constat, ut illarum elementa ex variis linguis corrasa in unum corpus componant, quemadmodum hoc factum cernimus in ficto idiomate Balaïbalan, cujus descriptionem Sacyo debemus, ad normam Turcicarum, Persicarum, Arabicarum formarum exacto. Sed ut ante dixi, cur ad istam opinionem confugiamus et inscriptionem dialecto Cyrenaica conscriptam fuisse negemus, caussa nulla est. Nam etsi probare nondum potui dialectum aliquam linguae Semiticae in regione Cyrenaica etiam post Christum natum viguisse, at demonstravi tamen in literis meis ad Rochettium Phoenices eo ductos esse colonos, linguaeque Phoeniciae vestigia istis in oris ad Platonis usque aetatem persecutus sum, et hoc praeterea adjeci insecutis temporibus nihil accidisse, quod ad Phoenicismum delendum vim aliquam habuerit, quem in vicina provincia Carthaginensi ne internecina bella quidem cum Romanis gesta et extrema Punicae gentis pernicies eradicare potuissent. Luculentum nunc testimonium appono ex Procopio *De Bello Vand.* L. II. c. 10. p. 258. ξύμπασαν Λιβύην μεχρὶ στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον· ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται. Nec sane ulla historica caussa cognita est, quae huic dialecto interitum attulerit, praeter Arabum in istas regiones adventum seculo septimo, linguamque Arabicam una cum victoribus ingruentem. Haec enim cum ab eadem stirpe profecta esset, Phoenicismum, vel Cyrenaismum, sensim sensimque corrumpens et sibi assimilans sola invaluit. Ergo si vel ad sextum aerae nostrae seculum inscriptio ista referatur, hoc ad infirmandam meam sententiam nullam plane vim habet: etsi me judice aequo jure ad seculum secundum et doctrinae Carpocratianorum initia referatur; alteram enim inscriptionem Graecam, quam medio seculo sexto inferiorem esse Mezdaci mentio demonstrat, huic nostrae aetate parem esse nullis argumentis probari potest. Superest una etiam Gesenii objectio, ex usu linguarum Semiticarum ducta, genitivo particulas praeponentium, at nihilominus numquam ordinem nominativi et genitivi invertentium. At hoc argumentum quam infirmum sit, ipse profecto non ignorat Vir Celeberrimus. Si enim hoc Aethiopibus, ut ipse fatetur, nonnumquam licet, cjusmodi particula genitivum non insignientibus, quanto magis idem permissum fuit Cyrenaeis, apud quos particula הא omne ambiguitatis et confusionis periculum amoverat: et si solis Aethiopibus ex toto gentium Semiticarum genere hoc in mentem venit, ut ita facerent, quamvis difficultatem

in-

inde ortam evitare minime possent, quidni eadem constructionis mutatio in re longe faciliori Cyrenaeis obversari potuit. 4). Respondendum adhuc est leviori Gesenii argumento, quo meam figurae a se per Tet expositae explicationem, vel infirmare, vel mutare, aggressus est. Nam primo contendit me illud, quod statueram, ex analogia non probasse; dein si revera illa litera ex Graeco fonte derivata sit, de Waw potius quam de Kibbuts cogitandum esse. Fatendum est hic aliquanto plus postulari, quam aut ego efficere possim aut alius: neque enim prae monumentorum paucitate, de vi, quam Graeca Latinave scriptura in mutanda Phoenicia matre sua habuerit, satis posse judicari. Vel sic tamen ejusmodi mutationes exstitisse minime dubito, earumque specimina quaedam superesse existimo in literarum conversione, ex eo orta quod Graecorum imitatione a sinistra etiam ad dextram in scribendo procederent, tum in forma, ut videtur, recentiore literae Resch, cum cauda productiore, quae in nummis et inscriptionibus, Africanis praesertim, haud infrequens et forte a Romanis desumta est. Ad eandem forte classem pertinent inscriptiones illae ex alphabeto Graeco Phoenicioque mixtae, quarum exempla in Palaestina, Lycia aliisque in locis haud raro reperta sunt. Quod in regione, qualis Cyrenaica erat, partim a Graecis, partim a Phoenicibus incolis culta tantum abest ut mirer, ut paene necessario accidisse existimem, imprimis si ex assumta nova characteris forma et potestate, scriptura locupletior et perfectior evaderet, ut eo in casu de quo nunc agimus. Nempe assentiri non possumus Gesenio primum יְהְווֹא, et deinceps הסור et אסור pronuntiandum esse conjicienti. Sic enim nullam signi adoptandi caussam videmus, cujus haud satis definita sit potestas, utpote nunc mobilis, nunc quiescentis, nec a Waw, quod jam habebant, distincti. Quo accedit quod litera Upsilon Graecorum, quae huic novo characteri Phoenicio ansam dedit, vocalibus Schurek et Kibbuts, non item Waw mobili, respondet. Ergo illud signum a Phoenicibus Cyrenaeis ideo adscitum esse censeo, quod haberent quidem literas quieti obnoxias Aleph, Waw et Jod, quibus vocalis *a*, *o*, *i* exprimerent, at nullam qua vocalis *u*, vel *ou* designaretur. Quare equidem non repugno, si quis הסור et אסור pronuntiare malit, modo non יְהְווֹא, sed יְהוּא, efferat et sic statuat hanc formam cum Waw junctam respondere τῷ Schurek Hebraeorum, et sine Waw scriptam eidem Schurek defectivo, quodque adeo Hebraei peculiari signo destituti per Kibbuts efferunt; quae caussa fuit cur necessario הֻסֻר et אֻסֻר scripserim, quamvis longam vocalem esse existimarem.

Postrema pars anticriseos nostrae occupabitur in brevi mentione censurae literarum nostrarum ad Rochettium, insertae in Diarium Lipsiense mensis Aprilis 1826, n. 84, quam eam ob caussam potius commemoro, ne quid neglexisse videar, quod ad hanc quaestionem pertineat, quam quod ulla refutatione digna sit. Censor potestates literarum Beth et Tet a Gesenio probatas, etiam ipse tuetur: praeterea legit צדאקא, pro סדאקא, et in fine versus 2 et 3 הצטר et אצטר. Versio illius haec est:

Pax communionis justitia fluit.
Pax justitiae lege capitur.
Pax legis pace continetur.

Quod monstrum interpretationis nemo intelligeret, nisi mentem suam hoc commentario auctor explicuisset: *Wer am Glücke der Gemeinschaft Theil haben will, muss Gott wohlgefällig seyn; wer Gott wohlgefällig seyn will, muss das Gesetz halten; wer das Gesetz halten will, erfülle seine Gebote in Frieden.* Hic scilicet sensus erit, si עאין conveniat cum part. Arab. عاين, *fluens*, aut si habeatur Pyhhal (?!) aut subst. sit *fons*, subintellecto הוא. Quodsi עאין compararetur cum عاين in Sp. II et III, *invidiose adspexit*, *adspiravit*, *comparavit* (ersehen), quae alias cum ב construantur et hic cum כא, sensum hunc futurum: *die Gemeinschaft der Güter macht Gott wohlgefällig, wer Gott ganz wohlgefällig seyn will, muss auch die übrigen* (alle) *Gesetze des Bundes erfüllen* u. s. w. In quibus omnibus nihil omnino bonae frugis est: nisi quod עאין cum عاين contulerit; haud inepte; modo *fluentis*, i. e. *fontis*, notionem servasset. Reliquae verbi Arabici notiones, quas affert, mihi plane ignotae sunt, nec si exstarent, quidquam ad rem explicandam pertinerent. Praecipuum vero hujus explicationis fundamentum posuit censor in litera Tsade pro Samech substituta, de cujus permutationis probabilitate nec aliis palaeographiae peritis, nec, ut puto, sibimetipsi persuadere potuit. Ex hac enim legendi licentia oriuntur vocabula הצטר et אצטר, quorum alterum auctori esse videtur Ethpehel a צור, *venatus est*, alterum a צור, *colligavit*, *continuit*. Sententiae absurditatem mittimus, at haec profecto non scripsisset, si in specie Ethpehel nullam sibilantium transpositionem admitti posse, atque adeo non אצטר, vel הצטר, sed אתציר, et התציר scribendum fuisse animadvertisset.

Cen-

Censorum, de inscriptionum a nobis editarum lectione et sensu dubitantium, objectiones expendimus, et iis argumentis, quorum aliquod nobis momentum esse videbatur, refutavimus. Nunc ad alteram libri tertii partem properandum est, quae non amplius in verborum, sed in rerum consideratione occupabitur. Etenim ut antea obiter significavimus, hic de iis disputandum est religionis dualisticae Tholadi et Tholathae, i. e. Baälis et Astartes, indiciis et vestigiis, quae mihi postquam superiorem illam dissertationem in lucem edidissem, oblata sunt, quaeque meam de hac religionis natura et indole sententiam egregie confirmant. Qua cum investigatione arctissime conjuncta est altera quaestio de vetustate lapidum, quae variis de caussis insigniter immutata et hac opportunitate accuratius retractanda est. Initium disputationis nostrae ducendum est a monumento quodam insigni Musei Dresdani, cujus ectypon gypseum in collectione Leydensi asservatum olim editurus est Reuvensius Vir Cl. Nobis sufficiat illud verbis accurate descripsisse. Lapidis basis fracta, reliqua pars bene servata est. Forma sua obeliscos imitatur et haud dissimilis est figurae cippi quam nobis offert Lapis Zeugitanus II inter emblemata. In summo lapide cernitur semilunula supina, cui sol medius incumbit: huic subjicitur illud signum τρίγωνον Baälis et Astartes, duabus ansis sive brachiis insigne, addita inscriptione AQVILLIA ·L·L· PHARTENIO V. S. L. M. His denique subdita est ovis species, additis verbis VI. EID. NOV. Emblemata igitur, et conjunctionem duorum Numinum, et consuetum eorumdem symbolum offerunt, inscriptiones autem Latinae ostendunt religionis veteris formam Romanorum etiam aevo intactam mansisse, et ab his in Italiam (ibi enim lapidem inventum fuisse ferunt) translatam fuisse. Ex duabus epigraphis alteram minoris momenti esse putamus, nec multum sane curamus, utrum siglum L·L·, *duorum Luciorum libertam*, an aliud quid significet: nec multum de potestate compendiorum V. S. L. M. laboramus. At magni ad nostram rem ponderis est inscriptio ovi subjecta. Quod enim superiore dissertatione nostra de lapidis Humbertiani symbolis, ove et merge cum conica figura junctis, conjecimus; haec scilicet pertinere ad pecorum fertilitatem ab Astarte efflagitatam, vel, si mavis, ejusdem Deae benignitati adscriptam, id vero maximopere confirmat eadem ovis species cum verbis adjectis VI. EID. NOV. Nam haec temporis nota bene quadrat in foeturam ovium autumnalem, sive brumalem, et la-

 pi-

pidem positum fuisse declarat, ut gemino Numini, generationis praesidi, eam ob caussam gratiae agerentur. Audiamus de illius foeturae tempore Scriptorum Rei Rusticae testimonia, e quibus Varro de R. R. Lib. II. c. 2, §. 13, *Tempus optimum* (inquit) *ad admittendum* (Arietes) *ab Arcturi occasu ad Aquilae occasum, quod quae postea concipiuntur, fiunt vaegrandes atque imbecillae. Ovis praegnans est diebus CL, itaque fit partus exitu autumnali, cum aër est modice temperatus et primitus oritur herba imbribus primoribus evocata.* Consentit Plinius *H. N.* L. VIII. c. 72, *Coitus omnibus ab Arcturi occasu, id est ad tertium Idus Majas* (Libro XVIII. c. 67 et 69 ponit eundem *ante V. Idus Majas*) *ad Aquilae occasum in X. Calendas Augusti* (vel *XIII. Cal. Aug.*, ut ait L. XVIII. c. 69). *Gerunt partum diebus centum quinquaginta, postea concepti invalidi.* A reliquis auctoribus in eo discrepat Columella L. VII. c. III. §. 11, quod primum admissurae tempus ponat Parilibus (XIII. Cal. Majas) si oves maturae sint, quodsi sint foetae, circa Julium mensem. In eo tamen Plinio L. VIII. §. 72 consentit, quod agnos autumnales, sive hyemales, vernis meliores solumque hoc animal utiliter bruma nasci affirmet. Ergo maximum admissurae tempus erat trimestre a XIII. Cal. Majas in ante diem XIII. Cal. Augusti. Videntur autem nonnulli medium tempus, i. e. mensem Junium, elegisse, ut partus fuerit mense Novembri, quod ab altera parte affirmat Palladius Lib. XII. §. 13. *Hoc mense* (Novembri) *agnorum*, inquit, *prima generatio est*, ab altera ex ea temporis nota intelligitur, quam ista inscriptio exhibet.

Sic igitur hujus monumenti testimonio mea de lapide quarto Humbertiano sententia abunde confirmata est, at fortasse nonnullis aliquatenus labefactari videbitur argumentum, quod olim in dissertatione mea posueram, cum lapidum a me editorum vetustatem eo tueri conabar, quod coni formam et conjunctam Solis et Lunae religionem Poenis ἀλλοφύλοις proprias fuise contenderem. Verum equidem numquam negavi antiquae superstitionis ritus et formam Numinis etiam post deletam Carthaginem superfuisse: quomodo enim umquam fieri potuisset, ut per Phoenicum colonias longe lateque diffusa religio, et tot diversis gentibus, Phoenicibus, Syris, Babyloniis, Arabibus communis, sola eversa Poenorum republica evanesceret? Contrarium Paphiae Deae religio luculenter ostendit, cujus numinis species conica, ut Taciti, Philostrati et Maximi Tyrii loca ostendunt, pluribus post Christum natum seculis culta est. Sed hoc solum verosimile judicavi, quod nummi et Apulejus testabantur, in *colonia Carthagine* Astarten humanam formam habuisse et leoni insedisse,

se, eamque non amplius uno eodemque cultu cum Baäle conjunctam fuisse videri. Dignam rem esse censeo, quae etiam aliunde probetur: quod ut faciam, ab altiore initio repetenda disputatio, et de Emessenorum Deo Elagabalo, vel, ut alii malunt, Heliogabalo, aut Elaeogabalo, ejusque cum Venere Carthaginensium Urania nuptiis accurate agendum est: unde priori illi dissertationi nostrae multifariam lux affulgebit. Accuratam numinis illius descriptionem debemus Herodiano Lib. V. c. III. 10, 11, qui Solem hac Phoenicia appellatione indicari et non tantum a Syris, sed a vicinis etiam Satrapis et Regibus barbaris Deum studiosissime cultum et quotannis multis et pretiosis donariis ornatum esse testatur. Statuae formam sic delineat: *λίθος δέ τίς ἐστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερής, λήγων εἰς ὀξύτητα. Κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά· διοπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν, ἐξοχάς τέ τινας βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν, εἰκόνα τε ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες.* Quod testimonium Herodiani nummi Emessenorum luculentissime confirmant istam religionem spectantes. Sic in nummis Antonini Pii in ea urbe cusis (Mionnet. *Rec. de Méd.* T. V. p. 227 sq.) aquila cono insistit, tum in aliis Caracallae p. 229 sq. n. 608 sq. eadem res est, et in n. 607 aquila alis expansis stat ante conicum lapidem in medio templo hexastylo. Idem cum cono sine aquila delineatum est in nummo Sulpicii Antonini p. 230, n. 612. Vides ipsam Tholadi imaginem et potestatem, nam quin Sol sit Elagabalus nulla controversia est. Testatur hoc praeter Herodianum Dio Cassius Lib. LXXVIII. p. 1339, et Lampridius in *vita Heliogabali*, eundem Solem, vel Jovem, appellat p. 793 et 826, nec dissentit Capitolinus in *vita Macrini* p. 759. Adde Vopiscum in *vita Aureliani* p. 478 sq. Confirmat idem planissime Dei appellatio. Neque enim dubium est, quin Scaliger in notis ad Eusebium p. 212 hoc nomen rectissime אֱלָה גְּבַל, *Gebalitarum Deus*, interpretatus sit. Quod enim Salmasius ad Lampridium objecit p. 792, mirum esse Deum qui ab Emessenis praecipua religione coleretur, Gebalitarum numen appellatum fuisse, id nihili est. Quis enim nescit Deos Deasve saepissime ab iis locis cognomen traxisse, ubi eorum religio, vel nata erat, vel imprimis vigebat, etiamsi sacra cum aliis deinceps communicata essent, vel ad totam regionem pertinerent: hujus vero religionis initia Gebalitis maxime deberi haec ipsa mox disputatio declarabit. Nec sane quemquam futurum existimo, cui aut Salmasii conjectura probabilior videatur, aut Casauboni: quorum hic אלה גבל *Deus montis* explicat, ille eandem versionem secutus, eum ita appellatum hariolatur, quod lapis iste conicus montis instar esset! Nec multo melior ratio

tio Seldeni *de Diis Syris* p. m. 223, illud nomen ex Agol Baäl (עגל בעל) corruptum esse conjicientis, ut pp. sit Ζεὺς ἐπικυκλίδιος, soli, ni fallor, Hesychio memoratus, et a rotunda statuae forma nomen acceperit; ad quam sententiam firmandam laudat inscriptionem illam notam Palmyrenam, Romae servatam, ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, in qua, praeeunte Scaligero Lib. V *de Emend. Temp.* p. 428, lapicidae errore Ω pro H positum existimat in Agliboli nomine. Conjecturam evertit monumentorum Palmyrenorum lingua conscriptorum comparatio, formam בול, pro בל, vel בעל, offerentium. Sed ponamus etiam ΑΓΛΙΒΗΛΟΣ scriptum fuisse, at nihilominus parum verosimilis Seldeni conjectura est. Equidem cum ΑΓΛΙ longe tutius et probabilius vocem עֵגֶל, *vitulus*, quam עָגֹל, *rotundus*, comparari posse existimem. Sic עגליבול, vel ut Scaligero, qui tamen vocem non explicuit, scribendum videbatur, עגליבעל, erit *Baäl vitulus*, quem Dane et Bethele coluere Israëlitae: hunc enim Baälis religionem fuisse potius, quam Jehovae sub vituli forma culti, ostendit II Reg. XXIII. vs. 15, ubi narratur Josiam diruisse aram Jeroboami apud Bethelem una cum Aschera, i. e. Astarte. Hinc in Libro Tobiae c. I. vs. 5 Israëlitae, Jehovae cultu derelicto, sacrificasse dicuntur τῇ βάαλ δαμάλει, ubi in archetypo Hebraico procul dubio scriptum erat עגליבעל. At quamvis istam religionem cum reliquis Baälis sacris cohaesisse locus libri Regum secundi laudatus ostendit, ex diversa tamen forma numinis Bethelici et Emesseni sacrorum quoque discrepantia perspicitur, eodemque indicio efficitur Heliogabali nomen ex Aglibolo, Deo vitulino, oriri non potuisse. Ergo equidem lubens amplectar Scaligeri sententiam, in quam ipse, illius interpretationem adhuc ignorans, sponte incideram, אלה גבל, *Gebalitarum Deum* esse, i. e. *Bybliorum*. Quae enim Graecis Byblos est, eadem Hebraice appellatur גְּבַל, quod non, ut hoc in transitu moneam, ex permutatione literarum B et G repetendum, quae Bocharti fuit opinio in *Canaän* L. I. c. I. p. 346, sed ex ipsius nominis diversitate. Quippe *Byblos* ortum existimo ex בֵּיבַל, i. e. בית בעל, *domus Baälis*, vel etiam ex בְּבַל. Alterius contractionis exemplum cernimus in בְּעֶשְׁתְּרָה, ex בֵּית עַשְׁתָּרָה, *domus Astartes*, Jos. c. XXI. vs. 27, Graecis Βόστρα, unde etiam frequens in illius urbis nummis est Astartis imago (Mionnet. T. V, p. 579 sqq. p. 583 sq.), alterius in Βαισάμψα, i. e. בֵּית שֶׁמֶשׁ, *domus Solis*, quod, teste Stephano in voce, est oppidum sinui Arabico adjacens, item in بيسان, pro *Bethsan*, Βηθαβάρ, pro *Bethabara*, Βηγαβρίς, pro *Bethagabara*, Βησιμώθ, pro *Beth Jesimoth*, de quibus singulis vide Re-

Relandum. Quo pertinent etiam consuetudo Syrorum saepius ܒܝ, pro ܒܝܬ scribentium, ut in phrasi ܥܠ ܒܝ ܠܒܝ, Bar-Hebr. p. 321 et 362. Alterum nomen גֵּבַל contractum videtur ex גֵּיא בַּעַל, vel גֵּי בַּעַל, *vallis Baälis*, qua ratione גֵּי הִנֹּם apud Chaldaeos et Arabes contrahitur in גֵּהִנֹּם, et جهنّم. Tertium nomen praecedentibus respondens est Syriacum ܓܘܒܥܠܐ, Bar-Hebr. p. 402, unde Arabes suum جُبَيْل fecere, illud diminutivum esse putantes a جبل. Syriaca vox ad literam sonat *penetrale Baälis*, ex ܓܘ et ܒܥܠܐ composita. Quodsi mireris triplex unius urbis nomen et eam ob caussam de ista interpretatione subdubites, alia ejusmodi varietatis exempla, quae hic proferam, fidem aliquam interpretationi meae conciliabunt. In his minime censeam nomina multarum civitatum gemina, quorum alterum Orientale est, alterum recentius et Graecum, ut Acco et Ptolemais, Sichem et Neapolis, et quae sunt centena hujus generis alia: nec etiam Orientalium nominum varietates, ex sola pronuntiationis corruptione exortae, ut Bambyce, Mabog et Manbedj, sed talis diversitas, quae vel eandem significationem exprimat, vel cum notionis varietate conjuncta sit. Hoc ex. gr. cernimus in Mesopotamiae راس عين, *caput fontis*, quae alias عين الوردة, *fons rosae* dicitur, item in nominibus جزيرة بن عمر et ܓܙܪܬܐ ܕܩܪܕܘ; illud locum habere videtur in tribus nominibus בעל גד, בעל המון et بعلبكّ, quae si, ut verosimile arbitror, unius ejusdemque urbis sunt, etiam parem habere videntur potestatem. Nempe גָּד et הָמוֹן, quae nonnulli Deorum nomina arbitrantur, et بكّ mihi fere synonyma sunt. Prius idem est quod גדוד, *turba*, a גדד, *comprimere*, *urgere*, quod plane idem est ac بكّ Arabicum, ut quod Hebraeis בעל גד, idem Arabibus sit بعلبكّ. Jam המון *turbam* esse nemo ignorat. Ergo triplex nomen idem significabit; nempe urbem istam fuisse populosam, vel hominibus eo confluentibus frequentem, panegyreos, sive nundinarum, caussa; qua ratione Meccam propter arcte compressam hominum multitudinem بكّة appellatam perhibent. Aptum profecto urbi nomen, quam in ipsa via catervarum, cum mercibus ex Asia superiore Tyrum tendentium sitam et celebre emporium fuisse conjicio. Verosimile autem est haec nomina ad diversas aetates, et vero etiam ad diversas gentes pertinere. Nempe בעל גד in Josuae libro, בעל המון in Cantico Canticorum occurrit, denique بعلبكّ recentiori tempori et Arabibus tribuendum videtur, Syriam frequentantibus: plane ut inter Bybli nomina ܓܘܒܥܠܐ a Sy-

ris ortum esse apparet. An vero horum nominum aliud alio sit recentius, ut de Baäl-Gado et reliquis conjecimus, equidem nec nego, nec affirmo; hoc vero certum est illa origini, quam Byblo attribuebant Phoenicum fabulae, et sacris loci celebratissimis fuisse accommodata. Erat enim Byblus, ut Sanchoniathon l. l. p. 37 A, et Stephanus in voce Βύβλος testantur, a Crono, i. e. Baäle, condita. Baäl vero hic imprimis Thammouzi titulo, quem Graeci Adonin appellavere, una cum Astarte coli solebat. Quorum etiam sacrorum, toto orbe veteri illustrissimorum, caussa urbs Byblus ἱερὰ dicitur in plerisque nummis Imperatorum Rom. ibidem cusis, qui supersunt. Cujus etiam generis nummus esse videtur Heliogabali a Seldeno l. l. p. 228, aliisque laudatus, ΓΑΒΑΛΙΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, nempe πόλεως. Nam etsi Byblus, vel Gebal, a Gabala (Arab. جبلة) quae Laodicaeae vicina est, probe distinguenda sit, et nomen Gabala apud veteres Byblo alias tribui non soleat, aliquando tamen de ea usurpatum fuisse, conjicio ex Plinio, Stephano et Ptolemaeo, e quibus Stephanus notat Hecataeum urbem Phoeniciae appellavisse Γάβαλα in fem. sing.; Strabonem vero (qui effert τὰ Γάβαλα, L. XVI. p. 753) eam collocavisse in Laodicaeae vicinia: gentile esse Γαβαλίτης et Γαβαλεύς. Quo ipso demonstrat sibi unam tantum urbem visam esse, de cujus situ auctores dissentiant. Quod minime probandum est. Videmus enim Plinium *H. N.* L. XII. c. 55 styracem apud Gabalam Phoeniciae frequenter gigni narrantem, et Ptolemaeum in Geogr. quoque in Phoeniciae mediterraneis alteram ponentem Gabalam, ab illa Laodicaeae vicina, quam ante memoraverat, distinctam, unde opportunitas data est Cellario *Geogr. Antiq.* T. II. p. 349 et 386 duas praeter Byblum Gabalas comminiscendi. Qua de re equidem adhuc prudenter assensum retineo. Est enim quaestio admodum impedita et obscura. Fatemur quidem apud Ptolemaeum et Plinium enumerari Gabalam Syriae et Phoeniciae, Byblum et Palaeobyblum; ita ut quatuor diversa loca esse videantur: fatemur etiam Gabalam Ptolemaei, in mediis terris sitam, Byblon illam, cujus in Graecorum Romanorumve libris mentio fit, esse non posse. Hanc enim mari vicinam fuisse varia scriptorum testimonia docent. Sic ex Arriano discimus L. II. c. 20, Enylum Bybliorum Regem classem suam Alexandro tradidisse Phoeniciam occupanti, quod urbem istam portum habuisse ostendit: nec dissentit Strabo oppidum situm esse narrans ἐφ' ὕψους τινὸς μικρὸν ἄπωθεν τῆς θαλάττης, l. l. p. 755. Ex Orientalibus Abulfeda in *Tab. Syriae* p. 95, Djobeilac, i. e. Byblo, portum tribuit, cui assentiuntur Albertus Aquensis *Hist. Hieros.* l. IX. c. 26 et Willermus Tyr. l. XI. c. 9 eandemque rationem sequuntur omnes, qui recentiore aevo per Syriam peregrinati, li-

litus illud inviserunt. Aliam quidem sententiam amplecti videtur auctor Lexici Geographici tradens Djobeilam sitam esse ab oriente Beryti, octo parasangarum intervallo, (في شرقي بيروت علي ثمانية فراسخ من بيروت), cujus loci integritatem tuetur al Moschtarek in voce الجبيل, ubi idem perhibetur. Verum Orientales plerique, qui de Geographia scripsere, cum Astronomiae parum studiosi essent et periti, in locorum positione determinanda saepe mirum in modum hallucinati sunt, quod ex luculento Ibn Haukali aliorumque errore notum est, de boreali et australi ripa Nili verba facientium, cum orientalem et occidentalem memorare debuissent. Cf. Sacy *Relat. de l'Égypte* p. 396 sq. n. 56. Jam in Bybli situ constituendo tanto facilius a vero aberrare potuerunt, quod litora circa Berytum longius in mare magnum excurrunt, quam apud Byblum, quo fit ut is, qui Beryto Byblum proficiscatur, primum in orientem, dein per reliquam viae partem in septentrionem orientalem (الي الشرق الشمالي) tendat. Haec igitur omnia spectant Byblum recentiorem: veterem vero, quam Ptolemaeus diserte inter loca mediterranea recenset, nomine גבל significasse videntur scriptores Hebraei. Cf. Jos. c. XIII. vs. 5, ubi regio Gebalis ad Libanum collocari videtur, item I Reg. c. V. vs. 32 et Ezech. c. XXVII. vs. 9, quorum locorum altero de fabris lignariis Gebalenis, altero de senibus Gebalis, domos Tyriorum ruinam minantes instaurantibus, sermo est; ex quibus probabiliter effici potest Gebalenos istos habitasse ad radices Libani, et ob silvosam naturam loci arti fabrili exercendae operam dedisse. Hanc igitur Gebalam forsitan indicaverit Ptolemaeus. Nam etsi eam a Palaeobyblo distinguat, statim ante memoratam, hoc glossae potius, quam verae locorum diversitati, adscribendum et rem sic explicandam arbitror, ut Palaeobyblus sit explicatio vocis Gabala. Cui conjecturae tamen nonnulla argumenta objici posse videntur, quae hic obiter diluenda sunt. E quibus hoc primum est, quod in Ptolemaica locorum tabula utrique oppido, et Gabalae, et Palaeobyblo, gradus longitudinis et latitudinis adscripti sint et diversissimi quidem, alteri long. ξη΄. δ΄. lat. λδ΄. alteri long. ξζ΄. δ΄. lat. λγ΄. ς΄. Sed primum ratio tabularum illarum postulabat ut notatis locis etiam gradus adderentur: ergo hi nomini Palaeobyblo, semel in textum recepto, a librariis utcumque sunt additi: praeterea fieri potest ut haec glossa profecta sit ex aliis tabulis geographicis, graduum notatione jam ornatis; postremo quod non iidem gradus utrique loco assignantur, id nihili est: numeros enim istos misere corruptos esse cum aliunde constat, tum ex inani labore Relandi tabulam geographicam Phoenices et Palaestinae secundum istam graduum designationem componere frustra conantis.

 Cf.

Cf. illius *Palaestinam* p. 465. Quod vero maximum est, et imprimis nostram conjecturam confirmat, aliud ejusdem corruptionis exemplum nobis offert Ptolemaeus, in nomine urbis Africanae *Aspis*, quam Romanos *Clupeam* appellasse inter omnes constat. Jam si hodiernis Geographi libris credimus, is ex una ista urbe duas fecit: nam ab occidente in orientem pergens, primum habet Κλυπία long. λβ. lat. λγ'. γ'. tum Ἑρμαία ἄκρα, postremo Ἀσπίς, long. λε'. δ'. lat. λγ'. γ'. Sed hoc altero illo de Byblo commento longe foedius est et absurdius, ut si haec et alia, auctore Salmasio ad Solin. p. 227 B, coll. p. 835 B, et alibi, ipsi Ptolemaeo, non librariis imputanda essent, ne minima quidem fides Geographo in posterum habenda esset. At Plinius tamen, dicat aliquis, diserte inter Gabalam et Palaeobiblum distinxit. Id vero parum abest, quin potius caussae meae prodesse quam obesse putem. Cum enim in descriptione Phoenices L. V. c. 20 Palaeobybli mentionem faciat, Gabalae nullam, hanc vero memoret L. XII. c. 55, ubi de styrace sermo est, hinc videtur effici haec duo nomina unius ejusdemque urbis ab eo fuisse habita. Si enim aliter existimasset, Gabalam in Phoenices Geographia non praeteriisset. Nisi forte quis malit nomine Gabalae Phoeniciae illam Laodicaeae ab austro vicinam significari: cum hanc quoque regionem ad Phoenicen aliquando pertinuisse ostendat nummus olim a Barthelemyo lectus ללדכא אם בכנען, *Laodicaeae matris in Canaän.* Cui tamen opinioni equidem minime adstipuler idque duplici de caussa. Altera haec est quod isto *Phoeniciae* epitheto hanc urbem a notiore *Syriaca* distinguere voluisse videtur Plinius, altera quod styracem ibi genitum Γαβαλίτην vocavit Dioscorides L. I. c. 78. Nam tametsi Stephanus Γαβαλεύς et Γαβαλίτης promiscue usurpari posse putavit, prius tantum mihi pertinere videtur ad Gabalam Syriae, in cujus nummis perpetuo reperies ΓΑΒΑΛΕΩΝ. Cf. Mionnet. T. V. p. 233—240, posterius ad Gabalam Phoeniciae, sive Palaeobyblum, cui igitur me judice Heliogabali nummus adscribendus est, supra ex Seldeno citatus, in quo ΓΑΒΑΛΙΤΩΝ legitur, nisi forte quis illum novae Byblo tribuere malit, et sic statuere, Imperatoris gratiam captare voluisse Byblios, eo nomine assumto, quod cum nomine Dei ab eo summa religione culti conjunctum esset et illius sacra e Byblo petita esse ostenderet. In quam sententiam eo lubentius concedam, quod rara aut paene nulla in nummis τῶν Γαβαλίτων mentio est, atque adeo ejusmodi nummi peculiari opportunitate cusi esse videntur. Utrum vero veterem hic Byblum praeferas an novam, ad nostram disputationem perinde est. Utriusque enim urbis idem nomen fuisse videtur eademque religio, ut utrique titulus proprius esse potuerit τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου. Quamvis si optio facienda

da est, facilius inclinem in novam: nam apud Sanchoniathonem, qui veterem tantum Byblum agnoscit a Crono conditam, Deus quidam Ἀγρώτηρος, sive Ἀγρότης memoratur, qui παρὰ Βυβλίοις ἐξαιρέτως θεῶν ὁ μέγιστος ὀνομάζεται. Cf. Euseb. l. l. p. 35 D. Quod numen agreste, quaecumque tandem illius ratio fuerit, certe diversum a Thammouzo fuit, sive Adonide, quem eximia religione a Bybliis cultum fuisse certatim testantur. Ergo hoc magis novae Byblo proprium fuerit, illud Palaeobyblo. Quodsi quaeras quo indicio constet Emisenum illum Deum ab Adonide, vel Thammouzo, distinguendum non esse: primum attendas ad illud quod inter omnes idoneos harum rerum arbitros in confesso est, utrumque *Solem* haberi, tum consideres singularem conspirationem, quae inter nomen אלה גבל, *Deum Bybli*, et titulos intercedit, Tholado in Inscriptionibus Carthaginensibus antea editis tributos, in quibus iste ex mea conjectura, et תמוז, et בעל בגבלא, *Dominus in Gabala*, appellatur. Nam si qui sint, qui lectiones istas dubias pronuntient et imprimis nullum sensum probabilem ex fragmento illo, in quo nos *Dominus in Gabala* legimus, elici posse contendant, cum Beth et Gimel vocis בגבלא extremo vs. 2, reliquae initio vs. 3 ponantur, cujus primam literam periisse ostendat versus praecedens a dextra una litera productior: si igitur sic ratiocinentur, inspiciant velim Inscriptionem Zeugitanam primam, a nobis editam, in qua quartus vs. reliquis brevior est, spatio vacuo non ad sinistram, uti exspectandum erat, sed ad dextram relicto. Adscripsimus illud naturae lapidis, cujus inaequalitas isto in loco sculpturam minus admitteret, nec video quidni eadem caussa hujus etiam inscriptionis artificem cogere potuerit, ut alterum versum ab initio breviorem faceret. Alia vero quaestio est utrum in ista voce בגבלא inscriptio desierit; sin minus, utrum extrema litera ad nomen urbis pertineat, an ad proximam vocem deperditam. Si nihil praeterea adfuerit, גבלא forma Syriaca cum Aleph emphatico existimanda est, quae Graecae Γάβαλα forsitan originem dederit. Neque vero verba tantum inscriptionum insignem harum religionum cognationem et similitudinem demonstrant, verum etiam emblemata, ex quibus apparet eandem conicam formam fuisse Numinis Carthaginensis et Emiseni. At quod primarium censeo, singularis ista necessitudo Punicae superstitionis et Syriacae imprimis comprobatur ex nuptiis Dei Emiseni cum Venere Urania Carthaginensium, ab Imp. Heliogabalo institutis, quarum gratia in disputationem illam excurrimus, et ad quas accurate perpendendas et considerandas nunc revertimur. Quamobrem primum Herodiano l. V. c. 5 sq., Dione l. LXXIX. c. 12, p. 1360, et Lampridio c. 3 et 6, ducibus breviter exponendum est, quae-

nam

nam Heliogabali imperium adepti acta fuerint, religionem suam spectantia et simul animadvertendum, quid ex hominis illius nequissimi facinoribus lucrari possimus ad meliorem horum sacrorum intelligentiam. Jam statim numen illud Romam transtulit eique templum exstruxit in monte Palatino juxta aedes Imperatorias, in quod transtulit Matris Deorum imaginem διοπετῆ, Vestae ignem, Palladium et ancilia, verbo omnia, quae Romanis veneranda existimabantur. Quin etiam Judaeorum, Samaritanorum et Christianorum religiones cum istis Dei sui sacris conjungendas esse existimabat, ne quis Romae Deus, nisi Heliogabalus, coleretur. Quae minus dementiae tyranni attribuenda sunt, quam syncretismi studio, ex quo illius aetatis homines variorum Deorum Dearumve attributa in unum aliquod primarium numen conferebant: et cujus ratio eo spectabat, ut quoad ejus fieri posset omnia ad antiquam religionem revocarent, cum accurata variarum superstitionum comparatio illos edocuisset varias unius numinis qualitates, quasi personas induisse et hinc multiplices illas Deorum formas natas esse. Qui syncretismus etsi in Dei Emiseni sacris veterem eoni formam servantis non agnoscitur, vicina tamen Syriae, Arabiae, Asiaeque Minoris loca adeo incesserat, ut Hierapolitana Juno (quam, Luciano teste, Arabes, Babylonii, Phoenices, Cappadoces, Cilices, verbo omnes populi Asiatici, stirpis et religionis antiquae communione conjuncti, certatim colebant) ut haec Juno, inquam, speciem et attributa Minervae, Veneris, Lunae, Rheae, Nemeseos et Parcarum conjungeret: et Rheae instar, leonibus veheretur, Veneri Uraniae Carthaginis per omnia fere similis, sub iisdem nominibus cultae. Cf. Munter. *Rel. der Carth.* p. 74 et 75. Quamobrem mirum non est Imp. Heliogabalum de connubio inter Deum Emisenum et Palladem Romanam cogitavisse, ut Herodianus narrat, quippe quam cum Minerva Belisama, i. e. Regina coelorum, ut in Inscr. quadam appellatur, confunderet. Quod consilium tamen abjecit, videns Deam esse bellicam et armigeram, nec Emiseno satis respondere. Cui mox alias circumspexit nuptias, nempe Veneris Uraniae Punicae, de quibus profecto statim cogitavisset, nisi propter locorum intervallum ista religio homini Syro incognita fuisset. Ut vero primum naturam Deae agnovit, Solis et Lunae matrimonium aptissimum fore dictitans, imaginem Veneris Carthagine Romam transferri curavit, Deoque junxit, templum aedificans in suburbio utrique numini splendidissimum, in quod quotannis adulta aestate Deum traduxit. Quam narrationem tantum abest ut cum Muntero *Rel. der Carth.* p. 73 humanae formae Astartes favere existimem, ut contrarium potius inde eliciam. Nam longe verosimilius vi-

de-

detur Heliogabalum Deos conicos ejusdem formae communibus sacris et mystico matrimonio junxisse, quam conum cum humana specie copulasse. Quapropter, nisi locus quidam Dionis exstaret, a nemine, ut videtur, adhuc satis intellectus, qui demonstraret hic revera de Astarte leonibus vecta cogitandum esse, qualis et Hierapoli coli solebat, et Carthagine, equidem sententiam meam de conica Astartes forma Carthagini Romanae ignota nonnihil infirmatam esse faterer. Locus Dionis, quem superius jam indicavi, legitur L. LXXIX. c. 12, p. 1360, et hac data opportunitate emendandus est. Depingit auctor Imperatoris avaritiam fictas illas nuptias pecuniae a subditis exigendae et fisci replendi occasionem sumentis: ἕδνα τε inquit, αὐτῇ παρὰ πάντων τῶν ὑπηκόων — ἤθροισε. τὰ μὲν δὴ οὖν ἕδνα, ὅσα ἐδόθησαν (l. οὐκ ἐδόθησαν) ζῶντος αὐτοῦ, μετὰ ταῦτα εἰσεπράχθη. τὴν δὲ δὴ προῖκα οὐκ ἔφη κομίσεσθαι (restitue κομίσασθαι, male repudiatum a Blanco et Reimaro) πλὴν δύο λεόντων χρυσῶν, οἳ καὶ συνεχωνεύθησαν. Sensus est: Heliogabalum exigendorum donorum nuptialium hanc caussam prae se tulisse, quod a Dea nullam dotem mariti nomine accepisset, praeter duos leones illos aureos, qui currum illius, Cybeles insignibus ornatae, trahebant: aliis igitur muneribus ad sustentandam Numinum magnificentiam opus esse. Si κομίσεσθαι praeferas, dixerit Imperator se aliam dotem a Dea accipere nolle: at talis pecuniae contemtor minime fuit, nec videri voluit tyrannus, qui Herodiano teste L. V. c. 6, §. 12, τό τε ἄγαλμα μετεπέμψατο καὶ πάντα τὸν ἐκεῖθεν χρυσὸν, χρήματά τε πάμπλειστα τὴν θεὸν εἰς προῖκα δὴ ἐπιδοῦναι ἐκέλευσε. Verba Herodiani cum illis Dionis, vel Xiphilini, ita conciliari possunt, ut Heliogabalus omnes quidem templi Carthaginensis thesauros spoliaverit, at nihilominus prae se tulerit se nil nisi leones aureos dotis loco accepisse. Quod vero obiter monendum est, iste locus Herodiani etiam a Muntero adhiberi potuisset ad illustrandum Ulpiani fragmentum de constitutionibus Principum, ex quibus cum alios Deos nonnullos, tum Coelestem Venerem Carthaginis haeredes scribere licebat. Cf. Schulting. *Jurisprud. Antejust.* p. 636. Munter. *Rel. der Carth.* p. 76. Verosimile est enim opes, quibus jam Heliogabalo regnante illud sacrarium florebat, magnam partem ex haereditatibus fluxisse, atque adeo illam constitutionem Principis longe antiquiorem esse, et vel Severo Afro, ut Munterus existimabat, vel illius decessoribus deberi. Sed haec quisque pro lubitu explicet: nobis hoc sufficit ex loco Dionis non tantum novum argumentum peti posse pro forma Veneris Uraniae humana, ad Cybeles speciem efficta, sed etiam pro diverso illius et Baälis, vel Jovis et Saturni, in nova Carthagine sacrario et cultu. Si enim Divi illi ibi σύνναοι et σύνθρονοι et ex doctrina ve-

veteri conjuges existimati fuissent, numquam Heliogabalus Deam Carthaginis cùm Deo Emiseno, i. e. Baäle, copulavisset. At penitus mutata erat aevo isto illius religionis natura, nec Astarte uxor Baälis, sed Virgo Coelestis existimabatur, quo nomine eam variis in locis compellat Augustinus. Desinamus in observatione, quae ex postremis Herodiani verbis sponte nascitur. Quod enim ibi narratur de Deo quotannis solenniter ἀκμάζοντος θέρους in templum suum traducto, id obscurum quidem est, nec satis accurate et luculenter traditum: at respicere tamen videtur ad sacra Adonidis, sive Thammouzi, quibuscum, ut ante diximus, Heliogabali religio conjuncta erat. Thammouzi ἀφανισμὸς mense Junio, ipsi sacro, defleri solebat, deinceps ejusdem εὕρεσις celebrari, nec dubito quin ad alterutram pertinuerit ista traductio, de qua apud Herodianum sermo est. Vides quanta lux ex comparatis et accurate perpensis illorum scriptorum verbis, qui de Heliogabalo egerunt, in ista sacra Syriaca et Phoenicia redundet. Ut vero ulterius etiam constet, quam arcta necessitudine Venus illa Carthaginensium cum Byblia conjuncta fuerit et quanto jure Deus ille ἀρσενόθηλυς Poenorum Baäl-Astarte, in lapide Humbertiano *Dominus in Gabala* appelletur, Lucianum excitabimus in libro *de Dea Syria* c. 6, de Bybliorum religione disserentem. Εἶδον δὲ, inquit, καὶ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱρὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης, ἐν ᾧ καὶ τὰ ὄργια ἐς Ἄδωνιν ἐπιτελέουσι, deinceps pluribus interjectis docet, Phoenices sibi caput rasisse amissi Adonidis caussa: postremo haec addit: γυναῖκες δὲ ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσιν ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι. ἐν μιῇ ἡμέρῃ, ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἵστανται· ἡ δὲ ἀγορὴ μούνοισι ξείνοισι παρακέεται, καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην θυσίη γίγνεται. Quam lasciviam in Veneris etiam Cypriae, Babyloniae et Carthaginensis sacris solennem fuisse quis est, qui post Meursii in *Cypro* L. II. c. 23, et Munteri *Rel. der Carth.* p. 79 sqq. curas amplius ignoret? Nec minus memoria dignum est, quod solennia festa Veneris Cypriae mense Junio celebrabantur, qui mensis Adonis, i. e. Thammouz, ut in Phoenice, sic etiam in insula Cypro appellatus est, ut Hieronymus notat in *Commentario ad Ezechielem* c. VIII. Ex hoc enim indicio perspicitur haec sacra (quae ut in nostra dissertatione ante sexennium edita demonstratum est, Punicis Tholadi et Tholathae religionibus originem dederunt) a Bybliis non diversa fuisse, et pariter Adonidis ἀφανισμὸν et εὕρεσιν spectavisse. Quae observatio nos sponte ducit ad dualismum in Cyprio cultu agnoscendum, quem solius Veneris Paphiae, vel Amathusiae, non item Solis, apud veteres frequens et repetita mentio paene obscuraverat. Etsi adhuc satis manifesta illius rei vestigia relicta sunt. In quibus primum hoc numero, quod varii nummi

mi, in his unus a Cypriorum communi, alius a Sardianis cusus, item viridis jaspis quidam a Gorio editus et cum nummis, de quibus diximus, a Muntero in Tab. IV, libello de templo Deae Coelestis Paphiae adjecta, repetitus, nobis fanum illud ostendunt, cujus tholus ornatus est semilunula cornibus in coelum erectis jacente, cui superincumbit figura, sive stellae, ut Munterus existimabat, sive solis, sex vel octo radiis insignis: quam sententiam equidem praefero, tum quod in monumento Dresdano, de cujus ratione superius exposuimus, solis species lunae imminet, tum quia hoc ex conjuncta gemini Numinis religione luculenter explicatur, at cur stella lunae adjuncta foret, minus intelligitur. Accedit testimonium Lactantii Placidi in Epitoma L. X. Metamorphoseon Ovidii, p. 858 ed. van Staveren, Amathusios solitos esse perhibentis hospites ad aram Jovis, quae proxima erat Deae Veneri, immolare. Nam Jovis et Solis apud Cyprios nullum discrimen esse docent Juliani verba *Orat. in Solem* p. 135, Μαρτυρούμενοι τούς τε Κυπρίων ἱερέας, οἳ κοινοὺς ἀποφαίνουσι βωμοὺς Ἡλίῳ καὶ Διΐ. Quae testimonium illustrant Pausaniae in *Boeot.* c. 41, §. 2, et Stephani in voce Ἀμαθοῦς, quorum hic Adonin-Osirin Amuthunte coli, ille Adonidis, i. e. Solis, Venerisque unum idemque templum fuisse affirmat, religione vetustissimum. Persequamur etiam alia ejusdem dualisticae superstitionis apud populos Asiaticos Semiticae stirpis exempla. Pertinet huc locus Abydeni apud Eusebium in *Praepar. Euang.* L. IX. p. 456 D, insignia Nabuchodonosoris Babyloniis suis extremam perniciem praedicentis verba continens: Οὗτος ἐγὼ Ναβουκοδρόσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, τὴν μέλλουσαν ὑμῖν προαγγέλλω συμφορήν, τὴν ὅ τε Βῆλος ἐμὸς πρόγονος, ἥ τε βασίλεια Βῆλτις ἀποτρέψαι, Μοίρας πεῖσαι ἀσθενοῦσιν, ubi Βῆλος et Βῆλτις respondent τῷ ܒܥܠ et ܒܥܠܬܐ Syrorum, i. e. Jovi et Veneri, et conjunguntur, ut astrum masculum et femineum fausti ominis Parcarumque praesides, qui inimicarum stellarum vim sua potestate avertere conantur, qua ex observatione etiam intelligitur, quam ob caussam Attici Uraniam suam Venerem appellaverint τῶν καλουμένων Μοιρῶν πρεσβυτάτην, Paus. in *Attic.* c. 19. §. 2. Haec de Babyloniis, quibus Beltin, sive בעלת, proprio quoque nomine תלת cognitam fuisse, praeter locum Eusebii de Dea Θάλαθ in priore dissertatione laudatum, ostendere videtur nomen urbis Thilutha, quam in Chaldaea collocat Ammianus Marcellinus Lib. XXIV. c. 2. Vix enim dubito, quin hic lateat Aramaea forma תילודתא, vel תילותא, ut tantum sit variatio nominis תלת, et hoc oppidum nomen traxerit a cultu Divae, quemadmodum contra urbs מולדה, in agro tribus Simeoniticae et vicinia El Tholadi, Jos. c. XV. vs. 26, c. XIX. vs. 2, I Chron.

R c. IV.

c. IV. vs. 28, Neh. c. XI. vs. 26, indicium servat nominis et cultus Divae Babylonicae Mylittae, Cananaeis haud ignotae, quibus etiam nomen Βῆλτις placuisse Philo docet, Sanchoniathonis interpres, apud Euseb. l. l. p. 38 D, illud efferens Βααλτὶς, et Dionem Graece explicans, sed perperam, cum Byblum a Crono τῇ Βααλτίδι datam fuisse testetur, quam urbem Astartae, sive Veneri, sacram fuisse constet. Sed hoc, qualecumque sit, fortasse debetur illi seriorum temporum syncretismo, quem antea attigimus, de Heliogabali et Veneris Punicae sacris agentes, eaque cum Junonis Hierapolitanae religione comparantes; in qua tamen, quod ad nostram disputationem admodum memorabile est, nisi egregie fallar, singulari ratione a sacerdotibus indicatum est novam religionis speciem veteri successisse. Nempe Lucianus *de Dea Syria* c. 34 narrat in templi thalamo, sive cella, stetisse Jovis et Junonis simulacra ad recentioris aevi rationem ficta: in ipso sacri loci atrio collocatum fuisse Solis thronum, statua vacuum; solius quippe Solis et Lunae imagines in isto templo non ostendi. Quod quamvis aliter explicare conatur Lucianus, nobis ita exponendum videtur, ut defectus simulacrorum et locus throni vacuus significet statuas illas novas Jovis et Junonis hoc effecisse, ut vetus illa forma coni Soli et Lunae propria prorsus obliteraretur, et veteris cultus reliquiae adyto ejectae in atrium ablegarentur. Hoc, ut arbitror, peregrinos docebant ad sacra confluentes proxeni, sive, ut ab Assyriis vocabantur, *doctores* (διδάσκαλοι, *de Dea Syr.* c. 56) quod nomen, ut hoc obiter animadvertam, loquendi formae מַלְּףְ דְּנוּבְסַן, *doctor sacrificantium*, illustrandae inservire poterit in Inscriptione Borgiana vs. 4 a nobis repertae. Quam insigniter mutatam et corruptam apud Hierapolitanos vetustae religionis speciem consideranti, mirum sane videri debet eandem superstitionem, Hadriani demum aevo in nova colonia Aelia Capitolina exortam, multo accuratius veterem formam expressisse. In ea quoque colonia Jovis et Veneris cultum et simulacra conjuncta fuisse Munterus docet (cf. libellus inscriptus *Der Jüdische Krieg unter den Kaisern Trajan und Hadrian*, p. 91), sed quamvis Astartes humana forma in nummis ibidem cusis Antonini Pii (Mionnet. T. V. p. 518, n. 12 et 13), item Marci Aurelii et Lucii Veri (p. 519, n. 20) et Diadumeniani (p. 521, n. 26), tum species Bacchi, Serapis et Dioscurorum in eorumdem Imperatorum nummis, nec non Heliogabali et Decii (p. 517, n. 5 sqq. p. 518, n. 8 sq. p. 519, n. 18 sq., p. 521, n. 27, 28 et 31); quamvis igitur haec omnia declarare videntur cultum istum omni syncretismo non vacasse; vel sic tamen caput Solis radiatum in nummo Hadriani (ibid. p. 517, n. 3) et lapis conicus, sive Baetylus in nummo Severi, Pellerin *Recueil de Méd.* T. III. Tab. CXXXV. n. 9, coll. Mion.

Mionnet. l. l. p. 520, n. 24) et cultum Solis et antiquam Numinis formam ibi adhuc viguisse demonstrant. Haec igitur, quae hucusque disputavimus, tantum non omnia ad dualismum spectant; quid vero de iis nummis dicemus Sardium maxime et Pergami, in quibus Veneris Paphiae templum exstat, non cum duobus conis, (quod facile explicari posset), sed cum tribus, quorum medius tamen diversam a lateralibus formam habet, pyramidi similioribus. Equidem in re obscurissima nihil affirmare ausim, at videntur tamen istae obeliscorum species significare Deos Veneris *συνέδρους*, de quorum ratione et indole forsitan nonnihil colligi possit ex loco Juliani cum alio Sanchoniathonis composito. Juliani verba haec sunt: *Orat. in Solem* p. 150 C. D. *Οἱ τὴν Ἔδεσσαν οἰκοῦντες, ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον, Μόνιμον αὐτῷ καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύουσιν. αἰνίττεσθαί φησιν ὁ Ἰάμβλιχος, παρ' οὗπερ καὶ τἆλλα πάντα, ἐκ πολλῶν μικρὰ, ἐλάβομεν, ὡς ὁ Μόνιμος μὲν Ἑρμῆς εἴη, Ἄζιζος δὲ Ἄρης, ἡλίου πάρεδροι, πολλὰ καὶ ἀγαθὰ τῷ περὶ γῆν ἐποχετεύοντες τόπῳ.* Mox eandem fere rem repetit p. 154, et Edessenos Syros Martem Azizum appellare asseverat. Est sane Azizus, ut quisque videt, Syriacum ܥܙܝܙܐ, *durus*, *robustus*, *gravis*, respondens Arabico عزيز, uti Bochartus jam animadvertit in *Canaän* L. II. c. VIII. p. 732, qui alterum nomen *Μόνιμος* explicat ex radice נעם, *suavem*, *amabilem*, *mollem esse*, et Mercurium ita dictum esse autumat a suavitate et blanditie sermonis, etsi, quod miror, non animadvertisse videtur, Monimos esse posse participium Arabicum Sp. IV hujus verbi, مُنْعِم, *benefacta*, *commoda largiens*, *laetitiae dator*. Aptum profecto Mercurio nomen, generis humani ad meliorem et cultiorem vivendi rationem duci et optimarum artium auctori, qualis Taautus ille Phoenicum et Aegyptiorum nobis depingitur. Triadi isti Edessenae ex adverso respondet Phoenicia in Sanchoniathonis fragmentis, l. l. p. 38 C, quae nobis sistunt Astartem, Jovem Demaruntem et Adodum Deorum Regem orbi terrarum imperantes. Graeca haec sunt *Ἀστάρτη δὲ ἡ μεγίστη, καὶ Ζεὺς Δημαροῦς, καὶ Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν, ἐβασίλευον τῆς χώρας Κρόνου γνώμῃ*, in quibus Philonem vocem הארץ, quam Sanchoniathon de orbe posuerat, male de Phoenice sumsisse existimo. Jam quod ad singulas illius triadis personas attinet, Astarte ex numinis *ἀρσενόθηλυς* natura eadem est ac Sol Edessenus, Adodus autem cum Monimo, Jupiter Demarus cum Azizo comparandus est; quod ipsa nominum ratio ostendere videtur. Etenim Adodus etsi haud inepte a nonnullis comparatus sit cum Adado, numine solari Assyriorum, quod Macrobius memorat *Saturn.* L. I. c. 23, et *Unum* significare perhibet, vel cum הדד Syrorum, cujus in variis nominibus

 pro-

propriis superstitis potestatem et originem ignoro; etsi hoc sane speciosum sit, malim tamen Hebraicis literis חֲרוֹת scribere et derivare a חרה, *laetum esse*, ut illius sit Infin. in Pihhel Hebraicus, et pp. notans *exhilarationem*, *laetitiae et felicitatis creationem*, in abstracto idem sit, quod concretum Μόνιμος, مُنْعِم. Pari ratione Δημαροῦς, quod nobis videtur Arabicum دَمَار, *interitus*, *exitium*, est nomen abstractum Martis, ejus vim depingens noxiam et infestam atque adeo bene conspirans cum ejusdem nomine concreto Ἄζιζος, *durus*, *vehemens*, *crudelis*. Ex quibus omnibus inter se comparatis hoc probabiliter efficitur, ut apud Edessenos Solem, sic apud Phoenices Lunam, apud Cyprios Uraniam, hac in religione respondere naturae principio omnia creanti, ordinanti, tuenti, sed mutanti etiam et delenti; et ad istam duplicem Numinis indolem significandam hinc datum ipsi esse assessorem, genium omnis boni et laeti auctorem, illinc daemonem interitum rebus creatis afferentem. Videant religionis Indicae studiosi utrum haec cohaereant cum Triade, sive Trimurti, Indorum, in qua Brahma Birma, creator, Schiwa, sive Mahadewa, numen destruens, et Wischnu, numen sustinens et instaurans, conjuncti sunt. Sed utcumque haec explicentur, de hoc nulli dubitamus, Deum illum ἀρσενόθηλυν, i. e. Baäl-Astarte, cum illius indoles, nunc creantis, nunc delentis, partim lenis et placida, partim sacra et immitis, haberetur, diversissimis sacris et sibi invicem oppositis cultum fuisse. Ex quo perspicitur, cur idem numen, quod apud Phoenices et Carthaginenses humanis sacrificiis placari solebat, simul, ut omnium bonorum auctor et dator, apud Poenos בעל חמלא, *dominus clementiae*, apud Cyprios, ut Munterus post Meursium ex Hesychio notavit, ἐλεήμων, apud Babylonios denique, quod idem Hesychius de Junone scribit, Ἄδα, i. e. חֶדָה, *voluptas*, vel *laeta*, appellaretur, vel, ut rerum ordinator, הַמַּעֲרָכָה, i. e. *dispositio*. Sic enim explicandum arbitror nomen Deae Chaldaicae Ὁμορῶκα, quam Berosus, loco in superiore Diatribe p. 9 jam allegato, alias Θάλαθ, i. e. חִלַת, appellari scribit. Quo pertinere etiam conjicio Veneris, vel Lunae, et Mercurii in nonnullis templis conjunctionem, ut apud Halicarnassenses (Cf. Vitruv. L. II. c. 8) et imprimis in sacris Aegyptiis. Cf. Creuzerus *Symb. u. Mythol.* T. II. p. 326 sqq., qui ex sententia Plutarchi *de facie in orbe lunae*, p. 913 B, et *de Iside et Osiride*, p. 367 D, Hermen eo in casu ut genium solarem sumendum esse docet. In his, uti vides, malo et inimico numinis assessore neglecto, solius boni ratio habetur. Quodsi jam talibus in sacris Hermes, Lunae adjunctus, ut

so-

solare numen considerandus sit, nullam amplius caussam video, cur Deum solarem Adadum, cui Macrobius l. l. Deum Atergatin, in antiquissimis sacris ab Astarte haud diversam (Creuzer l. l. T. II. p. 65) sociam attribuit, ab Adodo Sanchoniathonis distinguamus, modo illud concedatur, auctorem, ex quo sua hausit Macrobius, nomen Dei quod a חדה, *laetari* derivandum erat, male a Syriaco חד, *unus*, repetivisse.

Haec fere sunt, quae nobis in praesenti adjicienda videbantur ad eos locos Diatribes nostrae Punicae prioris, ubi de praecipua Phoenicum religione disputatum est; quam commentationem cum illis, quae, et statim ante, et superius ad Inscriptionem Aegyptiacam scripsimus, a lectoribus meis diligenter componi et comparari velim. Sic enim futurum arbitror, ut ipsis de vera harum superstitionum natura, indole et nexu certius constet; nec amplius dubitent, vel de iis Inscriptionum Humbertianarum locis, ubi de Diis agitur, quorum veram lectionem et interpretationem scire nostra maxime interest, vel de istorum monumentorum vetustate, quam tamen antequam huic libro tertio scriptionis nostrae finem imponamus, nonnullis adhuc argumentis firmandam censeo. Praecipuum illud est, quod ex lapidibus Romanae familiae Saturninae sepulcralibus ducimus, ab Humbertio circa eadem loca repertis, in quibus ante aliquot annos cipporum votivorum congeriem, statuamque Astartes conicam, tum interjecto tempore lapidem sepulcralem Punicum inventum fuisse constat, quem pariter inter Tyriae Carthaginis reliquias referendum arbitror. Cum enim satis notum sit Romanos sepulcra sua perpetuo extra urbem habuisse, hinc primum effici potest coloniam Carthaginem non eam veteris oppidi partem esse complexam, ubi nunc Malga vicus, olim vero, ut probabiliter antehac effecimus, Megara sita fuere, sed recte monuisse Appianum Punicorum capite extremo, novae urbis conditores φυλάξασθαι τῆς πόλεως τὸ ἐπάρατον, nec Megara Byrsamque, quae Scipio Aemilianus consecraverat, aedificiis frequentavisse. Contra Carthaginensium sepulcra intra moenia fuisse, videtur colligi posse ex verbis Consulis Censorini ad legatos Poenorum apud Appianum c. 89 excidium Carthaginis deprecantes, et defunctos, urbe deleta, inferiis suis privatum iri querentes. Τάφοι μὲν, inquit, ἔσονται ἀκίνητοι. Quo promisso abstinere potuisset, si coemeteria extra muros sita et ab urbe aliquantum remota fuissent. Neque enim metuendum erat ne Romani, superstitionibus et religionibus addictissimi, nulla de caussa pacem defunctorum violarent: nisi intra pomoerium sepulcralia monumenta sita essent. Sic enim, nisi Romani imperatoris auctoritas intercederet, parum verosimile erat haec in urbis so-

solo aequandae strage reliquorum aedificiorum sortem esse effugitura. Quodsi quis eam objectionem hic urgeat, quam antea hoc ipso loco usi in diatribe Punica p. 60 excitavimus, nullam ejusmodi orationibus veterum, quippe a scriptore confictis, fidem habendam esse, fidenter respondemus ejusmodi criminationem ab isto loco alienam videri: nam personatum oratorem hic aliquid referre quod a suis et popularium suorum moribus alienum atque adeo ex Poenorum potius consuetudine repetitum, quam pro lubitu confictum sit. Quo hoc accedit quod ab eodem Appiano c. 38 narratur de Asdrubale Gisconis filio, qui in proditionis suspicionem inciderat et plebis vim et iram metuens in urbe latebras quaesiverat. Quod ubi plebi concionem habenti innotuit, *βοῆς καὶ θορύβου γενομένου, τὴν ἐκκλησίαν τινὲς καταλιπόντες, ἐζήτουν Ἀσδρούβαν, περιϊόντες· ὁ δ' ἔφθασε μὲν ἐς τὸν τοῦ πατρὸς τάφον καταφυγὼν, καὶ φαρμάκῳ διαχρησάμενος ἑαυτόν. οἱ δὲ κἀκεῖθεν αὐτοῦ τὸν νέκυν ἐξελόντες, καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀποτεμόντες, περιέφερον ἐπὶ δόρατος ἀνὰ τὴν πόλιν.* De industria haec ipsis Appiani verbis descripsi, ut lectores melius de ratione loci judicare possent, facile, ut videtur, explicandi, si Gisconis *μνημεῖον* in ipsa urbe fuit. Sic enim melius intelligitur, quomodo plebem ingruentem animadvertens se adhuc ad patris monumentum recipere potuerit, cujus rei in medio tumultu populari peragendae procul dubio ipsi facultas defuisset, si ipsi magna pars urbis transeunda et moenibus exeundum fuisset, antequam ad Gisconis sepulcrum perveniret. Quae cum ita sint admodum probabile videtur eum locum, ubi inscriptio Punica sepulcralis inter Romanas reperta est, ut extra novam, sic intra veterem, urbem fuisse. Quo fit ut eadem opera et inscriptionis summa vetustas probetur, et nostra de Tyriae Carthaginis vico illis in locis quaerendo, opinio confirmetur; nisi forte statuas, Poenos, qui Romanam Carthaginem incolebant, hac in re dominorum potius, quam majorum suorum, consuetudinem esse secutos. Quod tamen minus verosimile arbitror, cum inferiarum ritus, quaeque defunctorum sepulturam spectant omnia, plerumque cum religionibus populorum conjuncta sint, nec igitur veteri superstitione, ut inter Poenos factum novimus, conservata, facile mutentur. Haec obiter de lapidis istius sepulcralis antiquitate disputanda judicavi, etsi illa propter insignem Punicae historiae defectum non ita exponi et declarari posse existimem, ut nihil dubitationis supersit. Hoc vero, quod solos lapides votivos Humbertianos antea editos spectat, certissimum est; admitti non posse, ut statua Astartes conica, lapidesque votivi et sepulcra Romana ad unum idemque tempus referantur. Ergo ista Punicae religionis sedes in illis locis aut Romanis monumentis anterior fuit, aut posterior.

rior. Atqui hoc admodum est vero dissimile. Quis enim facile sibi persuadeat aut Romanos, novae Carthaginis colonos, disjectis eversisque majorum suorum sepulcris Deae Coelestis sacrarium superstrui sivisse, aut Poenos hunc maxime locum cadaveribus ossibusque inquinatum et foedatum sacello erigendo et consecrando destinasse? Quodsi igitur lapides votivi sepulcralibus Romanis sint antiquiores, aut ad Tyriam Carthaginem referri possent, aut ad novam. Sed hoc eam ob caussam probare nequeo, quod Punica Astartes religio ad seculum usque quintum eduravit, ut admodum improbabile sit toto illo tempore, a condita colonia ad annum Christi quadringentesimum, sacrarium Veneris Coelestis adeo neglectum fuisse ut in coemeterium mutaretur. Quapropter siquis pertinaciter contendat lapides Humbertianos recentioris Carthaginis esse reliquias, necessario ipsi statuendum est coemeterium illud seculi quinti initiis esse recentius, et demonstrandum Saturninorum familiam eo tempore adhuc superfuisse. Hoc enim si quis probet et ex ipsis inscriptionibus ostendat, illas Christianorum potius hominum esse videri, quam aliorum: errorem meum ipse confitear et in contrariam sententiam concedam. Nihil enim magis in istorum hominum ingenium quadrat, quam ut in Regis Josiae imitationem, vallem Hinnom, Molocho et Baäli sacram, ossibus defunctorum inquinantis, templum et aream gentilium Diis dicatam in coemeterium mutaverint. Novimus hoc ipsum, Prospero Aquitanico teste, celeberrimo Veneris Uraniae templo Carthaginensi accidisse. Ne tamen illud ad sepulcrum, de quo nunc verba fecimus, quisquam pertinere arbitretur, observandum censemus, novae Carthaginis Uraniam templum ingens in ipsa urbe habuisse, idque litori proximum fuisse videri, cum a Salinis Coelestis Salinensis Carthaginis appelletur in Ulpiani *Fragmm.* Tit. XXII. n. 6. Contra sacrarium illud Malgae in mediis terris situm fuit, et ut antea diximus, intra veteris potius, quam novae Carthaginis, pomoeria jacuit.

LIBER

LIBER QUARTUS.

EXPLICATIO NUMMORUM PHOENICIORUM ET HASMONÆORUM, ITEM LAPIDUM PRETIOSORUM, QUIBUS LITERAE PHOENICIAE INSULPTAE SUNT.

Absolutis omnibus, quae inscriptiones lapidibus incisas, sive antea editas et tentatas, sive hac demum opportunitate in lucem publicam productas, spectant, ad minora monumenta explicanda pergimus, ad aliquot nempe Phoenicum et Afrorum, item Hasmonaeorum nummos, quibus adjiciemus sigilli Musei Regii et jaspidis Munteriani, literis Punicis insculptorum, interpretationem. Initium faciemus a nummis Mionneti, cum tractationis ordinem tenentes, quam illius tabulae offerunt, et conjecturarum etiam a Gesenio in libri Mionnetiani censura (*Hall. Lit. Zeit.* Marz 1825. n. 63 sq.) propositarum rationem habentes, quatenus vel Diatriben nostram priorem, vel praesentem disputationem, spectant. E nummis igitur Hispanicis nonnulla in Diatribe p. 40 attigimus, a Mionneto in *Supplem.* T. I. pl. VIII memoratos n. 7. 12. 13, easque צעך, *Zeugis*, et מצעכנן, *Zeugitanorum*, legimus: quod Gesenius reprehendens pro priore בעלי, vel בעלת, pronuntiandum existimat, et in n. 12 et 13 quaerit minus accuratas delineationes verborum מבעל גדר, atque adeo illos Gaditanis adscribit, adjecitque a se comparata esse nonnulla Musei Dresdani exempla, in quibus earum literarum, vel certiora, vel obscuriora, vestigia reperiantur. Qua de re etsi nobis, qui ista oculis nostris non usurpavimus, judicare non licet, dubitamus tamen vehementer an Gesenio hac in re adstipulandum sit. Nam primum nullus Gaditanorum nummus, e multis qui supersunt, exstat illis similis de quibus controversia est, nullus in quo capiti Herculis pelle leonina tecto, vel capiti imberbi, quae in nummis Phoeniciis hujus urbis solemnia sunt, caput virile nudum et barbatum cum sceptro obliquo, aut Cereris, spicarum corona, inauribus et monili ornatae, substituatur, nullus, in quo delphinis aliorumve piscium et tridentis loco, quae in plerisque adsunt, equus expressus sit, quin ad hoc

hoc usque tempus nulla reperta est moneta Gadibus sub Augusti, vel Agrippae, auspiciis cusa, quae literis Phoeniciis insignis foret. Nec sane aliqua caussa est cur Gesenio, nummos istos Dresdanos cum Mionnetianis conferenti, multum fidei habeamus, negligentius quam par est his in rebus agenti. Quis enim jure comparret nummum superius laudatum n. 7, a nobis צעך, a Gesenio בעלי vel בעלת lectum, cum nummo 4 Gaditanorum apud Bayerum *del Alfabeto y lingua de los Fenices* p. 373, quocum nec emblemata communia habet, nec ullas literas nisi duas priores vocum בעלי הגדר? aut quis adstipuletur umquam Gesenio in nummo septimo legenti בעלי, aut בעלת, *domini* vel *dominae*, etiamsi vox deficiat, quacum ista construantur? Ergo multum abest ut Virum clarissimum hic verum vidisse existimemus, etsi haud gravate fateamur nos quoque probabilem nummi explicationem nondum reperisse, quod nobis tacentibus jam colligi poterat ex aliorum interpretatione nummorum, a nobis Zeugitanae adscriptorum supra p. 26, in quibus nomen illud ציען legitur et literae Tsade longe diversa forma est.

Transeamus ad Siciliae et adjacentium insularum nummos, quorum duos a Mionneto pl. XX. n. 10 et 12 editos ad *Ennam* retulimus (*Diatr. Punica* p. 53), inscriptionem Phoeniciam efferentes אנא vel אנת. Gesenius istam sententiam improbat et mediam literam Jod esse contendens, legit איא et אית et posterius forte אִית pronuntiandum esse dicit, sive illud sit synonymum τῷ איים, *insulae, litora*, sive ex permutatione gutturalium componatur cum עִית, *tumuli, rudera.* Nos quidem brevitatis caussa argumenta, quibus nostram opinionem antea probavimus, hic silentio praeteribimus, a lectoribus nostris flagitantes ut locum istum dissertationis nostrae diligenter relegant; hoc vero satis mirari non possumus censorem hic literam Jod et vocem אית praetulisse, quarum alteram idoneis exemplis probare, alteram geographicis, vel historicis, argumentis explicare nequit; cum e contrario אנא, vel אנת egregie respondeat Proserpinae capiti in nummis istis expresso, et potestas literae mediae firmata sit ex comparatione similis figurae in extrema voce לצדנן, in nonnullis Sidoniorum nummis et in Inscriptione Borgiana occurrentis. Nummum vero undecimum Mionneti, qui procul dubio iisdem auctoribus debetur, de industria in Diatribe priore non attigimus, cum illius rationem minus intelligeremus, literaque media nobis haud satis accurate expressa videretur. In eadem adhuc sententia persistimus, nec videmus, quo jure Gesenius hanc quoque Jod esse existimaverit. Nam aut fallor, aut cum isto charactere nullam, cum

He liberius exarata magnam affinitatem habet. Quodsi tamen Vir Clarissimus umquam eo perveniat ut hanc literam caeterasque, quas memoravimus, potestatem τῆς Jod habere demonstret, habemus profecto aliquid quo illius de vera nummi interpretatione dubitationem sublevemus. Quippe scriptio איא, vel אית, optime quadraret in Ocam, vel Aeam, Africanam urbem, quae postea Tripolis appellari coepit, de qua vide auctores laudatos apud Bochartum in *Canaän* L. I. c. 25. p. 479 sq., aliam de oppidi nomine conjecturam proponentem. Quamvis, ut verum fatear, ut quadriga Cyrenacorum et Tripolitanorum equis curribusque deditissimorum optimum emblema est, ita Proserpinae forma et tota fabrica Siciliam potius, quam Africam, spectare videtur. Utinam vero aeque facilem alius inscriptionis monetariae explicationem reperire possemus, quam in Tabula sua XX. n. 19 explicuit Mionnetus, nos vero Tab. IV. n. 13 repetivimus! Literae ipsae satis manifestae sunt et his Hebraicis respondent מחשבם, quorsum vero referendae sint non aeque apparet. Equidem verosimillimum arbitror, ut vel מְחַשְׁבָם, vel מַחְשְׁבָם, i. e. *Chaschbensium*, pronuntientur, ut nomen urbis חָשָׁב, vel חֲשַׁב fuerit. At inter Siculas nullam reperies, cujus nomen Punicum illud exprimat. Cum vero illud חשב, graviore aspiratione, ut vulgo fit, neglecta, Graecis Romanisve *Asp* sonare potuerit, forsitan haud inepte conferas urbis agri Carthaginensis, promontorio Hermaeo vicinae, vel alius etiam provinciae Tarraconensis Hispanicae, vel denique portus Syrtici, nomen *Aspis*. Haud sane ignoro veteres, quorum testimonia collegit Cellarius in *Geogr. Antiq.* T. II. p. 881 sq., certatim tradere, Aspida Africanam ab Agathocle, Syracusarum tyranno, cum Poenorum agrum bello vastaret, conditam et a collis specie, quae oppido locum praebuit, sic appellatam, a Romanis, nomen sua lingua reddentibus, Clupea, vel Clupeam, vocari. Quae magno consensu narrata, quamvis non plane repudiem, admodum caute tamen et prudenter accipienda censeo. Quippe Agathoclem hanc urbem intra paucorum mensium spatium, quos in Africa exegit, et in medio armorum strepitu, exstruxisse et colonis frequentavisse, quis umquam sibi persuadeat? Fac vero Agathoclem fundamenta coloniae posuisse, confecto autem bello Carthaginenses illius institutum perfecisse: num idcirco nomen Graecum urbi, hosti honorem, servassent? Hae merae profecto Graeculorum nugae sunt. Res sic explicanda. Siciliae tyrannus cum ad oppidum Carthaginense *Asb* vel *Asab* appulisset, idque egregium belli ὁρμητήριον esse existimaret, locum operibus communivit. Hinc condi-

ditor habitus et Graecum urbis nomini etymon tributum est, quod deinceps Romanis, perpetuis Graecorum imitatoribus et interpretibus, ansam dedit vocis Clupeae comminiscendae. Si quis enim in illo Clupea Graecae origini et significationi vocis Aspis praesidium quaerat, is aeque prudenter agat, ac si ex commento Romanorum urbem suam primum *Valentiam*, deinceps Graece Ῥώμην appellatam esse fabulantium, nomen Romae Graecum esse et *robur* significare contendat. Nec illud nihili est ad nostram sententiam confirmandam, quod aliae, ut ante dixi, urbes Aspides exstiterint in Hispania et regione Syrtica, etiam ipsae fortasse a Poenis conditae: item quod forma חשב aptum in linguis Semiticis etymon habeat, sive alio ex significatu repetitum, sive a loco urbis confragoso et aspero, a quo etiam Hesbonem (חֶשְׁבּוֹן) Amoraeorum quondam caput, dictum fuisse conjicio, in colle calcareis et glareosis campis cincta situm, ut ex Burckhardto discimus *Trav. in Syria* p. 365. Est enim apud Arabes خَشِبٌ, *asper*, et ipsa *asperitas*, et أَخْشَبُ, *mons asper* et *salebrosus*, unde duo montes apud Meccam appellantur اخشبان, et fem. خشباء est nomen alius montis in via peregrinatorum Meccanorum, uti خَشَبٌ, خُشُبٌ et خَشِبٌ, sunt nomina aliorum locorum Arabiae, a similibus forte caussis ducta. Habet igitur illa explicatio haud pauca quibus se commendet, nec de illa multum dubitarem, nisi in alio nummo Panormitano, nondum, quod sciam, recte explicato, eadem protome equi et palma cum inscriptione minus accurate expressa, et ut mihi videtur legenda עָם הַמַּחֲנֹת, *populus castrorum*, vel *navalium*, (in qua alias He articulus deficit) ab una, caput juvenile Herculis, leonis pelle tectum, ab altera parte, conspicerentur, quae in hoc quoque nummo exstant. Conf. Mionnet. l. l. n. 18, T. I. p. 269, n. 496, nostra Tab. IV. n. 14. Quo fit ut nisi de ipsa Panormo, at saltem de oppido vicino, religionumque similitudine Panormitanis conjuncto, quam de Africana urbe, cogitare malis. Ejusmodi vero oppidi nomen aliud inscriptionis monetariae exemplum offert a Dutensio, ut ipse dicit, accuratissime delineatum, a nobis vero in Tab. IV. n. 15 ex Koppio T. II. p. 191 repetitum, qui epigraphen his literis Hebraicis exprimit מחמרם. Quod ut impense probamus (litera enim Mem media, etsi a reliquis duabus discrepat, certissima est et recurrit in extrema voce לצדנם nummi Sidoniorum XVIII apud Koppium), ita miramur nec ipsi, nec aliis, adhuc in mentem venisse literas istas probabiliter pronuntiari posse מְהַמְּרִם, vel מִחִמֵּרִם, *Himerensium*, ut moneta ista cusa sit in celeberrima Si-

 ci-

ciliae urbe Himera, Solunti et Panormo Punicis urbibus vicina. Constat quidem Himeram Graecam urbem fuisse, atque eam ob caussam mirum videri queat eam Punicam monetam habuisse; at ista difficultas duplici ratione tolli potest. Nam primum ex Thucydidis testimonio L. VI. c. 2 novimus Phoenices, sive Carthaginenses, omnia Siciliae litora tenuisse, antequam Graeci eo colonias misissent, quibus magna parte agri litorumque cessere, intra Panormum, Soluntà et Motyam se continentes. Ergo admodum verosimile est jam ante Himeram Zanclaeorum colonis frequentatam, urbem ibi fuisse Phoeniciam, praesertim cum in hac Siciliae parte primaria esset Punici imperii sedes, et thermarum salubritas advenas facile ad locum incolis frequentandum alliceret. Has autem thermas antiquissimis temporibus a Phoenicibus esse repertas demonstrare videtur fabula Graecorum a Diodoro L. IV. c. 23, T. I. p. 268 memorata, nymphas Herculi Siciliam peragranti calidas Himerae aquas emisisse refocillandi corporis gratia. Hercules enim procul dubio hic designatur Tyrius, cum Graeco saepe permixtus, cujus longinqua per orbem occidentalem itinera obscuram quandam delineationem continent expeditionum a Phoenicibus susceptarum, ex eo explicandam, quod Tyrii Melcarthi sui religionem ubique per colonias circumferrent. Cf. Creuzer *Symb. u. Mythol.* T. II. p. 211. Heeren. *Ideën über die Polit.* etc. T. I. P. II. p. 32. ed. IV. Praeterea nomen urbis Ἱμέρα Graecam quidem speciem habet, sed revera Graecum non est, nisi forte, quod reliqui Graeci masculino genere extulerunt Ἵμερος, Siculi in femininum verterint, ut locus a pulcro situ nomen traxerit; quamquam eo significatu nomen potius adjectivum exspectares ἱμερόεσσα, ἱμερόεσσα, vel ἱμερτή. Ergo donec meliora educear, cum Bocharto faciam l. l. Lib. I. c. 18, p. 315, cujus opinio hoc nummo jam egregie confirmata est, et nomen Himerae, a thermarum vicinia repetitum, derivem a verbo חמר, *incalescere*, *effervescere*, *ebullire*, quamquam certo definire non ausim, quaenam hic forma lateat nominis actionis, חֶמֶר, חֵמֶר, an alia. Ex hac igitur opinione moneta ista medio seculo septimo ante Chr. natum antiquior sit, cum Himeram Graecam, quod annos ducentos et quadraginta steterat, anno ante aeram nostram 409 solo aequarint Poeni. Verosimilior tamen est altera explicandi ratio, ut nummus diruta Himera sit recentior et oppido Thermis debeatur, quod biennio post ad ipsas aquas calidas Himerenses Poeni condidere et Afris colonis frequentavere, ut Diodorus Siculus L. XIII. c. 79, T. I. p. 605 affirmat. Etenim admodum probabile est Θέρμα tantum versionem esse Punici nominis; hoc autem idem fuisse quod

ante

ante coloniam a Zancleis deductam urbs Phoenicia gesserat, nempe חמר, vel aliud non multum dissimile. Argumenta quibus lectionem nummi duplicem, Mionnetianam et Dutensianam, commode tuearis et explices, lectoribus proposui: ipse, cum inter ectypa sulfurea Musei Leydensis illius exempla desiderentur, utri calculum adjiciam nescio, etsi illum tanto lubentius Himerae attribuam, quanto certius sit Schin et Mem facillime confundi, nec non Resch, ut ante probavimus, sculptoris, ut videtur, vitio, inversa in sinistram cauda, formam τῆς Beth induere.

De nummis Siculis, quatenus in praesenti quidem illos attingere juvat, vidimus. Accedamus ad notos illos Melitenses, sive ut plerique existimant, Gauletanos, de quibus in Diatribe p. 29 sq. conjecturas nonnullas proposueram, quasque in praesenti dissertatione p. 46 obiter attigi, eosdem ex inscriptionis Melitensis comparatione ad Meliten referens; at, quae praeterea hac de re dicenda erant, in hanc de nummis Phoeniciis investigationem servans, cum ad veram illius monumenti lectionem probandam minus pertinere et disputationis cursum potius impedire, quam explicare, viderentur. Ut ea, quae nunc in medium prolaturus sum, facilius intelligantur, lectoribus breviter in memoriam revocandum est Koppium istorum nummorum epigraphen אֻנָן, vel אֻנְנָ, legisse idque derivasse ab 'אנ, *navis*, eamque lectionem variis argumentis grammaticis a me impugnatam, defendisse Gesenium in crisi operis Mionnetiani, ex collatione vocis הֵרֹן, *graviditas*, alias הֵרָיוֹן. Sic quoque pro אֻנְיוֹן contractius אנון dici potuisse. Quam explicationem equidem lubens admittam, praesertim cum litera Waw, quod Gesenius ipse annotare neglexit, in unico vocis הרון exemplo, Genes. c. III. vs. 16, deficiat; de qua omissione utrum in forma ejusmodi contracta licita foret, alias dubitari posset. At quamvis grammatica difficultas sublata sit, Koppiana tamen interpretatio nihilo secius falsa est. Nititur enim Viri doctissimi opinione de Graeca origine vocis Γαῦλος, i. e. *navis*, ut ipse putat, ex Phoenicia אנן redditae; quae, uti statim apparebit, facillime everti poterit. Quippe duplex apud veteres hujus nominis scriptio est, Γαῦδος et Γαῦλος, quarum haec quidem vulgo obtinet, illa vero servata est apud Strabonem L. I. p. 44, L. VI. p. 277 et L. VII. p. 299, quorum locorum primo et tertio Callimachum laudat Gaudum insulam Calypsus esse putantem, ut forte huic etiam auctori ista scriptio placuerit. Ne quis vero arbitretur Gaulos potius in Gaudos, quam hoc in illud mutatum fuisse, primum observandum est, illud Gaudos etiam

latere in Arabico غودش quo nomine Scherif al Edrisi p. 197 insulam appellat: tum hodieque, ut Vassallius in Lexico Melitensi p. 323, docet, *Gawdesch* ab inquilinis vocari. Cujus vocis cum nulla in Arabum lingua significatio sit, hos eam non creasse, sed olim usurpatam reperisse, apparet, nec fortuitam inter Γαῦλος, غودش et *Gawdesch* esse convenientiam, sed ab antiqua appellatione Phoenicia ortam. Vera scriptio fuit עודש, quae derivari poterit ab Hebraico עדש, *lens*, φακός, ut per ellipsin vocis אי *insula*, sit νῆσος φακόεσσα, φακοῦσσα, quemadmodum νῆσοι φακοῦσσαι, nescio quae, memorantur a Stephano in voce Φακοῦσσα, sive, et illae, et Gaudos, a frequenti lentium cultura dictae sint, sive a forma insulae lenticulari, qua ratione, ut alia taceam, Sardinia olim Ἰχνοῦσα et Σανδαλιῶτις, et, si Hesychio fides, Σανδαλώτη appellata est, ab humani vestigii similitudine. Quod nisi ergo nulla plane de caussa statuas, hanc insulam duplex nomen habuisse, alterum אנן, alterum עודש, illud potius, quacumque tandem ratione scribendum sit, ad Meliten referes, hoc ad Gaudon, cujus nomen eadem ratione in *Gaulos* corruptum sit, qua Ὀδυσσεύς in *Ulysses*. — Pauca addenda restant de reliquis nummis, quos Mionnetus inter Siculos recensuit. In his n. 53, pl. XX, Koppius Héracleae Siciliae attribuerat, epigraphen pronuntians רם מלקרת, *promontorium Herculis*. Quod merito probavit et verosimillimum esse judicavit Gesenius. Cur vero idem מלקרת efferendum esse censuerit, plane non assequor. Fatemur hanc scriptionem Hebraismo esse convenientiorem; Poenis vero placuisse מלקרת, vel מלקרת, ex מלך קרת, vel מלך קרת contractum, satis superque declarant Graecae nominis scribendi rationes Μελίκαρθος et Μελικέρτης, item nomen Hamilcaris. Idem confirmat pronuntiatio קרת, ubique in nominibus propriis repetita, ut in Carthago, Carthada et Καρχηδών, et Carteja, quod equidem ex קרת עיה, *urbs tumuli*, sive *collis*, ortum putem, quia monti Calpae proxima erat. Nec sane ista pronuntiatio ipsi Gesenio displicuit. Quamvis enim in Lexico v. קרת nomen Carthaginis קרת הדשת scripserit, in censura tamen operis Mionnetiani meam conjecturam p. 58 Diatribes propositam, ex qua in nummo Mionneti *Supplem*. T. I. pl. VIII. n. 49, בקת הדשת, pro בקרת חדשת scriptum sit, minime repudiandum putat. Ad sententiam illam roborandam illud addo, quod tum neglexeram, בת Hebraicum, quod vulgo ex בנת, pro בנית, contractum opinantur, mihi eadem ratione pro ברת, ad analogiam vocis Syriacae ܒܪܬܐ, scriptum esse vi-

de-

deri; tum hoc monendum arbitror Gesenium l. l. censurae, haud satis recte retulisse de argumento, a me ex voce Syriaca ܟܐܡܠ, *nempe*, repetito. Diximus enim illud contractum esse ex ܟܐܡܪܬ, *quasi dicas*, non ut censor habet: *sicut dixi*, hoc enim foret ܟܐܡܪܬ. Neque apta comparatio est Chaldaici כְּנְמָא, *sic*, *hac ratione*, quod ex Gesenii sententia ortum sit ex כנימר, vel כנאמר, i. e. *sicut diximus*. Nam primum longe alia res est, si Resch in extrema voce, quam si scheva habens ante Tau schevatum, abjiciatur, dein etsi Talmudici Resch deleant in verbo אמר, in vero et antiquissimo Chaldaismo hoc numquam fit, neque adeo verosimile est Ezrae obversatam esse ejusmodi licentiam כנמא scribenti, quae forma, ut arbitror, potius emphatica habenda est, et ducta a נאם, Inf. verbi נאם, *dicere*. Comparari poterit loquendi ratio in precibus frequentata, quam Buxtorfius in verbo נאם laudavit: יהי עלינו כנאמך, *sit nobis secundum dictum tuum*. Qua in re ut illum errasse putamus, sic libenter ipsi adstipulamur nostram nummi ejusdem tabulae n. 48 explicationem carpenti et potius קרת חדשת, quam תרתעסת in eo legendum esse contendenti.

Pergimus ad nummos Ciliciae Tabula Mionnetiana XXII memoratos, quorum alios nosmetipsi in praesenti dissertatione explicuimus, alios Koppius attigit, alios Gesenius. Nunc videndum de illis maxime, qui Tarso adscribi solent, in quorum adversa parte cernitur Jovis sedentis species, cum inscriptione בעל תרז (vel תרץ), *Baäl Taraz*, sive *Jupiter Tarsensis*, ut a compluribus lectum est, in aversa est leo taurum discerpens, muris quoque turribusque urbis munitae nonnumquam additis, cum variis epigraphis: nunc enim quatuor tantum literae adjectae sunt, (Tab. IV. n. 16 Mionnet. pl. XXII. 29, coll. T. III. p. 667, n. 670 sq.), nunc sex (ibid. n. 17, Kopp. T. II. p. 243), nunc novemdecim (ibid. n. 18, Mionnet. l. l. n. 35, coll. T. III. p. 668, n. 676) quorum quatuor priores eaedem sunt, quae alias in hoc nummo leguntur solae, quasque Bellermanno, *Progr.* I. p. 13 interpretari placuit מזרך, *diadema tuum*, illam vocem מזר cum נזר comparanti et ab eo derivanti. At unusquisque videt hic aliquid requiri, quod, et nude positum, et cum sequentibus duabus literis, quas Samech et Mem esse recte existimavit Koppius, conjunctum, apte explicari possit. Neutrum vero praestabit illud מזרך, de quo etiam vehementer dubito an hoc sensu exstiterit. Quae enim afferuntur et cum eo comparantur מזרים et מזרות, horum alterum ab alia radice זרה descendit, et ventos bo-

rea-

reales, nubes dissipantes, designat, alterum videtur scriptum esse pro מַזָּלוֹת, *Zodiaci signa*. Malim equidem tertiam literam Daleth habere et מִזְדָּךְ legere, quae vox commode derivari poterit a verbo זכך, Hebr. et Ch. *purus*, *sincerus*, *justus*, *pius fuit*, quod in Sp. VIII apud Arabes haberet formam إِزْدَكَّ, et in partic. مُزْدَكّ. Chaldaei vel Rabbini speciem Ithpehel huic respondentem plenius efferre solent אזדכך, eamque, ut par est, passivam faciunt primae. Sic igitur, ex dialectorum analogia, מִזְדָּךְ illud significare poterit, *quod purificatum est et expiatum*, vel, quod malim, *piaculum*, si Infinitivum esse putes, Aramaeorum Arabumque veterum more formatum. Tum haud inepte ipsi adjuncta fuerit altera vox bilitera סם, pro pleniore סים. Nam apud Syros ܣܐܡܐ, uti apud Persas سيم, *argentum* est, atque eam ob caussam מִזְדָּךְ סם, *piaculum argenti* significabit: i. e. nummum argenteum (quales omnes sunt his literis et emblematibus insignes) Baäli Taraz piaculi caussa dicatum, sive ut beneficium Numinis agnoscerent, sive ut iram illius averruncarentur. Quamquam adhuc subdubito utrum alia vocis מזדך explicatio praeferenda sit, grammatica ratione multum, sensu leviter discrepans. Cum enim constet in dialectis variari in Zain et Tsade, et ܙܕܩ efferre Syros, quod reliqui צדק pronuntiant, item saepenumero Caph [illegible] Koph substitui, cujus permutationis luculentissimum exemplum est in צחק et ضحك, *risit*, nemo sane infitiabitur, quin זדך etiam pro זדק et צדק dici potuerit. Hoc vero in Sp. II notat *stipem*, *eleëmosynam*, *pecuniam Deo sacram largiri:* ejusque participium passivum מְזַדָּךְ *ipsam* igitur designabit *pecuniam Deo dicatam:* et tota inscriptio מְזַדָּךְ סם *stipem argenteam* significabit. Jam ex utravis interpretatione hoc constat sine detrimento sententiae omitti potuisse illud סם, *argentum*, quod, ut ante dixi, in nonnullis exemplis desideratur. Nunc denique videndum est de illa hujus monetae specie, in qua novemdecim literae expressae sunt a voce מזדך incipientes. Has igitur, in quibus controversa figura nulla est, sic legendas et distinguendas arbitror:

מִזְדָּךְ (vel מְזַדָּךְ) זַךְ עַל עֲבָדִן (vel עֲבָדִן) בְּרַת וְחֶלֶד

Jam si מזדך derivetur a זכך, sententia mihi haec esse videtur: *Piaculum sincerum*, *a servis solvendum*, *est felicitas et beatitudo perennis*, vel simpliciter *longa vita*, i. e. *Hoc demum mortalibus beatam vitae diuturnae conditionem affert*, *quod numen debitis sacrificiis expiatoriis sibi conciliari student*. Singula Hebraismi

mi formam et rationem accurate exprimunt. Quippe זַךְ est adjectivum *purus*, *justus* et *pius* a זכך, tum עַל notam habet significationem officii et debiti alicui impositi: dein עבדן hic sumitur sensu apud Arabes imprimis in عِبَاد frequentato, de hominibus universe; tum נֵרוֹת pp. sunt *lumina*, hic vero *felicitatis emblemata*, more apud Hebraeos recepto, qui tamen hanc metaphoram intra singularem numerum נֵר circumscripserunt, etsi proprio lucernae usu pluralem נֵרוֹת frequentavere. Postrema vox חֶלֶד Hebraeis est *vitae duratio*, Arabibus خُلْد, *perennitas*, *vita perennis cum felicitate conjuncta.* Probabilior tamen et facilior videtur altera interpretatio, ut מְזֵּרֶךְ et עָבְדַן scribatur, et voces secundum eam lectionem sic reddantur: *eleëmosyna pia in religionis ministros felicitas* (est) *et beatitudo perennis*, i. e. *felicitatem dantibus affert.* Quod ex ipsa constructione imprimis commendatur: verbum quippe צרק, huic זרך respondens, apud Arabes componitur cum علي pers., cui eleëmosyna offertur, tam in Sp. II, quam in V; tum עָבְדָן apud Chaldaeos, ut عابدون apud Arabes, peculiari usu vocantur homines religiosi et divini cultus ministri. Hic igitur vel sacerdotes significantur, vel ἱερόδουλοι, quorum necessitatibus si subvenire et prospicere possis, hoc, uti Diis gratum et acceptum, in primaria felicitatis parte ponendum esse ista ῥῆσις demonstrat. Quae si recte conjeci, in nummorum istorum Ciliciae adscriptorum epigraphis nihil reperitur, quod singularem confirmet opinionem Geseuii, in censura saepius laudata propositam, horum plerosque cusos esse in honorem Alexandri Magni, urbes litorales Asiae Syriaeque peragrantis: emblema autem leonis et tauri, vel cervi, ab eo interfecti, fortasse referendum ad Macedonis apud Issum victoriam fugamque Persarum. Ingeniose hoc dictum est, at in re plane incerta equidem ignorantiam fateri, quam conjecturis fundamento destitutis indulgere malim: praesertim cum nondum constet an recte Ciliciae attribuatur hoc nummorum genus, et an בעל תרז revera Jovem Tarsensem designet. Quae inde augetur dubitatio, quod in eadem nummorum Ciliciae attributorum tabella alii etiam exstant, qui ad longe diversa loca pertinere videntur. In quibus primarius est n. 22, quem Koppius et Gesenius, recte, ut puto, ad Arcem Libani pertinere judicarunt. An Ciliciis annumerandi sint duo alii n. 23 et 24 (Tabula nostra IV. n. 19, 20), e quibus priorem, a Mionnoto negligenter delineatum, ex sulfureo illius ectypo exprimendum curavimus, definire nondum audemus. Literae tamen satis certae sunt, imprimis mediae,

T Resch,

Resch, Nun et Mem. Extrema, quae in n. 20 deëst, videtur esse ea Nun, cujus inversae speciem toties vidimus in Inscript. II Zeugitana; prima vero Lamed in n. 19 est haud dissimilis illi, quam exhibet inscriptio לצדנם nummi Sidoniorum Koppii XVII, in n. 20 non multum differt a Graeca. Jam si quaeras quid in voce לרנמן ex mea sententia lateat, primum ad Cossuraeorum nummos provoco, in quibus alii complures reperire sibi visi sunt קשרנם, recte vero primus omnium אי רנם, *insula victorum*, legisse videtur Koppius T. II. p. 196. Quamvis enim nominis caussam ignoro, illud certe est longe probabilius, quam Geseniana conjectura in censura Mionneti proposita, אי בנים, *insula filiorum*, i. e. colonorum. Hoc enim nomen cum aequo jure ad omnes insulas pertineret, quas coloniis frequentavere Phoenices, Cossurae a reliquis ejusdem naturae locis distinguendae inservire non poterat. Ex אי רנם vero si gentilitium ducatur, id varie formare licebit. Nam illud אי, prior pars nominis compositi, vel servabitur, vel omittetur; quemadmodum et בן־ימיני, et simplex ימיני, ducitur a בנימן. Porro terminatio pluralis numeri abjici poterit, vel retineri, ut sit רני et אי־רני, vel רנמי et אי־רנמי, ad normam בחרימי, a בחרים (quod pro בחרומי, I Chron. c. XI. vs. 33, et pro ברחמי II Sam. c. XXIII. vs. 31, reponendum est. Cf. Gesen. *Lehrgeb* p. 515) quin posterius maxime probatum fuisse conjicio, ne in plurali numero nomen gentilitium cum loci ipsius appellatione confunderetur. Ergo vocem in n. 23 et 24 obviam pronuntiare poteris לרנמן, et de incolis insulae אי רנם explicare, sive illa Cossura sit, de quo nondum satis constat, sive alia. Interim non infitiamur aliam superesse explicandi rationem, quae nummum Ciliciae vindicet. Est nempe in Ciliciae et Syriae confiniis urbs Nicopolis, quae si Stephano credas in v. Ἰσσός, eadem sit atque Issus, et ab Alexandri victoria sic dicta, vel diversa, si Straboni, L. XIV. p. 676, et Ptolemaeo fides. Ad nostram rem hoc perinde est, nec anquiremus utrum Graecum nomen ex Orientali, an Orientale ex Graeco ortum sit, sed hoc contendimus *Nicopolin* Hebraice dici posse עיר רנים, *urbs victorum*, dein qua lege אי in nomine gentilitio, eadem quoque עיר omitti potuisse; atque adeo לרנמן fortasse scriptum esse pro לעיר־רנמן, i. e. *Nicopolitanorum*. Hoc fortasse praeferent haud pauci, nec mihi quoque displicet: maxime cum nulli nummi supersint Cossuraeorum ejusmodi emblematibus insignes, et in nonnullis pone caput galeatum literae impressae cernantur, quas Mionnetus T. III. p. 666. n. *a*, תרז esse existimavit, quod argumentum etsi ad-

admodum infirmum est, donec certioribus indiciis probatum sit, nummos, qui inscriptionem בעל חרז gerant, Tarsi cusos esse, plus tamen favere videtur Nicopoli, quam Cossurae. Accedit quod nummus, Larandis, in Ciliciae confinio sitis, a nobis attributus p. 43 sq., caput haud dissimile eademque galeae specie ornatum gerat, quo nummus ille Cossurae, vel Nicopoli, attribuendus, insignis est.

Relicta Cilicia in Syriam Phoenicenque vicinam transeamus, cujus regionis nummos quam plurimos exhibet Mionnetus pl. XXIII et sqq., in his Tyriorum unum pl. XXII. n. 3, jam editum et explicatum a Barthelemyo *Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXX. p. 414, qui epigraphen illius admodum singularem לצר אם צדנם, *Tyri*, *matris Sidoniorum*, ab aemulatione inter duas urbes potentissimas et opulentissimas repetit, quarum origines densissimis vetustatis nebulis involutae et obscuratae essent. Longe diversam vero interpretandi viam nuper ingressus est Cl. Gesenius in egregio ad Jesaiam commentario c. XXIII. vs. 2, p. 725 sqq., reddi jubens: *von Tyrus einer Mutterstadt der Sidonier*, et contendens Sidonis et Sidoniorum nomen latius patuisse et ad omnes Canaänitas boreales pertinuisse, quos Phoenices appellavere Graeci. Hinc Tyrum simpliciter μητρόπολιν, i. e. *primariam urbem*, Phoenicum in isto nummo perhiberi. Ad haec primum observo, tum ambiguitatis tollendae caussa dicendum fuisse לצר אם בצדנם, plane uti in noto illo Laodicaeae nummo legimus ללארכא אם בכנען, et quemadmodum Abel urbs II Sam. c. XX. vs. 19 appellatur אם בישראל, *urbs primaria Israëlis*. Porro etsi minime negemus in Veteris Testamenti libris Sidonis et Sidoniorum appellationem de tota subinde gente Phoenicia usurpari, hoc tamen ad confirmandam Gesenii sententiam nullam plane vim habet. Hebraei quidem, fateor, καταχρηστικῶς civitatis antiquissimae et diuturno usu sibi cognitae nomen ad populum universum transtulerant. Sed quis tandem, qui didicerit, quantum in ejusmodi rebus exterorum consuetudo ab inquilinorum ratione differat, hinc efficere audeat idem ipsis etiam Phoenicibus placuisse? Hoc sane non minus absurdum et incongruum foret, quam s Graecorum nomen, quod Romani, et Ionum, quod Orientales, ab una tribu repetitum, omnibus Hellenibus attribuerunt, inter ipsos Graecos cum tota gente communicatum fuisse contenderes. Quae vero de Ethbaäle afferuntur, quem scriptor Libri I Regum c. XVI. vs. 31, Sidoniorum, i. e. Phoenicum, Menander vero apud Josephum *Archaeol.* L. VIII. c. 14. §. 2 accuratius Tyriorum Regem appellet, item de Salomone ab Hiramo Tyrio Sidonios lignorum fabros flagitante I Reg. c. V. vs. 20, id simpliciter ita solvi potest, ut Tyrus et Sidon ea tempestate uni eidemque prin-

 ci-

cipi paruerint; nisi hoc etiam Hebraici scriptoris negligentiae et *ἀκυρολογίᾳ* imputare malis, paullo ante memoratae. Quod denique omnium maximum est, si Phoenices semetipsos Sidonios vocassent, quis umquam credat Sidonis urbis cives eam epigraphen nummis impressuros fuisse, quam vulgo usurpant, nempe לצדנם, quae utrum ad gentem totam, an ad solam urbem pertineret statui et definiri non posset? Nec sane majoris momenti est illa objectio, versioni *Tyri matris Sidoniorum* historiam obsistere, cum Sidonii Tyriorum coloni non essent. Neque enim quaerimus, quid historia doceat, vel docere videatur, sed quid Tyrii sibi arrogaverint. Jam vero, allato Strabonis loco L. XVI. p. 756, dudum docuere Barthelemyus l. l. et Mignotius Dissert. sexta de Phoenicibus (*Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXIV. p. 300), Tyrum de principatu et antiquitate cum Sidone contendisse et controversiam inter eas urbes agitatam fuisse, utram Phoenicum metropolin dici oporteret. Et sane fatendum est istam rem propter summam vetustatem admodum obscuram et incertam videri. Quamvis enim vulgo apud Hebraeos, non minus quam Graecos scriptores, prior Sidonis quam Tyri est mentio, reperimus tamen in Sanchoniathonis fragmentis Tyri origines Hypsuranio Deorum antiquissimo adscriptas, Sidonis aut nullam mentionem esse factam, aut si in verbis, quae paullo post p. 35 B exstant, *χρόνοις δὲ ὕστερον πολλοῖς ἀπὸ τῆς Ὑψουρανίου γενεᾶς γενέσθαι Ἀγρέα καὶ Ἁλιέα — ἐξ ὧν κληθῆναι Ἀγρευτὰς καὶ Ἁλιεῖς*, si in his igitur צידנים, i. e. *ἁλιεῖς*, recte quaesivit Scaliger *Append. ad libr. de emend. temp.* p. 35, Sidonem Tyro longe juniorem haberi: tum, si Herodoto fides et Phoenicum sacerdotibus, templum Herculis apud Tyrios annis 2300 ante illius aetatem, i. e. 2750 a. C. n. conditum erat (L. II. c. 44), quin etiam, qua tempestate Israëlitae Palaestinam occupavere, Tyrum jam urbem munitam fuisse ex Josuae c. XIX. vs. 29 efficitur. Quae omnia si quis accurate perpendat et consideret, neutiquam mirabitur Tyrios commerciis, coloniis et opulentia superbientes, et vicinae urbis aemulatione ductos, eo arrogantiae processisse, ut Sidoniorum parentes semetipsos appellarent. Quod vero Gesenius existimat Tyrum id Principis auctoritate fecisse, cum saepissime in nummis *μητρόπολις* audiat, id non censuisset, si nummorum aeras annosque inter se studiose comparasset. Quippe omnes, in quibus ista verba לצר אם צדנם leguntur, Antiochi IV sunt, ejus caput diadematum gerentes, vel sine ulla temporis nota, vel addito anno 144 et 145 Seleucidarum, i. e. 168 et 167 a C. n. Cf. Mionnet. *Rec. de Méd.* T. V. p. 41, n. 355 sqq. Contra in Graecis nummorum inscriptionibus, sub Regum Macedonum auctoritate cusorum, Tyrus numquam tantum ho-

honorem sibi vindicare ausa est, verita scilicet ne rei notitia ad Principem delata, in nimiae arrogantiae suspicionem incideret. In his ergo, vel nullo titulo insignitur, vel Sidonis aemulae instar appellatur ἱερὰ καὶ ἄσυλος; at Tigrane rerum potito semetipsa vocavit ἱερὰν μητρόπολιν, sive quod sub novi Regis auspiciis se hoc impune laturam esse speraret, sive quod Tigranes eam hoc titulo condecorasset. Hunc enim a Phoenicibus maxime, quibus fortasse hac in re praeivere Tyrii, in Syriam, repudiatis Seleucidis de imperio contendentibus, vocatum fuisse constat. Utut est, certe nullus nummus, quod equidem sciam, cum ista epigrapha repertus est, eo quem Mionnetus l. l. p. 416, n. 538 exhibet, antiquior. Hic vero pertinet ad annum aerae Tyriae 48, i. e. a. C. n. 78, qui imperii Syriaci Tigranis sextus fuisse videtur. Horum igitur omnium argumentorum, quae hucusque protulimus, ea vis est, ut Barthelemyi sententiam vero proximam esse, et Tyrios revera hoc nummo indicare voluisse putemus, Sidonem suae urbis coloniam esse. Quae res tanto diligentius demonstranda et stabilienda erat, quanto major lux ex ista interpretatione redundat in alium Sidoniorum nummum admodum insignem, quem ante Mionnetum pl. XXIII. n. 7 ediderunt multi, a Koppio T. II. p. 198 enumerati, explicationibus suis tentarunt Pellerinus, Bayerus, O. G. Tychsenius, Bellermannus et nuperrime Koppius. Hic de decessorum suorum commentis, quae in illius libro, quam in meo, legi malim, accurate retulit, exhibuitque duos nummi typos, alterum Bayerianum e dissert. de lingua literisque Phoenicum Hispanica p. 339, coll. *Vindiciis nummorum Hebraeo-Samaritanorum* p. 56, alterum Pellerinianum ex libro illius *Recueil de Méd.* T. III. pl. CXIX. n. 25, in quo tamen literam Beth secundi vs. extremam paullo negligentius expressit doctissimus Palaeographus, ut potius Resch esse videatur. Ipse primus veram omnium literarum potestatem constituit, etsi justam et probabilem inscriptionis interpretationem non assequeretur. Quapropter cum quaestio non amplius palaeographica sit, sed philologica, characteres nummi Phoenicios, de quibus nulla controversia est, in tabula nostra quarta non exhibuimus, sed simpliciter ambas illius lectiones, literis Hebraicis expressas, hic subjecimus, continua serie descriptis, de quarum apta distinctione deinceps agemus.

Exemplum Bayeri	Exemplum Pellerini
לצדנם	לצדנם
אמכבב	אמכמב
אפאכת	אפאכת
צר	צר

Pel-

Pellerinianae delineationi respondent fere varia ectypa sulfurea Mionneti, quae ipsi vidimus. Bayerianam vero praefert Koppius, quam sic interpretatur: לצדנם אם כככ אף אכת צר, *Sidonii mater..... imo vero soror Tyri.* Literas medias, כככ, quas in hac versione intactas relinquit, mox, vel aliorum nummorum exemplo, in quibus Resch a Beth haud satis distinguitur, vel unius delineationis hujus nummi Frolichianae, in qua Resch legi videtur, כבר legi posse autumat, ut sensus sit: *Sidon mater regionis, imo soror Tyri.* Sed ut paucas e pluribus difficultatibus memorem, quis non videt אם a constructione alienum esse? Sic enim לצדן אם, non vero לצדנם אם, sententia requireret; dein haud minus est improbabile illud אכת pro אחת scriptum, tum inexplicabilis molestia vocis כככ, vel uti alterum nummi exemplum habet, כמכ, ex quarum lectionum priore nihil sani efficias, nisi pro arbitrio Beth in Resch mutaveris, dum ex altera, hac mutatione vel admissa vel repudiata, nihilomagis te expedias. Quamobrem satis mirari non possumus, talem explicationem placuisse Gesenio, ad scriptionem אכת, pro אחת provocanti, in opusculi Lindbergiani *de nummis Punicis Sextorum* censura (*Hall. Lit. Zeit.* Marz 1825, n. 64, p. 526). Nos vero postquam singulare illud Phoeniciae antiquitatis monumentum et saepe et frustra tentassemus, tandem aliquando in explicationem incidimus, quae ex comparatione hujus nummi cum illo Tyriorum paullo ante tractato exorta et confirmata, cum facilitate sua se commendat, tum lectionis utriusque discrimen expedit. Cum enim hujus nummi exempla sint variorum temporum, et alii ad Antiochum IV, alii ad Demetrium I, alii ad Demetrium III pertineant, antiquissimos eodem tempore cusos esse constat, quo nummum istum Tyrii ediderunt. Quapropter mirum non est Sidonios vicinorum suorum insolentiae pari modo respondisse et nummum fabricasse, cujus nostra quidem ex opinione haec est epigraphe:

לצדנם אמכם באפאכת צר

quam vertimus: *Sidoniorum profligantium mendacissimam Tyrum*, et sic explicamus: ut אמכם sit part. plur. m. cum Aleph articulo compositum in Hiphil a נכה, quae species, ipsis tironibus notissima, *percutiendi*, *feriendi*, *profligandi*, *stragem edendi*, potestate, saepius cum Beth construitur: ut plurima loca a Lexicographis laudata docent: tum אפאכת mihi est purum putum Arabicum اَفَّاكَة, *admodum mendax*,

dax, *mendacissimus*, et proprio sensu *is*, *qui rem a vero sensu detorquet et invertit*, a verbo אֲפַךְ, quod Chaldaeis et Arabibus idem est, ac הפך Hebraeis. Qua in voce hoc primum animadvertendum est, matrem lectionis hic contra Hebraeorum morem eadem ratione radicalibus literis interjectam esse, qua hoc in Inscriptione Cyrenaica fit in voce סדראקא, femininum vero genus hic requiri propter צֹר, denique באֲפַאכַת, hic scribi pro בהַאפַאכַת, vel בּאַאפַאכַת. Quodsi mireris vocem Arabicam a Sidoniis usurpatam, non ad ea tantum provocabo, quae superius de forma mixta Phoenicismi universe observavimus; sed ut tibi constet hoc de Tyro etiam et Sidone valere, nomen tibi proferam Tyrii Regis, qui Alexandri Magni aetate rebus praefuit, *Azelmilchi*, in quo statim, vel me tacente, agnosces formam Arabicam عِزُّ الْمَلِكِ, *Majestas Regis*. Vide Arrianum L. II. c. 15, ubi in aliis libris legitur Ἀζέλμικος, in aliis Ἀζίμιλκος, ex quibus varietatibus vera lectio Ἀζέλμιλκος componenda est. Nam in altera lectione Lamed vocis מלך omitti nemo mirabitur, qui idem in Narmacha, alias Narmalaches et Naarmalca, item in Μεγάμαζα, pro Μελγάμαζα, quod inferius in glossis explicabimus, fieri observaverit. In linguae rationibus ergo nihil est, quod interpretationi meae repugnet, nisi huc referas quod verbum הכה translato sensu apud Hebraeos non exstet, atque eam ob caussam ejusmodi nummum potius cusum esse arbitreris in alicujus victoriae, a Sidoniis de Tyro reportatae cladisque Tyriis illatae, memoriam simul et Tyriae arrogantiae reprehensionem: ut constructio sit eadem, quae Ezechielis c. IX. vs. 7, in verbis הכּו בעִיר reperiatur. De quo etsi, propter historiae defectum et turbulentam Syriae sub Seleucidis conditionem, in neutram partem quidquam statui potest, at parum tamen verosimile judico, Reges Macedones urbibus imperio suo subjectis belli civilis gerendi copiam fecisse. Haec caussa est cur ad potestatem verbi Syriaci ܢܟܐ, quae in Pehal et Aphel in *adversando* et *repugnando* posita est, confugere malim, quamvis fatendum est illud cum accusativo, non cum Beth, construi solere. Superest tamen alia explicandi ratio, ut אמַכֵּם scribatur et מַכֵם participium habeatur verbi מוּךְ, alias מכך, *humiliari*, *deprimi*, quod etiam activam *sternendi* vim possidet, hinc vero *humiliandi* sensu capi posset. Hoc etsi mihi minus placet, aliis fortasse eo nomine arridebit, quod ejusdem verbi מכך species Pahhel in Bayerianae inscriptionis monetariae lectione reperitur, quam sic explico:

לצִדֹנִם

לִצדנִם אֲמַכַּךְ בְּאַפָאכַת צֹר

Sidoniorum. Humiliatio erga mendacissimam Tyrum.

In his mihi מַכַּךְ Inf. est in Sp. II. transitiva, quae apud Aramaeos solenniter ista *humiliandi* potestate gaudet. Vox autem לצדנם, vel separatim posita est, ut nova sententia incipiat a voce אמכך, vel, si uno tenore omnia cohaerent, haec invertenda sunt, ut proprius ordo verborum sit אמכך לצדנם, quod minus probem.

Superest denique ut videamus de nonnullis nummis Africanis, qui a Mionneto in Tab. XXX exhibentur, e quibus quatuor n. 3 — 6 unius ejusdemque naturae sunt, etsi variis emblematibus ornati, quae descripsit auctor T. VI. p. 611 sq. Nonnulli, quibus praeivit Barthelemyus *Lettre à Mr. Olivieri* p. 42, illos Regi Bocho adscribunt, vocabulum quod in reliquis solum, in n. 3 primum legitur, לבקך pronuntiantes, a quibus dissentiens Swintonus לבדם effert, et Lepti istam monetam cusam opinatur. Nuperrime vero Gesenius in censura ista saepissime laudata, item in *Comment. de Inscr. Cyren.* p. 25, n. לבקי legendum esse affirmat, idque compositum esse censet ex Lamed genitivi et Copt. ⲂⲀⲔⲒ, *urbs.* Quae opinio, me judice, omni fundamento destituta est. Si enim Phoenices, vel Phoenicum coloni, hunc nummum fabricassent, suum vocabulum עיר ad urbem designandam usurpassent, et Aegyptio ⲂⲀⲔⲒ abstinuissent, et si contra ista moneta Aegyptiis deberetur, qua de caussa tandem illi particulam Lamed ex lingua Phoenicia adscivissent? Quae vero primaria objectio est, in eo quidem nummi exemplo, quod exprimi curavimus Tab. IV. n. 21, secunda vox additur, quam Gesenius urbis nomen esse conjicit et מלקר pronuntiat; at in reliquis, quorum unum delineavimus Tab. IV. n. 22, sola, ut ante diximus, prima vox reperitur. Quapropter si Viri doctissimi sententiae adstipulandum sit, fateamur necesse est existere nummos, in quibus legatur לבקי, i. e. *urbis*, nullo addito proprio nomine, quod quam absurdum sit, omnibus, qui ista legent, et ipsi Gesenio haec retractanti, statim in oculos incurret. Adhaereamus igitur potius veteri isti Barthelemyanae conjecturae, et Boccho, vel Bogo, cuidam regi Mauretanico nummos istos attribuamus, lectionem tamen aliquanto diversam secuti לבקי. Nam Samech, quam ex terminatione Graeco-Latina nominis Bocchus elicuit Barthelemyus, numquam istam formam habet. Jod vero finalem vocis לבקי, in cujus locum nos Waw substituendam censemus, acriter tuetur Gesenius, etsi sententiae suae argumenta nondum prodidit. Haec, ut probabile est, partim ex eo repetivit, quod figura finalis in nummo Tab. IV. n. 22,

n. 22 expresso cum potestate literae Jod recurrere censuerit in aliquot Cossuraeorum nummis (cf. *Comm. de Inscr. Cyren.* p. 25, n. 54), partim inde, quod altera litera finalis, quae in n. 4 et 5 huic respondet, Jod ipsi visa sit in nummo Mionnetiano pl. XXX. n. 16, coll. Tab. nostra IV. n. 23, ubi tertia vox, si Jod hic admittas, facile שִׁשִּׁי, *sextus*, legitur, alias, contra ordinarias dialectorum Semiticarum rationes, שִׁשּׁוֹ efferenda. Sed prius argumentum eo refellitur, quod ista species sine ulla dubitatione Waw sit in Inscript. Cyrenaica bilingui, quodque eadem explicatio bene quadret in Zeugitanorum nummos, antea a nobis expositos, tum in geminum locum Inscriptionis II Leptitanae. Aliquanto majorem vim haberet illud quod de ששי monuimus, nisi ex illis quae ab initio Libri tertii, praecunte censore Germano, a nobis observata sunt, admodum probabile factum esset, etiam Waw nominibus adjectivis designandis, non minus quam Jod, inservire potuisse. Ergo nos quidem, donec aliae majoris momenti objectiones afferantur, istam inscriptionem monetariam fidenter legemus et vertemus: חֵלֶק צוּעֶן שִׁשִּׁי, *Regio* (vel *nomus*) *sexta Zeugitanae*, et hic unam ex minoribus istis provinciae divisionibus significari putabimus, sive fisci caussa institutis, sive judicialibus, quales in Africa et aliis provinciis Romanis fuisse constat, *conventus* nomine insignes. Vide quae supra diximus p. 35 et 36. Primi vocabuli mediam literam reliquis incertiorem non ex Mionneto, sed ex sulfureo ectypo, expressimus. Hanc Lamed esse existimamus, etsi non multum differat a primo charactere secundae vocis ex solo Mionneto nobis cognitae, cum in ectypo nostro deficiat, quem Tsade esse putamus, vel paene certo scimus. Cum enim de reliquis tribus ejusdem vocis literis satis constet, cur quartam lectionemque צוען in dubium revocemus caussa nulla est. Sed haec potestas literae Tsade in primam vocem nequaquam convenit: quippe thema הצק in nulla usquam dialecto servatum est, nec ullam aliam literam reperies, huic loco explendo aptam, praeter Lamed, cujus forma, qualis in nonnullis nummis cernitur, non adeo multum a nostra abludit: quin litera Nun, etiam alibi centies cum Lamed confusa, eandem plane speciem habet in nummis Sidoniorum VI, VII et VIII apud Kopium. Haec de isto nummo censemus: illos vero, quorum explicandorum opportunitate haec a nobis dicta sunt, illi adscribimus Mauretaniae Principi, Julii Caesaris et Triumvirorum aequali, quem Βόκχον appellant Dio Cassius, Lib. XLI. p. 289 B, Lib. XLIII. p. 343 E, p. 366 E, Lib. XLVIII. p. 561 C, Lib. XLIX. p. 601 E, Lib. L. p. 608 C, Lib. LIII. p. 721 D, et Strabo Lib. XVII. p. 828, item Appian.

 Bell.

Bell. Civ. L. II. p. 488, Bogudem Hirtius *de bello Alexandr.* c. 59 et 62, *de bello Afric.* c. 23 et 25. Hic diligenter distinguendus est a vicino Mauretaniae extimae Rege, quem passim iisdem in locis, item Lib. I. p. 611, Βογούαν vocat Dio Cassius, Βόγον Strabo Lib. II. p. 100 sq., Lib. VIII. p. 359, Lib. XVII. p. 827 sq., Βόκχον Plut. *in Anton.* p. 944 B, et Appian. *Bell. Civ.* Lib. V. p. 686. Quodsi hos duos scriptores, quos postremo loco nominavi, inter se composuisset Reimarus, nec apud Appianum Βόγον reposuisset, (ad Dionem p. 561, §. 239) nec gravissimi erroris Plutarchum insimulasset (ibid. p. 608, n. 29) quasi duos Mauretaniae reges, Bocchum et Bogudem, confudisset, in quibus discriminandis ipse Vir doctissimus insigniter lapsus est. Quae res cum nummorum illorum, de quibus sermo est, interpretatione adeo cohaeret, ut paullo distinctius ex illorum temporum historia explicanda sit. Ambo reges, Bocchus et Bogouas, ut Dionis maxime loca docent, a C. Julio Caesare regio titulo condecorati et Jubae Pompejanarum partium fautori oppositi fuerant, dein variam experti erant fortunam. Bocchus enim cum P. Sittio Jubae regnum depopulatus, hoste ad res suas tuendas revocato, magno laboranti jam Caesari subsidio fuit. Hoc ipsum, quod Dio p. 343 et Appianus *Bell. Civ.* L. II. p. 488 narrant de Boccho, Bogudi tribuit *de bello Afric.* c. 25 Hirtius, eundemque reliquis quoque in locis caussae Caesaris favisse demonstrat; ut nisi, aut hunc, aut illos, errasse ostendas, reprehensione digni sint Viri docti, in quibus Reimarus familiam ducit, qui Bogudem et Bogouan eosdem existimant. Vide imprimis notam Reimari §. 11, ad p. 342, et quae inferius ad calcem disputationis nostrae, collato Plinii loco, hac de re animadversuri sumus. Insecutis belli civilis temporibus, inter Caesarem et Pompeji filios in Hispania gesti, regum Bocchi et Bogouae iterum mentio est, quorum hic Caesari affuisse, ille filios suos Pompejanis auxilio misisse dicitur, qua in narratione parum abest, quin errorem latere suspicer Dionis personas permutantis. Nam parum verosimile est Bocchum, qui Caesari in Africa bellanti strenue succurrerat, eidem paucis mensibus interjectis Hispanicum bellum gerenti adversatum esse, Bagouan vero, qui Caesarem contra Jubam pugnantem sorti suae reliquerat, ab ejus partibus stetisse, apud Mundam de summa rerum decernentis; praesertim cum ea quae deinceps evenere, hunc acerbum domus Caesarianae inimicum, Bocchum contra amicum fuisse, demonstrent. Quippe octavo post anno, U. C. 716, dominantibus Triumviris, Bogouas in Hispaniam trajecit, Caesaris Octaviani provinciam, eamque vastavit, donec, defectione suorum in Africam revocatus et a Caesarianis Boccho juvante victus, regno excideret. Hoc Bocchus, concedente Octaviano, ad mortem

tem usque tenuit, defunctus A. U. C. 721, biennio ante bellum Actiacum, in quo Antonii, ad quem, amisso regno, confugerat, Bogouas comes fuit, interfectus in portu Methonensi a M. Vipsanio Agrippa, quod Dio p. 611, et Strabo p. 359, pariter referunt. Ex Strabonis loco, qui hanc ad rem probandam classicus et solitarius est, perspicitur hominem quoque Bogum appellatum fuisse, a quo nomine cum facilis sit transitus ad Bocchum, non miramur hunc quoque Bocchum vocari apud Appianum, *Bell. Civ.* L. V. p. 686, de illius in Hispaniam transitu referentem, et apud Plutarchum, de Antonii auxiliis exponentem, cujus testimonium optime cum Dioniano in concordiam redigi potest. Nam fuit revera Bocchus, vel Bogus, vel Bogouas in castris Antonii, sed regno privatus, ita ut recte affirmaverit Dio Mauros, qui quondam Bogouae et Bocchi fuerant, cum Octaviano militasse, qui Bocchi A. U. C. 721 defuncti regnum in provinciae formam redegerat. Jam ex his, quae hucusque disputavimus, haec efficiuntur.

1) Si in iis nummis בקי, ut puto, nomen regis sit Mauretanici, illos Bocchi esse Caesaris Octaviani amici, cujus facies in nonnullis eorum conspicitur, non vero Bogi qui Antonium patronum habuit. 2) Hos igitur, quotquot Octaviani caput gerunt, verosimiliter cusos esse inter annum 716, quo primum Caesarem fautorem expertus et nova regni accessione ornatus est Bocchus, et annum 721, quo diem obiit. 3) Corrigendum igitur esse Mionnetum T. VI, p. 611 sq. n. 11—14, caput Augusti appellantem, quod est Caesaris Octaviani Triumviri. Nam Augusti nomen accepit anno demum U. C. 727, sexennio postquam Bocchus e vivis excesserat. Quodsi jam ex me quaeras, quid mihi de voce videatur, in n. 3 Mionnetiano Bocchi nomini subjecta, equidem respondeam illius lectionem faciliorem esse quam explicationem. De sola enim ultima litera dubitari potest, utrum Beth, Daleth an Resch sit. At si vox Semitica censeatur, sola Resch admitti potest, cum nec מבקב, nec מבקד sensum aliquem haberet. At lectio מבקר haud inepte poterit derivari a verbo בקר, ut illius participium sit in Pihhel, et designet *armentorum pastorem*, *nomadem*, qui alias בקר appellari solet, tam apud Aramaeos, quam apud Arabes. Hoc igitur probato inscriptio reddenda est *Bocchi Numidae.* Jam etsi verbum illud בקר hoc sensu in dialectorum reliquiis nusquam occurrat, existere tamen potuit verbum denominativum בקר, *armenta pavit*, *armentis propagandis et alendis operam dedit*, a בקר, *armentum*, derivatum, secundum analogiam thematis بغل, quod in lingua Melitensi habet Sp. II, cum potestate *mulos gignendi*, *mulino more educandi*, a بغل, *mulus*, repetita. Sed haec ut incertiora in medio relinquimus.

 Re-

Restat vero una adhuc majoris momenti observatio, de insigni Plinii loco, quam de industria in hujus disputationis finem rejecimus, tum quia ad nummorum illorum interpretationem minus necessaria esset, tum quod, sine continuae narrationis detrimento, in brevem conspectum historiae regum Bocchi et Bogi, vel Bogouae, inseri vix potuisset. Plinius igitur *Hist. Nat.* Lib. V. c. 1, de duabus Mauretaniis, extima, id est Tingitana, et Caesariensi, sic loquitur, ut eas diu regum nomina obtinuisse asseveret, hanc Bocchi, illam Bogudis. Quod si verum sit, in magnas et inexplicabiles difficultates incidemus. Sic enim Bogouas, qui teste Dione Lib. XLVIII. p. 561, Hispaniam Octaviani provinciam invasit, quique deinceps Antonio adhaesit, necessario Bogud erit, quod supra negavimus. Ille enim Tingitanorum subditorum suorum rebellione in Africam revocatus est atque ergo Mauritaniae extimae praefuit. Haud ignoro in Dionis exemplaribus MSS. legi τῶν περὶ τὴν Ἴτυν ἐπαναστάντων αὐτῷ, quod Reimarus ex mentione Itensis episcopi Mauretaniae Caesariensis in Vet. Not. civitatum et provinciarum Africae defendi posse existimat: sed bene correxit Xylander τὴν Τίγγιν, ex comparatione, ut videtur, sequentium, in quibus Octavianus Tingitanis, profligato Bogoua, jus civitatis tribuisse dicitur, quod procul dubio ob praestitam sibi in isto bello operam ipsis concessit. Sit igitur, ut ante dixi, Bogud et Bogouas unus idemque rex; at quomodo Plinium cum Hirtio, Dione et Appiano conciliabis, quorum hi Caesaris in Africa bellantis socium *Bocchum*, Hirtius, qui haec ab ipso Caesare acceperat (ut ex praefatione Libri VIII *de Bello Gallico* discimus) *Bogudem* appellavit? Caussa erroris in eo fortasse quaerenda est, quod Mauretania orientalis Numidiae contermina Boccho paruisset Iugurthae aequali et hinc Mauretania Bocchi appellaretur. Quod cum Plinius perperam ad Bocchum juniorem Caesaris aequalem retulisset, necessario existimavit Tingitanam paruisse Bogudi, quem Boccho II aetate supparem fuisse noverat. Quam conjecturam tanto lubentius amplector, quanto ex ipso loco, quem laudavimus, certius est, Plinium illius orae Africanae haud satis accuratam notitiam habuisse. Haec vero quaestio ab isto loco aliena est et in Librum sextum rejicienda, qui amplissimam de nominibus Geographicis disputationem continebit.

Vidimus hucusque de eo genere nummorum, quod sive Phoenices ipsos, sive eorum colonos, auctores habet. Quam tractationem nunc corollarii loco excipiet explicatio nonnullarum veteris aevi reliquiarum, quae, etsi ipsos Phoenices auctores non agnoscunt, vel incertioris videntur esse originis, nihilominus propter literarum, vel summam similitudinem, vel arctam affinitatem, commode una eadem-

que

que disputatione conjungi possunt cum Punicis inscriptionibus nummisque, quibus illustrandis non mediocriter inserviunt. In hoc autem monumentorum genere principem locum tenent Hasmonaeorum nummi, quos Viri docti attigerunt complures, illustravit autem duplici opere perdocto F. P. Bayerus, Hispanus, in quorum alterius, quod *De nummis Hebraeo-Samaritanis* inscribitur, capite septimo, duos tractavit Simonis Maccabaei nummos, editos Tab. I. n. 4 et 5, p. 65, coll. p. 153 et 171, et arcanam, ut ipsi videtur, scripturam exhibentes, a nobis repetitam n. 24 et 25. De his igitur admodum singularem amplexus est sententiam, quae tanto majoris in hac quaestione est momenti, quod cum origine et progressu rei monetariae apud Hebraeos maximopere conjuncta est. Existimat enim Vir Doctissimus Simonem nominis sui nummis ad posteros propagandi studiosissimum, non tamen eo progressum esse audaciae, ut illud statim suae monetae inscriberet; ergo primum cudisse siclos et semisiclos, simpliciter inscriptos *siclus Israël Anno I.* et *Jerusalem sancta;* dein processisse ad arcanos istos, de quibus agimus, qui nomen quidem et titulum Simonis, שמעון נשיא, contineant, sed literis ignotis; hinc pervenisse ad anagrammaticos, quibus nomen quidem suum paullo manifestius, at transpositis tamen literis inscripsit; qualem nummum a Vilalpando editum repetiit Bayerus p. 29 (Cf. Tabula nostra IV. n. 26). Postremo, pertentatis popularium animis, novos cudisse cum epigraphe שמעון נשיא ישראל, *Simon princeps Israëlis:* at mox tamen anno principatus secundo, sive a senioribus populi admonitum, sive rumoribus ad se perlatis commotum, ab invidioso incepto destitisse; hinc nullos tertii et quarti anni existere nummos Simonis nomine inscriptos, sed in his simpliciter legi *anno III et IV libertatis*, vel *redemtionis*, *Zionis*. Fateor sic caussam aliquam proferri varietatum, quae in nummis Hebraicis cernuntur, modo ipsa ratio difficultatis tollendae probabilior esset. Quis enim credat hanc Simonis licentiam adeo displicuisse Judaeis, qui genti Maccabaeae tot et tanta deberent, et sponte sua in fronte syngrapharum et contractuum, statim post liberatam a Seleucidarum dominatione rempublicam, haec, teste libro I Maccabaeorum c. XIII. vs. 42, scriberent: Ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως μεγάλου καὶ στρατηγοῦ καὶ ἡγουμένου Ἰουδαίων, plures etiam titulos ipsi tribuentes, quam ipse sibi arrogaverat. Tum si hanc explorandi viam ingressus est Simon, in eligendis rationibus suis, ne quid gravius dicam, admodum infelix fuit, et prudenter tentandis hominum animis ineptus. Si enim homines literarum istarum ignotarum sensum non intelligerent, res nullius plane momenti futura erat, si contra, non video quid illa te-

 china

hena lucraretur Simon; nam, vel perinde erat ac si nomen et titulum ordinariis characteribus scripsisset, vel etiam pejus et periculosius; cum vulgo illa Simonis cautela suspicionem injicere posset rei contra jus et fas ex ipsius Principis aestimatione gestae. Jam ponas Judaeos silentio suo hanc monetae innovationem comprobasse: quid opus fuit denuo transpositis nominis literis in eorum voluntatem inquirere? Postremo ex ipsius Bayeri sententia satis apparet, quam ineptum et inutile illud stratagema fuisset, cum nihilominus postea Simon coactus sit a nomine nummis inscribendo desistere. Dicamus quod res est, longe praestat ignorantiam fateri quam ad ejusmodi confugere opinionum commenta; praesertim cum in talibus rebus tot ac tanta sint, quae nulla umquam conjectura assequatur; in quibus v. g. ponimus quaestionem cur sicli et semisicli primo tantum et secundo Simonis anno cusi sint, et qua de caussa, etsi intogris octo annis rebus praefuerit, priore tantum quadriennio jus monetae exercuisse videatur. Quae dum considero et perpendo, equidem, si opus sit, libenter in ignorantiae confessione acquiescam. Sed aut egregie fallor, aut probabilis, nec admodum difficilis, in medium proferri potest rei interpretatio, quae, ut puto, nec Bayerum fugisset, nec alios, si modo ad frequentem illam literarum in nummis inversionem attendissent. Nam universe quidem characteres Hebraeo-Phoeniciis sunt similes, etsi in n. 24 secunda, quinta et ultima, in n. 25 quinta, naturalem situm mutaverint. Quapropter sine ulla dubitatione lego in n. 24 קֹבַע לְדַכָּא יָהּ, i. e. *Galea oppresso est Jehova*, in n. 25 בָּא לְעִיר הַגֵּר, i. e. *Intravit urbem exul.* Jam de literis quidem, praeter ea quae ante dixi, admodum pauca monenda sunt. In quinta n. 24, cui simpliciter quadrati formam tribuit sculptor in Tabula Bayeri p. 171, haud negligenda est cauda, vel linea deorsum descendens, a sinistra literae, quae ex parte injuria temporis obliterata est; et characterem τῆς Daleth continet. Ea vero forma, quae statim sequitur, admodum incerta vestigia et oculum paene fugientia in nummo reliquit. At si consideres voces קֹבַע et יָהּ certas esse, medii autem vocabuli literas videri א..לד, et unius tantum characteris potestatem desiderari, mihi facile assentieris, nullam in toto alphabeto literam praeter Caph reperienti, quae lacunam sensumque aeque facile suppleat. In n. 28, praeter inversam literam Jod ordine quintam, nihil animadvertendum est, nisi figura literae Daleth, inscriptionem claudentis, quae comparanda est cum Samaritana ordinaria. Lectione constituta in grammaticam formam vocum, item in caussam et tempus horum nummorum inqui-

quirendum est. Neutra phrasis in Veteri Testamento occurrit, in quo Jehova *scutum*, non item *galea*, servorum suorum appellari solet: utraque vero linguae Hebraicae regulis respondet: quod de קבע לרכא יה omnes, me tacente, agnoscent, de altera בא לעיר הגר, paucis probandum est. Et primo quidem verbum בא cum Lamed rarius construitur; sed legitur tamen בא לעיר I Sam. c. XX. vs. 12, tum nominativus est הַגֵּר, qui casus verbo frequenter et nostro בוא eadem ratione, objecti regimine interserto, postponitur in phrasi Jobi c. XLII. vs. 11, ויבאו אליו כל אחיו. Jam quod cudendi duplicis nummi spectat opportunitatem, ea non valde mihi videtur inventu difficilis. Legimus enim ex adverso consuetam illam formulam *Anno I. redemtionis Israëlis*, ut certissime pertineant ad principatus Simonis initium, quod ducitur ab excusso, Anno Seleucid. 170, gentium jugo. Atqui isto tempore dudum Hierosolymae receptae fuerant a Juda Maccabaeo, sola arx Zion adhuc in manibus erat hostium. Quapropter ista formula: *Intravit urbem exul*, non ad totam urbem, sed ad arcem, quae Anno Seleucidarum 171, die 23 secundi mensis in deditionem venit, referenda est (cf. Lib. I. Maccab. c. XIII. vs. 51). Ex quo discimus annum aerae Judaicae initialem non accurate respondisse anno Seleucidarum 170, sed medio isto anno, et quidem post diem 27 mensis secundi incepisse, ita ut minimum menses duo priores, vel plures fortasse, A. Seleuc. 171, adhuc ad annum primum pertinuerint Judaeorum, quo ad finem vergente et arx occupata et nummus iste cusus sit. Cavendum vero est ne quis, videns ex nostra sententia hunc faustissimum Judaeis eventum peculiari monumento monetario fuisse celebratum, eos nummos etiam, quibus annus secundus, tertius et quartus libertatis, vel redemtionis, Zionis inscriptus est, novam aeram continere putet a deditione arcis Hierosolymitanae ductam. Nam uti bene jam observavit Bayerus p. 117 — 120, sic nummi quoque reperirentur, primum annum libertatis, vel redemtionis, Zionis nobis offerentes, quod secus est. At quod ibidem addit Vir Clarissimus, quatuor inscriptionum, *redemtio Israëlis*, *libertas Hierosolymarum*, *redemtio Zionis*, et *libertas Zionis*, unam eandemque sibi videri sententiam, id minus facile probem. Scio Zionis nomen latius patuisse et ad totas Hierosolymas, quin imo ad universam gentem Judaicam fuisse translatum, nec etiam hoc ignoro, quod Bayerus omisit, Maccabaeicis temporibus Zionis nomen potius monti Moriae, quam arci, tributum fuisse, quantum ex L. I Maccab. c. IV. vs. 37 et 60 effici potest: at miror tamen nullum nummum existere cum inscriptione: *redem-*

demtio, *vel libertas*, *Zionis*, anno primo libertatis Israëlis cusum, et capta a Judaeis arce anteriorem: contra secundi anni complures, tertii et quarti anni omnes, istam prae se ferre inscriptionem, ut verosimile sit, capta Zione, nummorum titulum mutatum et totam urbem jam a parte praecipua appellatam fuisse, cujus verum nomen non prorsus obsolevisset. Nec etiam eidem assentior Bayero, nomen *Jerusalem* his in nummis reliquis duobus *Israëli* et *Zioni* prorsus synonymum existimanti. Qua in re explicanda hoc primum diligenter observandum est, omnibus in exemplis לחרות ירושלם offerentibus epocham desiderari: quo fit ut ista verba reddenda sint, *propter libertatem Hierosolymarum*, non ut Bayerus fecit: *libertatis Hierosolymarum:* nullus enim in plerisque nominativus praecessit, nisi *Simon*, quod ab altero nummi latere legitur et separatim reddendum est. In unico tamen exemplo, a Vilalpando edito, quod antea memoravimus, in Tab. IV. n. 26 repetitum, Bayerus, uti supra diximus, nomen Simonis transpositum quaesivit, nos ultimam cum litera Tau Phoenicia, quae apud Koppium extrema est, comparantes, שמועת legimus, eamque vocis constructam formam, (quae ante Lamed admittitur Gesen. *Lehrgeb.* p. 679 a) conjungentes cum לחרות ירושלם, inscriptionem sic legimus: *nuntius libertatis Hierosolymarum.* Si grammaticam igitur rationem spectes, nummus a reliquis anni designatione carentibus differt, licet cudendi opportunitas eadem fuisse videatur. Omnes enim in lucem emissi sunt propter Hierosolymas, per arcis Zionis deditionem, quae civium cervicibus imminebat, servitute liberatas: nec profecto miror Simonem tot nummis faustissimum eventum celebravisse, quem prae caeteris Hebraeorum rempublicam fundasse et confirmasse existimaret, cujusque adeo memoriam annuis festis recoli jussisset. Haec de Simonis moneta satis dicta sunto. Nunc denique postremo loco videndum est de duobus Judaeorum nummis, de quorum auctore hucusque inter eruditos magna controversia fuit, editis a compluribus, in his a Bayero, qui alterum vulgavit in libro *de Nummis H. S.* p. 190, alterum in literis Barthelemyanis, repetitis ad calcem *Vindiciarum* p. IX ex Diario Eruditorum Gallico. Hic priorem adscripsit Joanni Hyrcano, de posteriore sententiam non dixit. Barthelemyus autem et Swintonus hunc primum ad Jonathanem retulerunt Simonis Maccabaei fratrem, in eo conspirantes, quod tres priores voces legant ינתן הכהן הגדל, *Jonathan Sacerdos magnus;* Swintonus autem (a quo, teste Barthelemyo, Bernardus Interpres Regius non multum dissentiebat) ultimum vocabulum legit והבריו, *et socii ejus*, literam Beth quae to-

totius epigraphes ultima est, designare existimans annum sacerdotii Ionathanis, ab Alexandro Bala Syriae rege ipsi concessi, secundum. At diu postea nummus alter Museo regio Gallico illatus est, in cujus adversa parte leguntur verba ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ anchorae circumscripta, in aversa species conspicitur rotae, cujus radiis intersertae sunt literae, sine ulla dubitatione pronuntiandae יהונתן המלך, *Jonathan Rex*. Quod cum animadvertisset Barthelemyus, mutavit sententiam, titulum regium minime conciliari posse existimans cum illis, quae de temporum illorum historia Libri I Maccabaeorum auctor et Josephus referunt, eaque de caussa in literis paullo ante citatis utrumque nummum deberi conjecit cuidam regum Maccabaeorum Simonis posterorum, qui Graecum Alexandri nomen cum Hebraico Jonathanis conjunxisset, morem secutus gentis suae, in qua Judam Joannis Hyrcani filium Aristobulum, et Salomen ejus uxorem Alexandram Graeci appellaverunt: ergo optionem faciendam esse inter Alexandrum Jannaeum, Aristobuli, quem paullo ante nominavimus, fratrem, et Alexandrum fratrem Antigoni, Aristobuli filium, Alexandri Jannaei nepotem, quorum alteruter forte Jonathan dictus fuerit. At prioris nomen Orientale procul dubio est Jannaeus, sive illud יהניה (*misereatur Deus*), sive aliter Hebraice sonuerit. Antigoni frater autem latro potius et rebellium dux, quam rex existimandus, nec umquam stabili imperii sede potitus (cf. Joseph. *Ant. Jud.* L. XIV. p. 691 sq.), an monetae cudendae facultatem habuerit, dubito, sacerdotium certe numquam tenuit, quod tamen in priore nummo Jonathani tribuitur, nec, si quid video, eo impudentiae progredi ausus esset Antigonus iste, qui sicarii more per Judaeam vagatus est, ut se ipse *dilectum Jehovae* appellaret. Vera quippe nummi lectio est:

ינתן הכהן הגדל וחבב יה ב

i. e. *Jonathan, sacerdos magnus et dilectus Jehovae* (i. e. خليل الله) *Anno II.* Nam Koppium non moror, qui literas quidem primus omnium recte pronuntiavit et agnovit etiam חבב legendum esse, sed ultimam literam cum duabus praecedentibus conjungens et voci יהב inauditam notionem *ponendi curandive* affingens, reddit: *Jonathan pontifex maximus et amabilis fieri curavit.* Nec pluris facio argumenta Bayeri (quae enumerasse et refutasse longum et taediosum sit) omnem lapidem moventis, ut dilectam sibi hypothesin, de re monetaria Hebraeorum a Simone primum constituta, tueatur. Sed a sola monumentorum auctoritate in ejusmodi rebus standum est, nec quidquam opinionum commentis tribuendum. Quin,

 ut

ut verum fatear, non satis agnosco quid magis Simoni licuerit monetae faciendae jus sibi arrogare, antequam Syriae rex illud concessisset, quam Jonathani, illius fratri, cui binos istos nummos libentius attribuam. Hic enim Seleucidae Alexandro Balae, quem vocibus Ἀλεξάνδρου βασιλέως designatum puto, adeo dilectus fuit, ut hic, teste Libro I Maccabaeorum, vs. 18 sqq. et vs. 62, eum fratrem appellaverit, sacerdotemque maximum creaverit, et corona aurea vestibusque ornaverit purpureis et secum pro tribunali sedere jusserit. Quae profecto tot et tanta sunt, ut quamvis facile concedam neminem Maccabaeorum, ante Judam Aristobulum, publice nomen regium adscivisse et diadema sibi imposuisse, nihilominus haud absurdum et improbabile censeam, Jonathanem, quem Rex fratris appellatione sibi aequasset, aliquanto plus sibi arrogasse, quam par erat, et regium titulum sibimetipsi in nummo tribuisse, superbiae quidem gratificaturum suae, nec tamen, propter linguam Hebraicam Seleucidis ignotam et aenigmaticam fere literarum positionem, ea de caussa in dominorum offensionem venturum.

Coronidem huic libro et universae de inscriptionibus nummisque commentationi imponat duorum lapidum pretiosorum descriptio, quorum ectypa, in Tab. IV. n. 27 et 28 *a* et *b* delineari curavimus. Alter, ex Museo regio Hagano depromtus, Cornalinus est in scarabaei formam caesus et camelum nobis offert gradientem, literis Punicis cinctum, quarum ratio et potestas adeo certae et manifestae sunt, ut nihil de illis monendum sit, nisi hoc unum literam Tsade inversam esse; nec quisquam, qui paullo diligentius istas inspexerit, mihi assentiri dubitabit vocem illam שַׁרְאֶצֶר efferenti. Nomen Assyrium est, non Semiticum et Phoenicium, quod haud improbabiliter Bohlenius et Gesenius ex Persico سر ادر, vel سر آذر, i. e. *Princeps ignis* (*sacri*) explicuere, ut imprimis doleam, locum, ubi insigne illud vetustatis monumentum repertum sit, prorsus ignorari. Sic enim forsitan effici potuisset, inter Assyrios, ut cuneiformem, sic Phoeniciam quoque scripturam, viguisse. Nunc ex solo nomine pp. illud colligi nequit. Nam etsi plerique, qui hoc nomen gesserunt, et quorum memoria ad nos pervenit, Assyrii vel Babylonii fuerunt, ut regis Sancheribi filius II Reg. c. XIX. vs. 37, Jes. c. XXXVII. vs. 38, item duo duces Nebucadnezaris, qui nomen compositum נֵרְגַל שַׁרְאֶצֶר habuere, nihil tamen obstat, quominus illud nomen, lapsu temporis, Assyriorum, vel Chaldaeorum, dominatione latius grassante, cum Phoenicibus communicatum fuerit. Nam Judaeos quoque veterum nominum tenacissimos hanc appellationem adoptasse ex Zachariae c. VII. vs. 2 intelligitur.

Re-

Restat ut de altero lapide videamus, cujus, in Museo suo asservati, accuratam delineationem nobiscum humanissime communicavit Vir illustrissimus F. Munterus. Est Jaspis flava admodum exigua; hinc habens cancri speciem, illinc literas quinque Phoenicias, de quarum potestate, si tertiam et quartam exceperis, cum Palaeographis certamen futurum esse non arbitror, qui facile mihi adstipulaturi sunt primam literam Koph, secundam Aleph, quintam Tau esse existimanti. Tertiam vero comparo cum litera penultima vs. 2 Inscriptionis Melitensis, quam Koppius secundam appellat, et post Barthelemyum, Swintonum, Torremuzzam, alios, edidit in libro *Bilder und Schriften der Vorzeit* inscripto T. I. p. 260. Hanc ille Tet pronuntiat, eandemque potestatem nos adscripsimus figurae penultimae vs. 3 Inscriptionis Zeugitanae I (vide supra p. 81), cum Jaspidis Munterianae nuper admodum ad nos allatum apographum nobis nondum innotuerat. Trium formarum character positus est in linea, quae literam, vel rotundiorem, vel quadrangularem, mediam secat; quo fit, ut illud exemplum, quod nobis nunc est in manibus, simillimum sit τῷ Βῆτα Graecorum, quale in vetustissimis nummis conspicitur. Haud igitur defuturi sunt, qui existiment, de hac potius litera cogitandum esse, provocantes ad ea, quae supra p. 115 de formis alphabeti Graeci, a Phoenicibus subinde usurpati, a nobis observata sunt. Sed hanc elementi potestatem sensus repudiat, sive proxima figura Daleth sit, quod Koppio propter caudae brevitatem placebit, sive Resch, quod nos, sensu jubente, amplectimur. Quid enim significent voces קאברת, et קאטרת, aut quomodo huc pertineat קאברת, part. fem. Arab. a קבר? At si legas קאטרה, i. e. قاطرة, ut forma Arabica, significatio Syriaca sit, omnia salva futura sunt. Nam radix קטר apud Aramaeos respondet τῷ קשר Hebraeorum, et *ligandi* notione frequentatur. Sic igitur קאטרת pp. erit *nodus*, *ligamen*, vel *vinculum*, tum hic imprimis *magicum*, ut puto, quale Arabes vocare solent عُقْدَة, a verbo عقد, *ligavit*, *nodavit*, synonymo τοῦ קטר, quod nunc in nulla quidem dialecto, magicâ ista notione servatum est. Fuerit igitur Jaspis illa amuletum, vel τέλεσμα, quod mali averruncandi caussa collo appendi, vel in sinu geri, solebat, et quo malorum geniorum, vel infaustorum planetarum, vim ligari et impediri putabant. Haud tamen definio utrum Astartes religio, cui cancer sacer erat (cf. Munter. *Rel. der Carth.* p. 78 sq.) cum isto amuleto aliqua ex parte conjuncta sit, sed hoc illis, qui Astrologiae veterum cognoscendae operam aliquam dederunt, dispiciendum relinquo, an certo in casu Cancri sideris efficacia noxia hominibus habita sit. Sic enim ejusmodi amuletum illius malignitati avertendae destinatum fuerit. Huc perti-

tinere posset quod cancer tergo incumbit, ut Munterus in suis ad me literis affirmat, etsi illud in delineatione minus agnosco. Id enim animal si in dorsum conjectum sit, suo nisu semetipsum in pedes convertere nequit et sine motu jacet: quapropter ista species aptissima est, qua omnem mali inferendi potestatem ipsi ereptam esse declaretur. Sed hae merae conjecturae sunt, quibus diutius immorari non vacat. Quod vero de lapillo, quem modo descripsimus, dixi, idem de hoc Munteriano repetendum arbitror, admodum dolendum esse, locum, ubi inventus sit, a nobis penitus ignorari.

LIBER QUINTUS.

INTERPRETATIO LOCORUM NONNULLORUM SANCHONIATHONIS ET ALIORUM, ITEM NOMINUM PROPRIORUM, VIRORUM ET FEMINARUM, CUM PHOENICUM ET CARTHAGINENSIUM, TUM CYPRIORUM, QUAE APUD VETERES MEMORANTUR.

Superest ut postremis duobus libris consideremus nomina propria glossasque Phoenicias, de quorum ratione et significatione probabilem conjecturam facere possimus. Reliqua enim, de quibus adhucdum nihil nobis constat, numero haud pauca, in praesenti quidem commemorare nihil attinet. Porro in his eum ordinem tenebimus, ut primum agamus de nominibus pp. in fragmentis Sanchoniathonis, item Porphyrii de Judaeis libelli, occurrentibus, quae Viri docti, Scaliger et Bochartus maxime, non attigerunt, vel non satis accurate explicuerunt. Quibus absolutis pergemus ad nomina hominum et locorum alia: hinc vero transibimus ad glossas Phoenicias et Cyprias. Jam in Sanchoniathonis et Porphyrii reliquiis laudandis editionem *Praeparationum Euangelicarum* Eusebii Parisiensem A. 1628 cum novissima horum fragmentorum conjunximus, ab Orellio curata; qui laudabili quidem consilio Virorum eruditorum de vocibus Phoeniciis conjecturas in notis suis commemoravit, ad ea vero, quae decessores non illustraverant, enucleanda nihil adjecit. Hanc igitur disputationem instituentibus primum se offert locus admo-

modum memorabilis p. 34 D, Orellii p. 16, ubi Aeonis et Protogoni posteros, Lucis, Ignis et Flammae filios, auctor fuisse narrat corporis mole spectabiles, qui sua nomina montibus imposuerint, quos tenuere: dein enumerat τὸ Κάσιον, καὶ τὸν Λίβανον, καὶ τὸν Ἀντιλίβανον, καὶ τὸ Βραθύ. Et de Casio quidem nulla dubitatio est, quin Syriae mons hujus nominis significetur Seleuciae imminens, quem a Casio Aegyptio haud satis distinxit ad h. l. Orellius. Antilibani nomine fortasse Hermon indicatur, illius pars, quem inter sacros montes numeratum fuisse satis ostendunt traditiones de Sethi posteris Dei filiis, i. e. sanctis viris, in montem Hermonem ab hominum consortio se subducentibus, a pluribus scriptoribus memoratae. Vide Herbelot voce *Giabbar*, quocum confer Bar-Hebr. p. 4, et Hilarium in *Comment. ad Psalmum CXXXIII*, qui librum Enochi pseudonymum secutus (Cf. *The book of Enoch the prophet — translated by R. Laurence* c. VII) Angelos in Hermonem descendisse narrat, feminarum mortalium desiderio tactos. Nec montis sanctitatem ignorabat Eusebius, in Onomastico v. Ἀέρμων affirmans, eum ὡς ἱερὸν τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐθνῶν, quod reddens Hieronymus *in vertice ejus insigne templum* esse affirmat. Hoc an recte addiderit nescio, sed verosimile tamen existimo eum locum qui בעל חרמון appellatur Jud. c. III. vs. 3, item I Chron. c. V. vs. 23, ubi diserte ab Hermone distinguitur, nomen accepisse a cultu Baälis cujusdam, a quo Hermon dictus erat. Haec obiter disputanda putavi de Hermonis sanctitate, quae sive probentur, sive rejiciantur, perinde est. Ipse enim locorum situs extra controversiam positus est. Quid vero de Βραθὺ dicemus a nullo usquam Geographorum nominato, quod de loco veteri sanctitate claro mireris? Verba corrupta esse manifestum est. Quodsi nomen aliquod requiras, magna cum veri specie restituendum, nullum aptius reperies, quam Graecum montis Taboris nomen Ἰταβύριον, vel Ἀταβύριον, i. e. הַתָּבוֹר. Quam parum enim discrepent καὶ Ἰταβύριον et καὶ τὸ Βραθὺ videre in promptu est. Nec de summa loci religione ulla dubitatio. Nam tametsi in monte Tabore nullum Dei sacellum, vel templum, memorent veteres, nec facile commemorare potuerint, cum illud jam ab Israëlitis Palaestinam occupantibus deletum fuisse credibile sit: at certa tamen vestigia Jovis, sive Baälis, in monte Tabore culti, in coloniis Phoenicum exstant. Sic Rhodi, quam insulam olim Phoenices tenuisse veterum complures testantur, excitati a Bocharto in *Canaän* L. I. c. 7, p. 367, erat mons Ἀτάβυρον, Ἀτάβυρις, Ἀταβύριον, vel Ταβύριον, celeber templo Διὸς Ἀταβυρίου, a quo tota insula antiquitus dicta est Ἀταβυρία. Ejusdem Dei templum

 ex-

exstabat etiam apud Agrigentum in Sicilia. De utroque Graecorum testimonia produxit Bochartus l. l. p. 369, de Palaestinensi monte Relandus in *Palaest.* p. 331 sqq. Tertium religionis toto orbe veteri longe lateque propagatae exemplum addo, inventam anno superiore inscriptionem Graecam Jovi Atabyrio dicatam apud Sympheropolin in Chersoneso Taurica. Vide *Revue Encyclopédique*. Nov. 1827, p. 495. Ergo quemadmodum Phoenices suum habuere Jovem Casium, in utroque monte Casio, i. e. termino Syriae, vel potius Cananaeae veteris, qualis ante Josuam fuit, boreali et australi, ut suspicor, cultum, eaque de caussa בַּעַל קֵצִי, quasi *Deum Terminum*, ut ingeniose dixit Bochartus in *Phaleg*, L. IV. c. 32, p. 292, appellatum, sic etiam coluere בַּעַל חֶרְמוֹן et בַּעַל תָּבוֹר, *Jovem Hermonis* et *Taboris*, qui Dii, ex Sanchoniathonis mente, nomina sua cum montibus communicaverunt. Haec nostra de hoc loco sententia est, quem statim alius excipit non minus impeditus. Ἐκ τούτων, φησὶν, ἐγεννήθησαν Μημρούμος καὶ ὁ Ὑψουράνιος. ἀπὸ μητέρων δὲ, φησιν, ἐχρηματίζον, τῶν τότε γυναικῶν ἀναίδην μισγομένων οἷς ἂν ἐντύχοιεν, in quibus hoc dudum Viros doctos adverterat Memroumum ab Hypsuranio non differre, et hoc illius versionem esse, atque adeo rescribendum videri ὁ καὶ Ὑψουράνιος. In reliquis dissentiebant. Scaliger enim, tenax receptae scripturae Μημρούμος, explicabat מִמְּרוֹמִים, *ex altis*, (malim מִמָּרוֹם, *ex alto*); Bochartus l. l. L. II. c. 2. p. 706 rescribi jubebat ἐγεννήθη Σαμημρούμος, ὁ καὶ Υ. quasi vox ex שָׁמַיִם, *coeli* et רוּם, *altitudo* esset composita: sed merito observat Orellius obsistere pluralem ἐχρημάτιζον· quam ob caussam post Ὑψουράνιος inserit καὶ Οὔσωος, cujus, ut fratris Hypsuranii, postea mentio fit. Dudum est, quod idem in mentem venerat Mignoto Dissert. VIII. de Phoenicibus, p. 12, inserta in *Mém. de l'Acad. des Inscr. et Bell. Lettr.* T. XXXVI. Audacior mihi videtur emendatio, qua carere poterimus, si legamus: ἐκ τούτων, φησὶν, ἐγεννήθη καὶ Μημρούμος ὁ καὶ Ὑψουράνιος· ἀπὸ μητέρων δὲ φησιν, ἐχρημάτιζον, κ. τ. λ. Ut sensus sit Memroumum, non ex filiis, sed ex fratribus deorum, vel heroüm monticolarum fuisse, hos autem omnes, non adeo Lucis, Ignis et Flammae, patrum suorum, quam matrum, filios dictos esse. Caussa additur quod matres nempe corpora incontinenter (ἀνέδην, non ἀναίδην, quae solennis corruptio est) sine discrimine omnibus vulgaverant. Hanc loci esse sententiam, a qua interpres mirum quantum aberravit, ostendit locus Plutarchi a Schneidero citatus μὴ πατρόθεν ἀλλ' ἀπὸ μητρῶν χρηματίζειν.

Multis generationibus interjectis Sanchoniathon alios deos commemoraverat Μισὼρ καὶ Συδὺκ p. 36 A, Orell. p. 22, quorum nomina Philo Byblius, Theologi Phoeni-

nicis corruptor potius quam interpres, Graece εὔλυτον καὶ δίκαιον reddiderat. Quorum posterius uti vero proximum est, ita prius magno Bocharto placere potuisse impense miror, Syrum ܡܫܪܐ, *solutus*, huc adhibenti, quod ipse, ut puto, confinxit, mihi saltem plane incognitum. Quis vero non videt Μισώρ esse Hebraicum מִישׁוֹר, *justitia* et *jus*, quod hic egregie respondeat synonymo צֶדֶק? Sic enim pronuntiandum censeo, non צַדִּיק, sicuti, praeeunte Philone, omnes extulerunt. Illud מִישׁוֹר cum descendat a יָשַׁר, *rectum esse*, haud inepte reddas Graeco verbo εὐθύνη, vel εὔθυνσις, quatenus εὐθύνειν de justitia bene administranda universe usurpatur, unde εὐθύνειν δίκας λαοῖς dixit Pindarus *Pyth.* IV. vs. 273. Ergo vel emendandus est Philo et pro εὔλυτος reponendum εὔθυνος, i. e. judex, sive εὐθύνων, vel verbum יָשַׁר confudit cum שָׁרַר, *solvere*, contulitque formas Syriacas ܡܫܪܐ, infin. in Pehal, vel part. pass. speciei Aphel ܡܫܪܝ. Quod posterius malim, hominis stuporem etiam in sqq. agnoscens, ubi his diis egregium εὕρημα tribuit, juris justitiaeque praesidibus profecto convenientissimam, salis inventionem! Repererat scilicet in Sanchoniathonis codice phrasin mere Hebraicam הֵמָּה מָצְאוּ מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ, *Illi jus regium invenerunt*, i. e. *primum constituerunt quibus legibus Rex imperare debeat.* Vides quam bene haec adscribantur numinibus Misor et Sydyk. At acutissimus interpres loquendi formam optimam, et I Samuelis c. VIII. vs. 9 et 11 occurrentem, cum minus intelligeret, vertit quasi legisset: מִשְׁפַּט הַמֶּלַח, i. e. *ratio*, *natura salis*, et absurdam istam nobis sententiam obtrusit οὗτοι τὴν τοῦ ἁλὸς χρῆσιν εὗρον.

Inter Coeli Terraeque filios, quorum deinceps p. 36 C, Orell. p. 26, mentio sequitur, memoratur Dagon, deus Philistaeorum notissimus. Nomen illius Σίτων interpretatur Philo, et ne putemus hoc merum commentum esse interpretis vocem דָּגוֹן potius synonymum esse putantis τοῦ דָּגָן, *frumentum*, (quod grammaticae rationes ferunt) quam a דָּג, *piscis* derivantis, haec, multis interpositis, adjicit: ὁ δὲ Δαγὼν, ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος. Quae Viris doctis profecto non tantopere displicuissent, nisi firma opinio, ex frequentia numinum ἰχθυομόρφων apud Syros orta, eorum animis insedisset, Dagonem quoque in isthoc Deorum genere numerandum esse, cum ejus nomen commode a voce דָּג derivari posset, cumque superne homini similem in piscem desiisse. At nullus est idoneus auctor, qui hanc formam Deo tribuat, nisi forte Kimchio et Abarbaneli in ejusmodi rebus fidem habendam putes. Quomodo enim hoc ex noto loco I Sam. V. vs. 4,

aliis

aliis multis praeeuntibus, nuper admodum adhuc in Lexici Hebraici minoris editione altera Gesenius effingere potuerit, aut, quod dictu est melius, quo pacto tandem in verbis illius versiculi finalibus, ut nunc leguntur, satis aptus sensus reperiatur, id sane non assequor. Collocaverant Philistaei arcam in templo Dagonis e regione Dei, cujus statuam cum primum collapsam repperissent, in locum suum restituerant. At postridie non modo, ut antea, idolum coram arca humi dejectum invenerunt, sed caput etiam manusque abscissas et jacentes *in limine*, si saltem vox Hebraica et in reliquis dialectis deficiens ita reddenda sit. Verba ipsa scriptoris haec sunt: וְרֹאשׁ דָּגוֹן וּשְׁתֵּי כַּפּוֹת יָדָיו כְּרֻתוֹת אֶל־הַמִּפְתָּן; tum statim subjicit obscurum et controversum illud: רַק דָּגוֹן נִשְׁאַר עָלָיו, quod veteres ad unum omnes ita explicant, quasi truncus intactus remanserit. Sic LXX *πλὴν ἡ ῥάχις Δαγὼν ὑπελείφθη*; Vulgatus, quocum fere conspirat Arabs, *porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo;* Syrus ܘܦܓܪܗ ܕܕܓܘܢ ܐܫܬܚܪ, *et corpus Dagonis remanserat.* Chaldaeus denique לחוד גופיה אשתאר עלוהי, *tantum corpus ejus relictum fuit in eo.* Hi ergo unanimi consensu vocem *corpus*, vel *truncus*, inserunt de suo, Alexandrinis et Syro עָלָיו omittentibus. Recentiores Kimchium secuti reddere solent: *tantummodo forma piscis relicta est in eo.* Quasi vero liceret voci, quae, et hoc loco decies, et alibi semper, nomen proprium est, hic subito affingere potestatem appellativam, eamque nullis idoneis argumentis nixam, quin diserto Sanchoniathonis testimonio contrariam. Praeterea nemo linguae peritus illud עָלָיו ad Dagonem referri patiatur, quo sensu certe בּוֹ, vel לוֹ, dictum fuisset. Contra עָלָיו in praecedentibus nihil habet, quo spectet, praeter הַמִּפְתָּן. Quid vero hoc futurum est: *tantum Dagon remanserat in limine?* Sensu ista carent, nec mihi saltem dubium videtur, verba mendo laborare omnibus versionibus vetustiore. An locum correctione mea integritati restituerim nescio, hoc vero affirmare ausim, summo sententiae emolumento, mutatione fere nulla, legi posse וְדַק דָּגוֹן, pro רַק דָּגוֹן, ut ad verbum sonet: *et pulvis comminuta Dagonis super limen relicta est.* Quod vocabulum דַּק quam aptum sit rei exprimendae, ex ipso verbo דָּקַק, unde descendit, luculenter intelligitur. Vult igitur pulverem, ex diffracta, avulsis manibus et capite, statua, ut videtur, lapidea exortum in limine jacuisse et relictum esse a sacerdotibus, rem primum non animadvertentibus, vel de industria illum non removentibus. Quo probato melius etiam intelligitur sacerdotum cultorumque Dagonis superstitio, cujus vs. sq. mentio est. *Propterea in hunc usque diem, nec sacer-*

cerdotes Dagonis, nec qui illius templum intrant, limen calcant Dagonis in Aschdod. Verebantur enim ne forte aliquam particulam Numinis suis pedibus conterere et contemtim tractare viderentur. Nec majorem sane Deo reverentiam commonstrassent, si corporis sacri pulverem removissent et abjecissent. Ergo neutrum fecerunt, sed intacto limine, templum, vel cellam potius, intraverunt. Non sine caussa cellam, sive adytum, praefero. Quis enim putet templum illud adeo angustum fuisse, ut si everteretur statua, quam in intimo recessu positam fuisse credibile est, illius caput et manus casu confractae in ipso limine jacerent. Quam aedificii exiguitatem quominus cum illorum temporum simplicitate et rudi artium cultu conspirare existimetur, prohibet narratio de aede Dagonis quae exstat Jud. c. XVI. vs. 27, ubi in solo tecto tria millia hominum congregata fuisse dicuntur. Praeterea etsi arca Dei non dicitur fuisse posita *e regione* Dagonis, sed *apud* (אצל) Dagonem, rationi tamen consentaneum est, ut existimemus illam, ut donarium Deo oblatum, *coram facie*, non *a latere* Dagonis fuisse collocatam, quod etiam significare videtur illud, quod ibidem legimus, Dagonem *cecidisse in faciem coram* (לפני) *arca Jehovae.* Atqui tum media stetisset inter limen et statuam, quae in tantis templi angustiis necessario in ipsam arcam incidisset. Erunt igitur fortasse qui aliam vocis מפתן notionem circumspiciant, nixi loco Zephanjae c. I. vs. 9, ubi de tripudiante על המפתן sermo est, et longe aptior esse videtur potestas *soli*, sive *pavimenti*, quam *liminis*. At hanc tuetur adjuncta observatio de Dagonis cultoribus superstitionis caussa non calcantibus על המפתן, quod de *solo* intelligi non potest. Quapropter hoc restat, ut statua Dagonis in cella, vel adyto, quod cum sancto sanctorum compares, posita fuerit, arca autem in sancto, sive pronao, ante januam, aut velum, adyti steterit, ut Dagonis simulacrum, humi procumbens, illam adorare videretur. Jam si quaeras qua de caussa Dagoni potissimum arcam ut ἐπινίκιον obtulerint, videtur sane ista religio Dei, alias non admodum celebrati, Philistaeis primaria fuisse: nam tota gens capti Simsonis gratia Dagoni imprimis sacra fecit (Judicum l. l. vs. 23). Nec immerito insigni honore coluere Δία ἀρότριον, ipsi culturae agrorum deditissimi, ut ex Jud. c. XV. vs. 5 intelligitur. Cum vero etiam aliis numinibus spolia hostium consecraverint, quod ex Saülis armis in templo Astartes suspensis constat, I Sam. c. XXXI. vs. 10 (quam deam, ut conjicio, Cypriorum instar, ut Venerem ἔγχειον, *hastatam*, *bellicam*, coluere. Cf. Hesych. v. Ἔγχειος) aliam hic caussam latere arbitror ex eô repetendam, quod Δία ἀρότριον, ut ipsi quidem existimabant, Hebraeorum,

 op-

opponerent suo. Quae istorum hominum opinio primum ex eo colligitur, quod arcam dimittentes, Jehovae consecravere mures agrestes aureas, agrorum suorum ab istis animalibus vexatorum vastationem illius irae adscribentes. Confer Graecam versionem et vulgatam ad I Sam. c. V. vs. 6, ubi multa verba ex textu Hebraeo exciderunt, item I Sam. c. VI. vs. 4 et 5, tum vs. 18, cujus loci corruptio tollitur, si pro וְעַד אָבֵל הַגְּדוֹלָה, ex vs. 14 et 15 restituas הָאֶבֶן הַגְּדוֹלָה. Hoc enim malim, quam nonnullorum interpretum exemplo אבל de *loco herboso* explicare, cum Alexandrini jam אבן legerint, ועד autem facillime ex praecedentibus a librario sit repetitum. Si quis tamen vulgatum retineat, saltem האבן post אבל inserendum esse fatebitur. Haud vero scio an non confirmetur eadem suspicio de Jehova cum Jove ἀροτρίῳ confuso ex Sanchoniathonis verbis, occurrentibus p. 35 D, Orellii p. 20, ubi de diis geminis sermo est: ὧν ὁ μὲν Ἄγρος ἐκαλεῖτο, ὁ δὲ Ἀγρούηρος ἢ Ἀγρότης, οὗ καὶ ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ, παρὰ δὲ Βυβλίοις ἐξαιρέτως θεῶν ὁ μέγιστος ὀνομάζεται. In quibus, etsi mirum in modum corruptis et deformatis, Scaliger l. l. p. 38 et Bochartus in *Canaän* L. II. c. 2, p. 706, non sine aliqua veri specie mentionem quaesiverunt τοῦ אל שדי, ut nempe שַׁדַּי cum שָׂדַי, *ager*, confusum sit. Quo accedit quod ναὸς iste ζυγοφορούμενος cum arca foederis portatili conferri possit. Interim huic conjecturae quamvis ingeniosae nec fidem abrogo, nec plus quam par est ipsi tribuo, cum si vera sit, forsitan ex solius interpretis Philonis, non item Sanchoniathonis et Phoenicum, errore aestimari oporteat. De Dagonis religione ex Sanchoniathone et Samuelis loco disputavimus. Nunc de eodem nonnulla addamus ex Babylonica mythologia, vel cosmogonia. Ex hac igitur, si bene conjicio, primum discimus etiam hic, ut in multis aliis, dualismum valuisse et Dagonem marem fuisse et feminam. Sic sane explicem locum Damascii *de Principiis*, in *Anecd.* Wolfii T. III. p. 258, ubi Δαχὴν καὶ Δαχὸν ait genitos esse ex duobus principiis Ταυθὲ et Ἀπασῶν (An תְּאוּתָא, coll. Hebr. תַּאֲוָה, *desiderium*, et חֶפְצוֹן, *cupiditas vehemens*, coll. חֵפֶץ, ut sint πόθος καὶ ἔρως, nota principia?) Accedit alius Berosi locus, apud Syncellum p. 39 et in Eusebio Armeniaco p. 6, ex quo fortasse efficiatur, Dagonem, etsi de illius forma, neque ex nomine, neque ex scriptoris Hebraici verbis, quidquam tuto colligas, revera in piscem desiisse, eamque speciem bene quadrare in Δία ἀρότριον, generisque humani ad meliorem vitae cultum doctorem. Nempe fabulabantur olim ex mari Rubro emersisse monstrum quoddam ex homine et pisce mixtum, nomine Ὠδά-

'Οδάκων (an fuit הודגון, pronuntiatum more Syro *Hodagon*, ut in ܗܘܕܓܘܢ?) quod homines accuratius edocuerit, quae antea illis aliud monstrum Oannes tradiderat, cum ad omnem humanitatem, tum ad σπέρματα καὶ καρπῶν συναγωγὰς spectantia. Vide Syncell. p. 29, Euseb. Arm. p. 9.

Haec de Dagone ejusque religione obiter observanda esse putavimus; nunc adhuc de Deorum nominibus, quae ex Phoenicia theologia nobis conservavit Porphyrius, vel in illius fragmento Eusebius l. l. p. 40 B, Orellii p. 42, breviter videndum est. Ait enim iste multis post Deum Taautum generationibus duo numina fuisse, Deum Σουρμουβηλὸν et Deam Θουρὼ, quae mutato nomine Χούσαρθις appellata est, pro quibus in Orellii editione male Σαυρμουβηλὸς et Χρούσαρθις legitur, qui κεκρυμμένην τοῦ Τααύτου καὶ ἀλληγορίαις ἐπεσκιασμένην τὴν Θεολογίαν ἐφώτισαν. In Θουρὼ quivis statim תּוֹרָה, i. e. *lex sacra*, agnoscit, Syriaco more pronuntiatum, quae egregie etiam et significanter Χούσαρθις, i. e. חֹשֶׁרֶת, vocatur, q. d. ἡ συνοικίζουσα, *homines in civitatem congregans*, ex potestate verbi Arabici حشر, *congregavit*, cujus vestigia adhuc in derivatis apud Hebraeos supersunt. Tum Σουρμουβηλὸς compositum censeri poterit ex שׁוּר, partic. formae מוּשׁ, a שׁוּר, *videre*, *contemplari*, imprimis *benigno aspectu et clementi*, et מוּבָל pp. part. in Hiphel a יבל, *producens*, *gignens*, hinc terra *fecunda*, ut synonymum illius תֵּבֵל, ut sit: *terram benigno adspectu contemplans;* quamvis etiam שׂוֹר esse possit part. a שׂוּר, *dominari*. Tum significabit *dominum fecundatorem*, vel *generatorem*, si מוּבָל illius vocis sit adjectivum. Melius vero respondebit Deus iste sociae suae Legi, homines congreganti, si שׁוּר referri posset ad aliud שׁוּר, quod, quantum ex derivatis Hebraicis et Arabicis perspicitur, notionem habuerit *ordinandi*. Sic Surmubelum, *mundum ordinantem* Anaxagorae verbis τὸν νοῦν appelles, ὃς ἐλθὼν, πάντα διεκόσμησεν. Est vero admodum memorabile l. l. Damascii citari numinum Babyloniorum par, quorum nomina plane respondeant *Surmubelo* et *Chusarthi*, nempe Κισσάρην καὶ Ἄσσωρον, i. e. חַשָּׁרָה, intensivum a חֹשֶׁרֶת, et חַשּׁוֹר, tum paullo post p. 260, ex Mochi Phoenicis mythologia deum allegari, nomine Χουσωρὸς ἀνοιγεὺς, filium Οὐλώμου, (i. e. הָעוֹלָם, *mundus*), qui itidem cognatus est deae Χούσαρθις. Nempe haec explico חֹשֵׁר הַנֹּגֵשׂ, ὁ βασιλεὺς συνοικίζων, vel, si hoc praefers חַשּׁוֹר, quod perinde est. Ambo enim vi formae participialem significationem habere possunt. Vox rarior נֹגֵשׂ apud Hebraeos notat *imperantem*, unde solennis titulus regis Aethiopici *Negus*.

 Ad

Ad finem perductis nostris in Sanchoniathonis et Porphyrii fragmenta observationibus, ad ea pergimus nomina propria Phoenicum, Poenorum et Cypriorum, quae a Viris doctis neglecta, vel infeliciter tentata, nisi omnino certam, at probabilem tamen explicationem, habere videntur. Quibus deperditae linguae reliquiis accensere non dubitavimus eorum quoque Regum Pastorum nomina, qui Aegyptum per longum tempus obtinuere et Hyksos appellari solent. Quod enim alii, ut ante diximus, illos Arabes appellant, alii Phoenices, id non est ejusmodi, ut nobis ullam dubitationem injiciat: cum simpliciter ostendat Canaänaeos, vel Phoenices, quo tempore Aegyptum invasere, se a gente Arabica, cujus stirps et propago erant, nendum segregasse et illius tribubus permixtos, adhuc in ipsa Arabia nomadicam vitam egisse, qua in regione ad mare Erythraeum veteres eorum sedes etiam collocat Herodotus L. I. c. 1, et VII. c. 89, ubi vide Wessel. et ad priorem locum Schweighauserum, item Michaëlem in *Spicil. Geogr. Hebr. ext.* P. I. p. 168 sqq., quibus adjici haud immerito poterit Cononis apud Photium Cod. 186 testimonium, *narrat.* 40, Cepheum regem Phoeniciae, illius vero imperium porrectum fuisse testantis ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάσσης μεχρὶ Ἀράβων τῶν πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ᾠκημένων. Nec minus ad nostram rem spectat, quod idem *narr.* 37 tradit, caput regni Phoenicum, Cadmi tempore (?) Thebas Aegyptias fuisse; hoc enim luculenter confirmat illam de Phoenicia origine τῶν Hyksos opinionem. Eodem bene retulit Mignotius Dissert. II de Phoenicibus, *Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXIV. p. 129, celebrem illam de raptis a Phoenicibus Thebeënsium sacerdotibus duabus, in Africam Dodonamque delatis, narrationem ab Herodoto L. II. c. 54 sqq. proditam. Ergo hic etiam regum istorum nomina ex Hebraismo explicare tentaverat, quamvis hoc ipsi minus feliciter cessit. Imprimis vero eam ob caussam laudandus est, quod primus omnium suspicatus sit, Canaänaeos, Palaestinae incolas, ex Aegypto venisse, et ipsos esse Hyksos ab Aegyptiis libertatem suam recuperantibus expulsos: quam conjecturam hinc confirmat Manethonis asseveratio, Pastores ejectos in Syriam secessisse, illinc comparatio nominis oppidi tractusque vicini גשן in Palaestina australi, quam ingeniose conjecit Mignotius l. l. p. 128 veterum in Aegypto sedium memoria sic a Canaänaeis esse nuncupatam. At vero intra nimis angustos cancellos rem circumscripsit Mignotius p. 103 sq., ex Gen. c. XII. vs. 6, et c. XIII.

vs.

vs. 7 colligens duas tribus cum maxime, nempe Canaänaeos pp. ita dictos et Pheresaeos, et hos quidem eo temporis intervallo, quod inter Abrahami adventum in Palaestinam et separationem a Loto effluxit, ex Aegypto venisse in Syriam. Quidni potius existimemus omnes istas Phoenicum tribus, aut plerasque, qui Palaestinam tenuere, Aegypto excessisse, sed diversis temporibus et intervallis, alios ante, alios post Abrahami e Chaldaea migrationem, diuturno isto bello cum Pharaonibus dynastiae XVII et XVIII, quod per plures generationes duravit, vexatos. Sensit rem quodammodo ipse Mignotius p. 138. Quae observatio sola explicat cur ista gens, quam Aramacae, Hebraeae et Arabicae sororem fuisse ipsa lingua manifesto demonstrat, ubique in Vet. Test. ad Chami posteros referatur. Venerant scilicet omnes, aut plerique, ex terra *Čham*, vel *Chemi*, i. e. Aegypto. Hinc illi, nulla ratione habita originis, apud Hebraeos, qui postea demum in Palaestinam concesserant, Chamitae existimati sunt. Hinc pariter falsa origo Philistaeis tributa, quos ad Phoenices pertinuisse constat. At nihilominus illi per Caphthoracos et Casluchaeos derivantur ab Aegyptiis. Causam si quaeris, hanc in eo positam reperies, quod a Phoenicibus, *summam rerum in Aegypto obtinentibus*, et hominum multitudine laborantibus in Caphtor, (Cretam) emissi sint, deinceps in Palaestinae litus redierint, ignota de caussa, sed forte a fratribus ex Aegypto ejectis in subsidium vocati. Quae gentis Philistaeae migrationes quam vetustae sint, ex eo colligere est, quod sub Abrahami in Palaestinam adventum, jam regni sedem Gerare haberent: etsi fortasse hoc aliquis haud male sic explicet, alios Philistaeae tribus Phoenices per mare longinquas sedes quaesivisse, et serius rediisse in Palaestinam, alios per tractus litorales eodem adscendisse. Sed hoc ad nostram disputationem perinde est, illud majoris momenti, quod Arabum traditiones veram originum populi Phoenicii notitiam, apud Hebraeos obscuratam, adhuc conservasse videantur. Nam primum illi Canaänem Semi filium faciunt, ut inter alios diserte affirmat auctor Lexici Geographici v. كنعان, tum Abulfeda in excerptis ad calcem *Speciminis Hist. Arab. Pocockii*, ed. White p. 464, Amalekitas, quos recte Canaänaeos adhuc nomades, in Arabia degentes, existimaverat Michaëlis in *Spicil. Geogr. Hebr. exter.* T. I. p. 170—177 et alibi, hos igitur facit pariter Semi posteros eorumque partem, quae Palaestinam insederat, a Josua debellatam esse dicit: ex his affirmat denique Aegypti Pharaones ortos esse: quod postremum a Forstero etiam probatum (vide idem *Spicil.* T. II. p. 9), quam egregie conspiret cum nostra de Hyksos sententia cuivis in oculos incurrit. Haec obiter de Phoenicum origine disserenda esse existi-

 ma-

mavi, ut multorum consensu argumentorum luculentius probaretur, Pastorum Aegypti dominatorum stirpem vere esse Phoeniciam, eorumque adeo titulos ex Semitica lingua esse explicandos. Nunc ad ipsam nominum propriorum seriem evolvendam et interpretandam pergimus.

Abbarus (Ἄββαρος), summus pontifex et judex Tyriorum apud Josephum *contra Apionem* L. I. c. 21, T. II. p. 452 edit. Havercampi. Mignotius in dissert. XV de Phoenicibus, *Mémoires de l'Acad. des Inscr.* T. XXXVIII. p. 126, hoc nomen explicat per Hebraeum אביר, *fortis*, *potens*. Meo sensu accuratius respondet vox חבר, نفثا, *magus*, *incantator*, *veneficus*, quod aptum sane sacerdoti nomen esse potuit.

Abdaeus (Ἀβδαῖος), pater Chelbae judicis Tyriorum, apud Josephum, ibidem. Videtur illud nomen, vel plane idem esse ac nomen prophetae עבדיה, *servus* τοῦ *Jah*, vel *Jehovae*, qui in MS. Alexandrino LXX Interpretum appellatur Ἀβδιοὺ vel Ἀβδιοῦ, vel, quod eodem redit, scriptum fuisse עבדיה, vel etiam עבדי, i. e. *servilis*, *obsequens*, cum terminatione adjectiva Chaldaica, quae scriptio certe nomen Graecum Ἄβδαιος accurate exprimit, et mentionem Jehovae, quam in Phoenicio nomine forte minus exspectes, tollit. Quamvis ista objectio apud me quidem minus valet, Dei Ἰαὼ memorem, vetusto illi Sanchoniathoni haud ignoti. Nec sane video quidni illi homines superstitiosi Jehovam Israëlitarum Deum, cujus potentiam saepe senserant, cum suis numinibus conjungere, et pari honore afficere potuerint. Quo hoc pertinere arbitror, quod Hiramus Tyri Rex, Davidis amicus, cum Salomonem patri successisse audivisset, exclamat: *Benedictus sit Jehova, qui Davidi filium sapientem dedit ad magnum istum populum regendum.* Quamvis enim ista verba ostendant eum veri Dei numen summa veneratione prosecutum esse, vel sic tamen, uti recte observat Mignotius Diss. XIV. p. 92, ex templis, quae cum aliis Diis, tum Herculi et Astartae exstruxit (Joseph. l. l. c. 18. p. 449) satis perspicitur eum Phoeniciam superstitionem minime deseruisse. Quodsi accuratius in rem inquiras, ipsi Veteris Testamenti libri tibi exempla offerent nominum propriorum, cum Canaänaeorum, tum aliorum hominum, ad gentem Israëliticam minime pertinentium, quibus vocula יה adjecta sit. In his primum locum assignare non dubito voci אוריה, *Uriah*, i. e. *lux Jehovae*, quod nomen inter alios habuit Bathsebae maritus, Hethita. Verosimile esse fateor, hunc Davidis heroibus et satellitibus annumeratum, Mosaïca sacra amplexum esse, at, si hoc fecit ipse, parentes, a quibus nomen accepit, hoc certe non fecerunt, et Israëlitis ignoti erant: pa-

patris enim nomen, alias ubivis nominibus pp. adjunctum, nusquam memoratur. Ergo, nisi quis probet, idem Judaeis placuisse quod postea Arabibus Moslemis, ut qui religionem suam amplecterentur, etiam nomen mutarent, *Uriah* nomen fuisse credam inter Canaänaeos quoque receptum. Idem censeo de Jebusaeo אֲרַנְיָה, i. e. *capra Jehovae*, vel *capra eximia*, II Sam. c. XXIV. vs. 18 in Kethib, nam in Kri est אֲרַוְנָה, uti in vs. 16, ubi Kethib habet האורנה; alibi I Chron. c. XXI. vs. 15, et II Chron. c. III. vs. 1, scribitur אָרְנָן. Tertium exemplum est, quod inter captas urbes tribui Judae a Josuae assignatas Jos. c. XV. vs. 28, reperiatur una בִּזְיוֹתְיָה, i. e. ut puto, *liberationes*, *redemtiones Jehovae*, q. d. *a Jehova liberata*, coll. בזו Aethiopico, פצה Hebraeorum, Chaldaeorum, et Samaritanorum, et فَصَى, *liberavit*, *eripuit*. Quartum exstat in טוֹבִיָּה, Ammonitae, Judaeorum inimici, nomine apud Nehemiam c. II. vs. 10, c. IV. vs. 1. Aliud forte exemplum latet in Ἰανίας, quod vide inferius. Potest igitur ferri in Phoenicio etiam homine et pagano nomen עֲבַדְיָה, etsi עַבְדִּי verosimilius existimem, nisi forte alia etiam praeferatur nominis etymologia, de qua inferius in voce Γαύας sermo erit.

Adicran (Ἀδικράν). Rex Libyum, in agro Cyrenaico degentium, aequalis Apriae, sive Pharaonis Hophrae, Aegyptii. Vide Herod. L. IV. c. 159. Nomen si Semiticum sit, significare poterit *ornamentum potestatis*, vel *seculi*, si mihi assentieris illud scribenti עֲדִי קֶרֶן et explicationem, vel ex significatione Hebraica vocis קֶרֶן, *robur*, *potestas*, *dignitas*, repetenti, vel ex Arabica lingua, in qua قَرْن, a pp. potestate *cornu*, ad *aetatem* significandam transfertur, quippe quae ex cornubus agnoscitur; tum ad γενεὰν et seculum extenditur.

Aërias, Paphii templi, Veneri coelesti dicati, conditor, teste Tacito *Annal.* L. III. c. 62, et Histor. L. II. c. 3. Nominis ratio dubia est. Num comparandum הָאֲרִי, *leo*, et confirmanda conjectura ex similium nominum collatione, ut לַיִשׁ, *Leo*, *Arslan*, quod Turcis solenne est? An potius confugiendum ad nomen, quod pressius etiam respondet, הָעֵרִי, ὁ θυρωρὸς, *vigil excubans*, vel *qui ad vigiles pertinet*. Id nomen proprium servatum est Genes. c. XLVI. vs. 16, at sine articulo.

Agbalus (Ἄγβαλος), Merbalis, regis Aradii pater, apud Herod. L. VII. c. 98. Nomen procul dubio est compositum, etsi haud injuria dubites, utrum in *ag* et *bal*, an in *agb* et *al* dividendum sit. Si prius placeat, scribendum erit חַגְבַּעַל, *festivitas Baälis*, quod componi posset cum חַגִּיָּה, I Chr. c. VI. vs. 15, si illud, praeëunte

Ge-

Gesenio, explicandum sit, *festum Jehovae.* Sed neutrum mihi videtur satis aptum hominis esse nomen. Quapropter חַגִּיָּה, eodem Viro doctissimo conjiciente, femininum vocis חַגִּי habere et *festivum* explicare malim, aut componere ex חַגִּי et יָהּ, ut fit *festum celebrans Jehovae*, vel *exultans Jehova.* Nominis *Agabi* prophetae, in Act. Apost. c. XI. vs. 28, et c. XXI. vs. 21 memorati, si nonnullorum sententiam secutus, illud derivare velis a חַגְאָב, *festivitas*, vel *exultatio*, *patris*, longe diversa ratio est, quae isti explicationi vocis *Agbalus* tuendae inservire non possit. Nam filius ex voto, vel insperato, natus potest apte dici *exultatio patris*, non item *Dei*, qui ipsum parentum precibus concesserit. Praeterea nomen *Agabus* alias etiam explicationes admittit. Poterit enim derivari a חָגָב, vel חֲגָבָא, vel חֲגָבָה, *locusta*, quae in nominibus propriis Veteris Testamenti exstant, vel ab Arab. عَجَب, *gratia*, *beneplacitum Dei*, quod Hebraei efferunt in plur. עֲגָבִים. Hoc ipsum quaeram in *Agbalus*, ut sit עֲגָבְאֵל, *gratia*, *beneplacitum Numinis*, et synonymum fere habeatur nominis *Hannibal.*

Agyris (Ἄγυρις), Rex Cypri, cujus Persarum partibus addicti et ab Euagora interfecti apud Diodorum Sic. L. XIV. p. 716 mentio est. Graeca scriptio, vel ex חָגוּר, *cinctus*, vel ex אָגוּר, i. e. *collector*, aut *qui studio sapientiae se applicat*, coll. Proverb. c. XXX. vs. 1 et Syriaco ܥܓܘܪ, vel denique ex voce obscura עָגוּר explicanda est, de qua duplici tantum loco servata, dubitant utrum *gruem*, an aliam avem migrantem significet. Insignis hac de re locus est Bocharti in *Hierozoïco* P. II. L. I. c. XI. p. 78 sq., qui huc etiam traxit glossam Hesychii Ἀγόρ. ἀετός. Κύπριοι, reponens Ἀγόρ. γερανός. Κύπριοι, quasi γερ a postrema syllaba vocis ἀγόρ absorptum, ανος autem deinceps in ἀετὸς mutatum esset. Quae emendatio ingeniosior est quam verior. Nullam enim caussam videmus, cur Hesychii verba cum locis Biblicis, in quibus de עָגוּר sermo est, componamus: cum alia etiam explicandi ratio adsit. Nam ἀγὸρ apte derivari potest ab הַגָּר, vel cum Phoenicio articulo אַגָּר, i. e. *raptator*, *lacerator*, partic. verbi גָּרַר, quod in diall. Chald. Syr. et Arabica *rapiendi*, *raptandi*, *trahendi*, *lacerandive* sensu superest. Hoc epitheton uti aquilae aptissimum est, ita etiam viro, ut haec forsitan omnium optima interpretatio sit vocis *Agyris.* Vide Simonem in *Onomastico Veteris Testamenti* p. 588 sq., ad vocem כַּרְכַּס, quae Persice *aquilam* sonat, et unius aulicorum Ahasveri nomen est, Esther. c. I. vs. 10.

Ama-

Amaracus. Cinyrae regis filius, vel servus, cujus apud Pomponium Sabinum et Servium ad Aeneïdis L. I. vs. 697 mentio est. Videtur esse הַמַּעֲרָךְ, *ordinatio*, *dispositio*, ut respondeat feminino nomini הַמַּעֲרָכָה, quod supra in Babylonico Ὀμορῶκα latere significavimus.

Anysus (Ἄνυσος), Tetramnesti Sidoniorum regis pater, apud Herod. L. VII. c. 98. Facile cuivis in mentem veniat comparatio vocis אֱנוֹשׁ, quam mihi tamen minus arridere fateor. Num forte compositum nomen est חֵן עֲזִיז, vel עֻזּוֹ, *gratia Martis*, vel *Azizi*?

Ao (Ἀῶ). Adonidis nomen apud Cyprios. Idem videtur quod Γαύας, de quo vide inferius.

Apachnas (Ἀπαχνὰς, Ἀπαχνᾶς et Παχνᾶν), tertius rex τῶν Hyksos, sive Pastorum, qui Aegyptum inferiorem tenuerunt. Vide Joseph. l. l. c. 14. p. 445, et Syncell. p. 61 et 108. Mignotius Dissert. II. (*Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXIV. p. 113 sq.) existimat illud esse פְּאַת כְּנַעַן, *Princeps Canaänaeorum*, catenus recte, quod in χνας, vel χναν, quaesivit כנען, nam hoc in Χνᾶ mutasse Graecos ex Philonis Byblii apud Eusebium fragmentis p. 39 D, p. 40 Orellii, constat. Quid vero illud פֵּאָה sibi velit non exputo. Forte פַּחַת scripserat, in statu constr. a פֶּחָה, *satrapa*. Sed hoc Chaldaicum, vel Persicum, et recentius est, quam ut ad antiquissima regum Pastorum tempora referatur. Nobis praeplacet interpretari vocem per חֹפֵה כְּנַעַן, *defensor*, *propugnator Canaänaeorum*. Radicem enim חָפָה, ut vicinum חָפַף, *protegendi*, *tutandi* notionem habuisse ex pass. Pyhhal Jes. c. IV. vs. 5 intelligitur.

Apophis (Ἀπώφις, Ἄφωφις, vel Ἄφοβις), praecedentis regis successor. Vide auctt. ll. In Coptica lingua ⲁⲫⲱⲫ est *Gigas*, quod ansam dedit Mignotio l. l. p. 114, ut similem potestatem in verbo אָפַף, *circuire*, quaereret, et hinc Ἄπωφις repetendum existimaret. Sed voces Aegyptiae cum Semiticis haud satis tuto comparantur; nec verbum אפף huc magis pertinet, quam radix חבב, a cujus part. חָבוּב, *dilectus*, nomen Ἄπωφις repetivit teste Mignotio Bochartus, cujus tamen explicationem nusquam reperio. Vera nominis origo quaerenda videtur in vocibus Phoeniciis אָב חֹפֵה, *pater tutelaris*. חֹפֵה participium est derivatum ab eodem verbo חָפָה, de quo vidimus paullo ante in voce *Apachnas*. Utrobique Cheth in simplicem vocalem abiit.

Archles (Ἄρχλης), quem inter reges Pastores penultimo loco ponit Africanus, ultimo Eusebius (cf. Syncell. p. 61 sq.) non sine veri specie a Mignotio l. l.

 p.

p. 116, idem existimatur atque Azizus, quem extremum horum Principum facit Manetho apud Josephum l. l., a Syncello bis memoratum, primum sub Certi, tum sub Asethi nomine p. 123. Quam conjecturam haud leviter confirmat Syncelli oscitantia. Septem quippe Pastorum reges apud eum enumerantur: Σιλίτης (p. 104) Βαίων, Ἀπαχνᾶς, Ἄφωφις (p. 108) Σέθως, Κήρτος et Ἀσήθ (p. 123) etsi ipse p. 104 moneat Siliten sex Principum Dynastiae XVII primum esse, et Manetho totidem, non plures, noverit. Sed ipsa quoque nomina ostendunt unum eundemque sub quatuor titulis *Archles*, *Aseth*, *Azizus* et *Certus* latere. Nempe *Archles* non est ortum, ut Mignotio placuit, ex עור, vel ער, *vigilans*, et קל, *levis*, *agilis*, sed ipsum est nomen Ἡρακλῆς, i. e. הרכל, *circumiens*, *terram peragrans*, hinc *mercator*, quod verum Herculei nominis etymon esse dudum alii viderunt. Aliud ejusdem Dei epitheton מלקרת, sed initio mutilum, latet in *Certus*, quod jam agnoverat Mignotius, et voce *Carthalo* inferius explicanda confirmabitur. E reliquis *Azizus* (עזיז), *fortis*, *robustus*, *potens*, simpliciter est epitheton, Numini non minus, quam Regi, qui ab eo appellatur, aptum, ut plenum nomen fuerit הרכל עזיז, vel מלקרת עזיז. *Aseth* denique mihi videtur positum in statu constr., et cum *Certo*, vel *Melcartho* praecedente conjungendum, ut sit עזת מלקרת, *potentia*, vel *majestas*, *Melcarthi*.

Armes. Sic Valerius Antias, teste Livio L. XXVI. c. 49, Punici apud Carthaginem novam praesidii praefectum appellavit, quem alii Magonem vocant, quorum discrepantiam sic concilio, ut Mago proprium nomen fuerit, *Armes*, vel potius *Arimes*, (in aliis enim libris legitur *Arines*) cognomen, qualia in tanta nominum pp. apud Poenos paucitate multa fuisse supra demonstravimus p. 9. Jam חרום apud Hebraeos, חרים apud Chaldaeos, *simum* notat. Hoc igitur cognomen, quo Mago a tot aliis, aequalibus suis, distinguebatur, quodque inter nomina pp. Hebraeorum adhuc superest, Valerius Antias pro vero nomine habuit. Ejusdem rationis est cognomen *Hoedi*, quod Asdrubal Poenorum ad Romanos legatus gessit. Hoedis enim nares simae maxime propriae sunt.

Aserymus (Ἀσέρυμος) Tyriorum rex est (apud Josephum l. l. c. 18. p. 449), quem Theophilus Antiochenus L. III. p. m. 254 Ἀθάρυμον et Syncellus p. 183, locum Josephi exhibens, Ἀσθάρυμον appellavit. Eandem scribendi rationem sequitur Eusebius Armen., p. 82. Quae Syncelli cum Eusebio comparatio simplicis tantum testimonii vim habet, cum Syncellus procul dubio Eusebium, cujus vestigia seque-

ba-

batur, non Josephum, exscripserit. E Viris doctis, qui nominis formam indagare conati sunt, Scaliger in *Canonibus Isagogicis* p. 154, et *Proll. ad* Libr. *de Emend. Temp.* p. 38, *Aserymus* praefert, illud Hebraicis literis scribens חצרים, quo quid spectaverit, nec ipse dixit, nec ego conjectura assequi possum. Eandem quoque scripturam *Aserymus* probat Mignotius, Diss. XIV. (*Mém.* etc. T. XXXVIII. p. 98), sed reputans literam A τῷ Aleph et Cheth (quin et τῷ Ain) literam S vero τῷ Zain, Samech, Tsade et Schin respondere posse, ab omni conjectura abstinet. Gesenius vero amplectitur lectionem *Astharymus*, eamque pp. עשתרים sonare censet *Gesch. der Hebr. Spr. und Schr.* p. 229. Quod quamvis verissimum esse putamus, at alteram tamen lectionem Ἀσέρυμος, in omnibus, quotquot collati sunt, Josephi codicibus, hodieque repertam, cur repudiemus caussa nulla est, cum plane synonyma sit τῷ Ἀσθάρυμος, modo scribatur id quod rei ratio demonstrat אשרים, quod per ellipsin vocis אלהים de diis fausti ominis, felicitatis auctoribus, i. e. *Baäle* et *Astarte*, vel Jovis et Veneris stellis, sumi poterit, quae alias appellatae fuisse videntur עשתרים. Superius in Inscriptionis Melitensis I explicatione obiter a nobis observatum est nonnulla Chronicorum loca, in quibus אשרים occurrat, ex subintellecta voce אלהים exponenda esse videri. Quam conjecturam confirmat haec nominis proprii comparatio, in quo vocabula פְּסִילִים, נְסָכִים, עֲצַבִּים, vel צְלָמִים, quae alias ad vocem אשרים commode per ellipsin adhibentur, suppleri non possunt. Quod si quis putet אלהים אשרים de sola Astarte usurpari potuisse, cum אלהים de deabus etiam dicatur; respondeo אשרים numquam conjungi cum בעלים, etsi alias בעלים cum עשתרת frequentissime, et semel cum אשרות, componatur, idque argumento esse, vocem אשרים utrumque Numen, et masculum et femineum, complecti. Idem censeo de synonymo illius עשתרים, quod etsi nusquam in V. T. occurrat, tamen exstitisse verosimile est, sive consideres nomen Ἀσθάρυμος, sive huc adhibeas verba a Gesenio lecta in Inscr. I. Citiensi vs. 2, בתי לעשתרן, *templa Astartarum.* Cum enim nullis exemplis hucusque constet formam femininam pluralem absolutam Syrorum Phoenicibus cognitam fuisse, malim efferre לְעַשְׁתְּרָן, in mascul., quam לְעַשְׁתְּרָן in femin. plurali, qui si revera in ista dialecto exstitisset, forma defectiva plur. masculini ן, quae a fem. plur. distingui non poterat, studiosius evitata fuisset. Jam etsi etymon vocis עַשְׁתֹּרֶת, vel עַשְׁתָּרָה obscurum sit, tanto libentius tamen adstipulor Gesenio, illam origine haud diversam a ستارة, Pers. ستاره, אַסְתֵּר et ἀστὴρ esse putanti

 (qui-

(quibuscum formâ ܒܠܬܝ, sensu ܟܘܟܒܬܐ, conspirent, de stella Veneris dicta), quanto magis masc. sing. עַשְׁתַּר, de cujus plurali vidimus, quodque infra in v. *Bostar*, recurrit, ad אסתר et ἀστὴρ sono accedat. Ergo עשתרים sunt stellae κατ' ἐξοχὴν bonae et faustae, nempe Jovis et Veneris, et si quae aliae bonam fortunam hominibus conciliare putabantur. Idem notare potest Theophili Ἀθάρυμος, ortum ex Syriaca scriptione אֶתְרִים, pro אשרים. Vide supra p. 112. Nec quisquam sane mirabitur deorum nomen hominibus tribui, qui meminerit Hamilcaris, Melicertae, Astarti regis Tyrii, item Archlae illius, paullo ante memorati, qui omnes numinum appellationibus insigniti sunt: nisi forte in his vox עבד supplenda sit, brevitatis caussa non tam a librariis, quam ab ipsis jam Phoenicibus, vulgari usu omissa, quod neminem lateret deorum titulis ad homines translatis vocem *servus* praeponendam esse. Exemplum rei habemus in nomine *Abdalonimi* (עבד עלונים), regis Sidonii, sive Paphii, apud Just. L. XI. c. 10, et Curtium L. IV. c. 1. quem Plut. *de fort. Alex.* Orat. II. p. 340 D, *Alynomum* (עלונים) appellat. Postremo hoc quoque diluendum restat, quod haud absurde quisquam objiciat, Eusebium Josephi locum, Syncellum Eusebium exscripsisse, si quod ergo discrimen sit in nominibus regum, id non ex eo esse repetendum, quod isti pluribus titulis insignes fuerunt, sed ex librariorum errore, neque adeo ambas lectiones, sed alterutram tantum probandam esse. Nos contra animadvertimus, Graecos Phoeniciae historiae auctores fuisse complures, in his Dium, Hypsicraten, Menandrum, Philostratum; verosimile autem videri hos omnes non unam eandemque rationem in regum Phoeniciorum nominibus describendis esse secutos, sed ex multiplici titulorum varietate, quae Orientalium Principibus solennis est, alios alium elegisse et diversas etiam traditiones expressisse: ex harum vero varietatum comparatione unum alterumve Josephi codicem correxisse antiquissimos lectores, vel librarios, et talem denique codicem ante oculos habuisse Eusebium. Quod non eo pertinet ut omnes nominum scripturas in Eusebio et Syncello tueamur, sed ut non omnes repudiemus. Hoc enim eo minus faciendum putamus, quo majorem hac in re librariorum diligentiam et constantiam ostendunt Josephi codices, et singularis Eusebii Armeniaci in plerisque regum Tyriorum nominibus cum Syncello, in Judicum vero, sub Babyloniorum auctoritate regnantium, quos Syncellus ignorat, cum Josepho convenientia. Cf. Eusebii versionem p. 82 sq. cum Syncello p. 183, et eandem p. 35 cum Josepho L. I. *contra Ap.* c. 21, p. 452.

Badezorus (Βαδέζωρος), rex Tyrius, successor Ithobali patris, frater Izebelis Israë-

Israëlitarum reginae, Joseph. l. l. p. 449, quem Theophilus Antiochenus l. l. Βάζωρον, Syncellus Βαλζέρον, Eusebius Armeniacus *Balelorum* appellat. Postrema lectio etsi facillima sit explicatu, sine ulla dubitatione corrupta est. Nam *Balelor* respondet quidem verbis Hebraeis בעל אל אור, *Baäl deus lucis*, sed revera ortum est ex *Balezor*, quod in nonnullis Josephi libris lectum fuisse etiam illud Βάλζερος Syncelli demonstrat. Illud ex comparatione nominis haud ita multo ante occurrentis Βαλεάζαρος ortum videri potest, nisi forte *Balezor* et *Badezor* parem auctoritatem habent, nam idem significare videntur בעל אזור et בד אזור, vel בד אזור, uti Scaliger in *Canon. Isag.* l. l. nomen scribendum censet, (etsi in *Proll. Emend. Temp.* p. 38. בדי עזר maluerit). Nempe vox בד pp. quidem *vectem*, dein translate apud Hos. c. XI. vs. 6, *principem* notare, multorum interpretum sententia est, a Vulg. et Chald. haud parum confirmata, quorum ille בדיו reddit, *electos ejus*, hic גברוהי, i. e. *heroës*, *duces ejus*, reddit. Utraque igitur lectione *Princeps accinctus*, *promptus*, *ad agendum paratus*, significabitur. Hae lectiones nominis solae nobis admitti posse videntur: quod enim Theophilus offert Βάζωρος, ex Βαδέζωρος corruptum et contractum censeo, licet Hebraice explicari possit per בצור, *munitus*, *inaccessus*.

Balator (Βαλάτορος) apud Josephum c. 21, p. 452 censetur inter judices Tyriorum. Consentit Eusebius Armeniacus p. 35, at Codex Reg. Par. 2575, parum probabiliter habet Βαλάστρατος (בעל עשתרת). Scaliger in *Canon. Isag.* nomen illud exaravit בעלטור, illud, ut conjicio, explicans *dominus Tyri:* nam טור pro צור more Syriaco dictum fuisse ostendit Gr. Τύρος. In *Proll.* p. 39 mavult בעל עוטר, quod non multum differt a Mignotii conjectura in Diss. XV. p. 126 בעלעטר, i. e. *Baäl coronatus*, vel *coronatus a Baäle*, quam minus felicem arbitror. Potius nomen illud בעלאעתר, i. e. *Baäl ditavit*, pronuntiandum et cum transposito אעתרבעל, *Adherbal*, vel Ἀτάρβας, ut Polybius effert, quod apud Carthaginenses viguit et idem notat, conferendum putem. Ejusmodi transpositiones, vel inversiones, apud Hebraeos perfrequentes sunt, in quibusvis nominibus pp. cum titulis divinis compositis. Sic, ut paucas e multis afferam, dicitur אלנתן, אלישמע, יהוחנן, אלחנן, יהוצדק, יהונתן, et inverso ordine נתניה, נתנאל, ישמעאל, חנניה, חננאל et צדקיה. Ergo, me judice, nihil obstat quominus etiam hoc loco verbum אעתר, quod Aphel est Syro-Chaldaici עתר, *dives fuit*, pro lubitu praeponatur voci בעל, vel postponatur.

Ba-

Baleazarus (Βαλεάζαρος), nomen regis Tyrii, Hiromi filii, apud Josephum, a Scaligero legitur בַּעֲלֵי עֵזֶר, quod significaret *dominos auxilii.* Melius idem in *Proll.* p. 38 et Mignotius Diss. XIV. p. 96 conjecerunt בַּעַל עֵזֶר, quod male reddit Mignotius *adjutus a Baäle.* Notat vel *auxiliator*, vel *Baäl* (est) *auxilium.* Cum vero Graeci efferant Ἐλεάζαρος, pro אֶלְעָזָר, malim Βαλεάζαρος ortum esse ex בַּעַלְעָזָר, *Baäl auxiliatus est.* Cognatum videtur *Asdrubal*, vel *Azrubal*, i. e. עֶזְרוֹבַעַל, *auxilium ejus* (est) *Baäl*, vel *cujus auxilium est Baäl*, quod, uti comparari potest cum nominibus עזראל, עזריאל, עזריה et עזריהו, ita, si sensum spectes, apte respondet Graeco Κλειτόμαχος, quo nomine insignis fuit philosophus Academicus Carneadis discipulus, quem Poeni sui Asdrubalem appellavere. Nempe verbum עזר habet notionem *adjuvandi aliquem in pugna, vel contentione:* hinc in Niphal I Chr. c. V. vs. 20 de iis dicitur, qui divinitus adjuti victoriam reportant: quo sensu etiam Arabes, quamquam diverso verbo usi, مؤيد (divinitus) *adjutus*, de victore usurpare solent. Ergo Punico quoque nomine עזרובעל eum designari arbitror, *qui auxilio Baälis in pugna nixus hostes profligat*, quem igitur Graeci bene Κλειτόμαχον, i. e. *pugna inclytum*, appellaverunt, ut nulla idonea caussa Bocharto fuerit, cur illud עזרובעל, quod antea ipse probaverat, rejiceret (*Canaän* L. II. c. 12, p. 744), in ejusque locum substitueret, quod accuratius scilicet voci Κλειτόμαχος respondere existimabat, אזרבעל, vel אזרובעל, i. e. ex ipsius sententia: *Dominus ad pugnam accinctus:* ex nostra prius sonat *Baäl accinctus est*, posterius *accinxit eum Baäl.*

Banno (Βάννων), Carthaginensium tertio bello Punico ad Romanos legatus, cujus in Appiani *Punicis* c. 82 sqq. mentio est. Nomen apud Diodorum in *Exc. Legat.* T. II. p. 627 in Βλάννων corruptum, nobis scribendum videtur בְּחִנֹּן, i. e. *per gratiam* (divinam), vel *per Deum misericordem*, supple *natus*, vel *in lucem editus*, quae explicationes nituntur partim nominum pp. Hebraicorum simili ratione compositorum comparatione, in quibus בְּמֹהַל, *in quiete*, בְּעָלִים, *cum exultatione*, בְּעָנָה, *per exauditionem*, בְּצָלוֹת, *per preces*, numeramus, partim vocum Arabicarum حَنَانٌ, *misericordia*, et حَنَّانٌ, *misericors*, quae inter Dei titulos censetur et ob duplicatam literam N in Βάννων, praeferenda est. Eadem nobis videtur esse ratio nominis

Baslachus (Βάσλαχος), quod patris Ecnibalis unius judicum, a Babyloniis Tyro praefectorum, nomen est, Hebraicis quidem literis, ut puto, scribendum

dum בְּצַלְחָה, i. e. *per felicitatem*, vel *feliciter*, ut צְלַח sit nomen act. deperditum verbi צָלַח, quod de bono eventu et felici successu rei solenniter dicitur. Scaliger in *Canon.* ex permutatione solenni literarum B et M scribit מַצְלַח, quod part. foret pass. Aramaeorum in Aphel, et *fortunatum*, *divinitus adjutum*, significaret; in *Proll.* p. 39, scribit בַּעַל־שֶׁלַח.

Beon (Βηών). Regum Pastorum, qui Aegyptum occupaverunt, secundus apud Joseph. l. l. c. 14. p. 445 hoc nomine insignitur; at Syncellus p. 108 Βαίων scribit, ex Africano vero et Eusebio Βνῶν et Βνῶν citat p. 60 et 61, et quamvis utrobique in margine Βηών correctum sit, lectio Βνῶν tamen confirmatur Eusebii Armeniaci auctoritate, p. 100 *Benon* in textu offerentis, at *Anon* in margine, quae duae postremae lectiones si verae sint, illas cum *Bannonis* nomine superius explicato conferendas arbitror. Si Βηών praeferatur, legendum videtur nomen Hebraicis literis בְּעוֹן, quod vel ad praecedentium appellationum rationem accedet et ex ב praepos. et עוֹן, Arab. عون, *auxilium*, conflatum censebitur, ut sit *per auxilium*, nempe Dei, vel derivabitur a verbo בָּעָה, *petere*, *flagitare*, ut בְּעוֹן formatum sit ad normam τοῦ הֵרוֹן, *graviditas*, et *petitionem* designet, quo sensu conferenda sunt nom. pp. virorum שָׁאוּל et שֵׁלָה, pro שְׁאֵלָה, *rogatio.* Ejusdem verbi בעה vestigium superest in nominibus *Bomilcar*, *Bostar* et aliis.

Bodostor. Vide *Bostar.*

Bomilcar (Βομίλκας), nomen quod pluribus Carthaginensibus commune est, et commode per בְּעִימִלְקָרְת, i. e. *petitio Melcarthis*, explicatur. Vox בְּעִי est Inf. masculinus. Potest vero etiam legi בָּעוּ, ut partic. habeatur formae rarioris pass., quo probato reddendum est *petitus*, *rogatus a Melcartho*, quod perinde est. Eadem ratio est nominis

Bostar (Βώσταρος), quod nonnulli Carthaginensium duces bello Punico I et II clari gesserunt. Cf. Polyb. L. I. c. 30, 79, Liv. L. XXII. c. 22, L. XXIII. c. 34, L. XXVI. c. 5 et 12. Punica orthographia videtur esse בְּעִיעַשְׁתַּר, i. e. *petitio Astharis*, vel quod eodem redit, *Baälis*, vel stellae Jovis, ut ex iis intelligitur, quae ad nomen *Aserymus* disputavimus. Possunt vero etiam ista duo nomina per linguae leges scribi בּוֹמִלְקָרְת et בּוֹעַשְׁתַּר. Quemadmodum enim apud Hebraeos בְּעִי, *preces* in בִּי, sic apud Poenos בְּעוֹ in בּוֹ contrahi potuit. Caeterum nostram de vera potes-

estate et scriptione nominis *Bostar* conjecturam egregie confirmat illius cognatum Βωδόστωρ, uti in *Excerptis Valesianis* libri XXIV Diodori Siculi (T. II. p. 566) legitur, vel Οὐωδόστωρ, uti in ejusdem libri fragmentis exstat, anno proxime superiore a Majo in *Scriptorum Veterum Nova Collectione* T. II. p. 53 editis. Nullus enim dubito quin haec levis tantum sit variatio nominis *Bostar* facillime explicanda, si Poenos pro בְּעוֹעַשְׁתַּר, vel בּוֹעַשְׁתַּר, adhibito Inf. fem. etiam extulisse statuas בְּעוֹתעַשְׁתַּר, vel בּוֹתעַשְׁתַּר, eadem potestate. Senserant horum nominum affinitatem Valesius et Palmerius, male propterea reprehensi a Wesselingio in notis ad Diodori l. l., eo maxime argumento, quod Bodostor, de quo ibi sermo est, Romae periit in custodia Atiliorum, Bostar in Sardinia, interfectus a militibus mercenariis, post confectum bellum Punicum primum (Polyb. L. I. c. 79). Quid enim obstat quominus eodem tempore duo fuerint Bostares, uti certe duo Bodostores fuere, alter, de quo modo dixi, alter Οὐωδόστωρ, qui sub Amilcare in Sicilia infeliciter pugnavit, quemque haud diversum existimo a Bostare devicto a M. Atilio Regulo in Africa (Polyb. L. I. c. 30) et pluribus annis post interfecto in Sardinia.

Braesia (Βραισία), filia Cinyrae Apollod. L. III. c. 14. §. 4. Num forte haec dicta est בְּרֹשִׁיָה, i. e. κυπρεσσίνη, *procera*, a בְּרֹשׁ = בְּרוֹשׁ, *cypressus*, *abies*.?...

Cartalo, ut apud Justinum L. XVIII. c. 7, vel Καρθάλων et *Karthalo*, ut apud Diodorum Siculum in *Eclogis Hoeschel.* L. XXIII. c. 14. p. 505 et Livium L. XXII. c. 15, 58, L. XXV. c. 17, L. XXVII. c. 16, legitur, trium ducum Carthaginensium nomen fuit, quorum primus apud Justinum memoratus, et Nebucadnezaro, vel Cyro, ut videtur, suppar, cum decimis praedae Siculae Tyrum missus est, alter adversus Romanos in Sicilia bello Punico primo, tertius cum iisdem duce Hannibale in Italia pugnavit. Nomen Punice procul dubio sonabat קָרְתְּ עֶלוֹן, i. e. מַלְקָרְתְּ עֶלוֹן, *Melcarthus deus excelsus.* Omissa enim est in hac voce eadem ratione prior pars nominis מַלְקָרְתְּ, qua hoc in *Certus* factum esse supra vidimus. עלון autem, ut vel ex personati Poeni Plautini oratione constat, apud Carthaginenses deorum titulus erat, idemque significabat, quod עֶלְיוֹן Hebraicum.

Cenchreis uxor Cinyrae, Cypriorum regis, de qua apud Lactantium Placidum in Epitoma libri X Metamorphoseon p. 859, ed. van Staveren, sermo est. Nomen videtur facillime explicari posse et respondere Hebraeo קְנִיחָרֶם, *Solis possessio*, i. e. *Soli sacra.* Affine est nomen

Cher-

Chersis (Χέρσις), Gorgi Salaminiorum regis et Onesili pater, apud Herodotum L. V. c. 104, L. VII. c. 98, et L. VIII. c. 11, in quo Phoenicio חרם Graeca terminatio accessit.

Deliastartus (Δελαιάσταρτος) secundum Josephum l. l. c. 18. p. 449, pater Astarti, Tyri regis, quem Syncellus, consentiente Eusebio Armeniaco, Ἐλαιάσταρτον appellat. Priorem formam amplexus est Scaliger eamque Hebraicis literis scripsit דלי עשתרת, quo quid respexerit nescio. Ego, iisdem literis servatis, ad normam Hebraici nominis דליהו, vel דליה, scribere malim דליעשתרת, i. e. *salus per Astarten*. דלה pp. notat *e puteo educere*, ἀνιμᾶσθαι, hinc Ps. XXX. vs. 2, *servare aliquem ab interitu*. Hujus nomen actionis, transpositum ex דלי, est pp. דלי, quod nisi in nomine Hebraeo, ubi ipsum verbum esse potest, saltem in Phoenicio quaerendum censeo: cum verbum masculinum sequens עשתרת non admittat. Alterum Ἐλαιάσταρτος etsi confirmet Eusebii et Syncelli auctoritas, ex Δελαιάσταρτος corruptum videri potest. Quod si minus probetur, habeat forte significationem a superiore non admodum diversam, et haud absurde efferri poterit עלי עשתרת, vel עלה עשתרת, *elatus per Astarten*. Verbum quippe עלה, in Kal non tantum *adscendere* significavit, sed etiam *efferri*, unde עולה part. femin. de *victima in aram elata* ponitur. Sic vocem explicare malim, quam ab Hesychii glossa Ἐλεία ἡ Ἔλα — Ἥρα ἐν Κύπρῳ aliam interpretationem repetere, ut sit nomen אלה עשתרת, *Dea Astarte*, et hic etiam ellipsis reperiatur vocis עבד. Quamvis enim Ἥρα et Astarte eadem sit et Ἔλα, אלה, etiam de dea dictum fuisse ex Hesychio appareat, prior explicatio duas lectiones melius in concordiam redigit.

Demonoüs (Δημόνοος), Paphius, Penthyli ducis pater. Cf. Herod. L. VII. c. 195. Scio multos Graecos in Cypro fuisse, nec igitur sine caussa hoc nomen Graecum videri posse. Sed Paphus plane Phoenicia fuit, nec verosimile est illam principem habuisse Graecum. Ergo fidenter explico illud *Demonous* דמי הנש, *quies populi*.

Ecnibalus (Ἐκνίβαλος) unus judicum Tyri apud Josephum l. l. c. 21, p. 452, quem Eusebius Armeniacus l. l. *Etnibalum* appellat. Scaliger in hoc nomine explicando minime sibimetipsi constitit: nam in notis ad Graecorum fragmenta subjuncta libro de *Emend. temporum* p. 35, coll. *Proll.* p. 39, illud sine dubio ex כנעבעל ortum esse asseverat, hoc vero ex כנען בעל, quod ut confirmet, provocat

ad contractionem Graecam Χνᾶ vocis Phoeniciae כנען; at in *Canonibus Isagogicis* l. l. nomen scribit עכני בעל, cujus orthographiae caussam non perspicimus. Quod vero Mignotius Diss. XV. p. 125 contendit Scaligerum nomen כְּנֵי בַעַל pronuntiasse et illud ex כנעני בעל contractum existimasse, id nusquam reperio, et ex duabus Scaligeri lectionibus a Mignotio conflatum arbitror. Utut est, nobis longe verosimilior videtur conjectura קְנֵי־בעל, *possessio*, vel *creatio Baälis*; verbum קנה enim utrumque notat, et *possidere*, et *formare*, vel *creare*. Comparentur Hebb. מִקְנֵיָהוּ et אֶלְקָנָה. Eusebiana lectio *Ethnibal*, vel ex *Ecnibal* corrupta est, vel explicari poterit haud incommode per אֶתְנִיבַעַל, *donum Baälis*. אֶתְנָה apud Hebraeos *donum* est et *merces*. Masculinum deperditum foret אֶתֶן et accedente Jod, vel relativo, vel epenthetico, אֶתְנִי, quae forma adhuc exstat inter nomina pp. Hebr. I Chr. c. VI. vs. 26.

Eumiclus (Εὔμικλος) Cyprius, inter scriptores recensetur Homero antiquiores apud Tatianum *contra Graecos* p. m. 137; quem Fabricius *Bibl. Gr.* T. I. p. 38, item Meurs. in *Cypro* L. II. c. 30. p. 164, haud diversum existimant a vate Eucloo, nomen *Eumiclus* corruptum esse arbitrati. Equidem huic sententiae adstipulari non possum, et *Eumiclus* idem nomen esse conjicio, quod alias *Himilco*, vel *Imilco*, effertur, et de quo infra acturi sumus.

Gauas (Γαύας) teste Tzetza ad Lycophronem vs. 831, Adonidis apud Cyprios nomen erat. Ego vero reputans Adonidem Solem esse, et in hymnis Orphicis, quorum materies magnam partem ex Oriente repetita est, Soli inter alia φερεσβίου epitheton tribui, (*Hymn. in Solem* vs. 12), originem vocis *Gauas* in verbo חָוָה quaerendam esse putavi, quod eandem cum חָיָה, *vivere*, notionem habuisse apparet ex nomine pp. *Evae* חַוָּה, a nostro Γαύας, ut videtur, non diverso. Nempe Evam sic appellatam ferunt, quod esset *mater omnium viventium*. Ergo ex mente scriptoris חַוֵּה Infinitivum esse arbitror in Pihhel femininum, ut notet *vitam dare*, *reddere*, *excitare*, et respondeat Germanico *Belebung*, qui titulus non minus in Solem, quam in Evam quadrat. Sola molliore et Graecis auribus magis accommodata pronuntiatione ab isto Γαύας differre puto alterum nomen, Ἀῶ, quod teste Etymologici auctore, v. Ἀῶος, Adonis pariter apud Cyprios gerebat, et cui litera Cheth, ut centies, in simplicem vocalem mutata, et Kamets terminale, Syrorum more ut *o* pronuntiatum, originem dederunt. Quod vero maximum est et nostram conjecturam imprimis confirmat, verbum חוה, pro חיה usurpasse Phoenices, ex salutandi

di formulis constat, quorum alteram *avo*, i. e. חֲוּו, *vivatis*, Plautus servavit in *Poenulo* Act. V. sc. II. v. 34, 38, 41, alteram Αὔδωνις, i. e. חֲו אֲדֹנִי, Meleagri epigrammati *Anthol.* L. III. Tit. XXV. ep. 70 restituit Scaliger. Caeterum videant harum rerum studiosi, utrum cum ista voce Ἀῶ cohaereant duae glossae Hesychianae, altera Ἑώα — θυσία ἐν Κύπρῳ, altera Ἠοίην. τὸν Ἄδωνιν. Πανύασις, ut prior vox per ellipsin subst. θυσία sacrificium notet Adonidi factum, et synonyma sit τῷ Ἀῷα, ab Ἀῷος, adjectivo τοῦ Ἀῶ: posterior ex Ionismo sit pro Ἀοίην, et ab eodem Αῶ repetatur. Possunt, fateor, hae voces etiam Graecae esse, et descendere ab Ἀώς, Ἠώς, Ἕως. Sed haud scio an non haec ipsa aurorae appellatio a Phoenicibus orta sit. Certe Aeolica atque antiquissima adeo vocis forma in αὔως adhuc superest, item in αὐῶ, quod teste Etymol. M. p. 171, 1, *diem* significat et Orientali חַוָּה proximum esse videtur. Utrum vero cum hoc Adonidis nomine cohaereant, quae Etym. M. l. l. v. Ἀῷος praeterea narrat de flumine Ao et rege Cypri ejusdem nominis, Aurorae et Cephali filio, item monte Aöo, alia quaestio est, de qua deinde in Catalogo locorum ad vocem *Amathus* commodius disputabitur. Neque vero hic silentio praetereundum est, praeter Γαύας et Αῶ, aliud forsitan hujus nominis vestigium superesse, a verbo הָיָה derivatam, in Ἀβδαῖος, quod superius attigimus, varias explicandi vias proponentes, quae nisi probentur, עֶבֶד הָיָה, *servus datoris vitae*, τοῦ φερεσβίου, cum Ἀβδαῖος haud inepte conferri poterit.

Gerastratus (Γεράστρατος), nomen judicis Tyriorum apud Josephum l. l., vel, ut in Eusebio Armeniaco legitur, *Gerastartas*, bene jam Hebraicis literis Scaliger ll. ll. expressit גֵּר עַשְׁתֹּרֶת, at minus bene reddidit ὁ ξένος τῆς Ἀστάρτης, ὁ Ξενάσταρτος, nisi ξένος *hospitis* sensu sumas *apud aliquem divertentis*. At hoc si voluisset Vir eximius, potius גָּר quam גֵּר scripsisset: hoc enim magis *peregrinum* notat, illud *divertentem aliquo* et *hospitio utentem*. Recte igitur Scaligeri mentem cepisse videtur Mignotius l. l. p. 127, illud Gallice reddens: *l'étranger consacré au culte d'Astarté, le ministre, ou serviteur d'Astarté, qui avait demeuré ailleurs, et qui était venu d'un autre pays.* At si haec nominis significatio esset, vix exspectari poterat aliud illius exemplum in historia repertum iri, nedum alium exstitisse Principem eodem nomine insignem. Atqui alterum Gerastratum (quem ipse Γηρόστρατον appellat) nobis offert Arrianus *de Exped. Alex.* L. II. c. 13 Aradiorum regem. Ergo nova explicatio circumspicienda est, quam ex parte Hebraismus, im-

imprimis vero Arabica dialectus, offert. Nempe Hebraeus phrasin גור באהל יהוה, *divertit in tentorium Jehovae*, de eo usurpat qui assidue illud frequentat religionis caussa, quo sensu Arabes tertia Specie utuntur, cujus propria potestas est in *vicinitate et clientela*. Iisdem vero جَارٌ, Hebr. גֵּר, vel גֵּר, *vicinus*, *cliens*, et peculiariter جَارُ اللّٰه, is dicitur, *qui in vicinia*, *hospitio et clientela Dei*, versatur: quo nomine prae caeteris insignis fuit celeberrimus Grammaticus al Zamakhschari, quoniam partem vitae suae Meccae apud Kaäbam religionis ergo transegerat. Commentarii instar in istam loquendi formulam est locus Pseudo-Wakidaei a nobis editi p. 6. *Ait Deus O. M.* ان بيوتي في الارض المساجد وانّ زوّري فيها عمّارها, *utique domus meae in terra sunt templa*, *et qui me in illis invisunt sunt inquilini earum.* Jam גֵּר עַשְׁתֹּרֶת, sic enim pronuntiare malo, plane est homonymum جارة الله, et eum designat, qui sacrorum gratia templum Astartes assidue frequentet. Quapropter illud nomen est inter honoris titulos, nec nascenti, ut quisque videt, sed adulto, impositum. Verosimile autem est eos qui tale cognomen gererent, sacerdotes fuisse et ex templo ad imperium esse vocatos. Nam deorum ministris apud Phoenices regnare licuisse, Ithobali soceri Achabi exemplum ostendit, qui decessore caeso ab Astartis sacerdotio ad Tyri regnum transiit. Quae conditionis mutatio tanto facilius accidit, quod subinde regiae familiae viri sacris praefuisse videantur. Sic Sichaeus, vel Acerbas, Pygmalionis regis avunculus idem et gener, Herculis sacra curabat, quem secundum a Rege honorem fuisse Justinus testatur, L. XVIII. c. 4.

Gisgo, vel *Gisco* (Γίσκων), variorum ducum Carthaginensium nomen fuit, de quo vix dubito quin ortum sit ex Orientali חִזְקוֹן, quod nunc quidem non amplius exstat, sed secundum analogiam formari potuit a חֵזֶק, *robur*, *potestas*, *auxilium*, ut sit *robustus*, *potens*, vel *auxiliator*, et potestate conveniat cum nom. pp. חִזְקִי, et cum adj. חָזָק.

Ianias (Ἰανίας) secundum Josephum l. l. p. 445, penultimus erat Pastorum in Aegypto rex, sed in Codd. duobus est Ἰαννάς. Mignotius Diss. II. p. 125, putat Aegyptios hoc nomen externo Principi dedisse, regionem suam incursionibus et rapinis misere vexanti: cum עָנָה sit *tyrannice et contra jus et fas grassari:* verum autem illius nomen *Staan* (Σταὰν) fuisse, ex Africani fragmentis a Syncello servatum, et derivandum a verbo שׁוּת, vel שָׁתַת, *posuit*, *constituit*. Cujus opinionis prior pars inepta est;

est; cum Aegyptii, si nomen Ianiae tribuissent, illud ex sua potius lingua derivassent, quam ex Phoenicia. Quod Staan et Ianiam eumdem arbitratur, id verosimilius est, etsi hic apud Manethonem quintus, ille apud Africanum quartus est. Africanus enim Apophin quartum regem in extremum locum rejecit. Equidem si, exemplis a me superius ad vocem Ἀβδαῖος allatis commotus, admittas, nomen divinum *Jah* etiam ab ethnicis usurpari potuisse, illud *Ianias* facile explicem ex Hebraeo יַעֲנְיָה, *Deus precibus annuit*, ut synonymum sit τοῦ עֲנָיָה, item τῶν אוֹנִיָּה, יְאוֹנִיָּהוּ et שְׁמַעְיָהוּ, vel שְׁמוּאֵל. Si hoc minus placeat, ex nominibus Hebraeorum pp. comparari poterunt יַעַן et יַעְנַי, de quorum tamen vero sensu incertior sum. Ad *Staan* quod attinet, id nisi librarii corruperint, haud male repetatur a Specie Ethpehel verbi Hebraici שָׁעַן, quod notat *fulcro niti* in Niphal, cujus Ethpehel synonyma est, unde אֶשְׁתְּעַן, vel אִשְׁתְּעַן, ad normam nominum pp. אֶשְׁתְּמוֹעַ et אֶשְׁתְּמֹה infinitivorum a שָׁמַע et שָׁמָה in Ethpehel positis, repetatur, *fulcri* notionem habens atque adeo τῷ מִשְׁעָן synonymum. Quod nomen egregium epitheton est Principis, quo totius populi salus, tamquam fulcro, nititur. Pronuntiatio vero *Staan*, abjecto Elif prosthetico, pro *Estaân* nullum explicationi nostrae impedimentum objicit. Illa enim litera vix auditur et hodieque a Melitensibus plane omittitur in Speciebus verborum auctis. Sic *Nkasam* pro *Enkasam* in VII, *Rtabâ* pro *Ertabâ* in VIII, *Staân* pro *Estâan* in X dicunt, quae postrema vox ad literam respondens Phoenicii regis nomini, aliam illius explicandae rationem offert, si illud ab Arab. عان, in X *auxilium imploravit*, quam ab Hebr. שָׁעַן repetere mavis. Tum vero, sive in praeterito sumatur, استعان, sive in Inf استعانة, i. e. *auxilii imploratio* (a Deo nempe), apposite comparetur nomen Khalifae Abbasidiei المستعين بالله, i. e. *qui a Deo auxilium implorat.* Porro tertium nomen quod eidem viro tribuit Syncellus, nempe *Sethos* (Σέθως), utrum corruptum sit, an Phoenicium et cum n. pp. שֵׁת comparandum, an denique ex Aegyptia lingua repetendum (nam inter Aegyptios etiam reges fuerunt, qui hoc nomen gererent), id sane in medio relinquo.

Imilco, vel *Himilco* (Ἰμίλκων), variorum ducum Poenorum nomen, quod praesertim in Diodori Siculi libris, sive id scriptoris, sive librariorum vitio acciderit, centies cum Hamilcaris nomine confusum et permixtum est. Fluctuant enim libri, ut Wesselingius ad Libr. XI. c. 20, et Lib. XIII. c. 80 observat, in uno eo-

 dem-

demque viro designando inter Ἀμίλκας, Ἰμίλκας, Ἀμιλκῶν et Ἰμιλκῶν, ut parum absit, quin haec omnia promiscue usurpari posse credas. Alii vero, in his Livius, Imilconis, vel Himilconis, et Hamilcaris nomina accurate distinguunt: nec dubito, quin diversa fuerint. Hamilcaris, vel Amilcaris, nomen, ut jam alibi a nobis observatum est, ex Herculis Tyrii titulo, articulum sibi praefixum habente, הַמִלְקַרְת, vel אִמִלְקַרְת, fluxit. Quod nisi minus probabile foret articulum aliquando *Hi*, vel *I*, pronuntiatum fuisse, scribendi varietates apud Diodorum libenter ita distinguerem, ut hinc *Amilcas* et *Imilcas*, illinc *Amilcon* et *Imilcon*, idem essent: quo admisso, posterius הַמִלְכֹּם scribendum et ab Ammonitarum, vel Moabitarum, deo Milcom, vel Molech, repetendum esse censerem. Nam M et N etiam alibi permutantur et nihil prohibet, quominus etiam forma מִלְכֹּן exstiterit. Sic in hoc nomine, ut in aliis, de quibus supra actum est, עֶבֶד supplendum foret. Nunc vero propius arbitror, illud ων Graecam terminationem, veramque scriptionem esse אִימֶלֶךְ, pro יִמְלֹךְ, ex Syriasmo. Nihil enim Syris frequentius est, quam Jod initialem in quietem mittere, quam ob caussam subinde Aleph literae illi quiescenti praeponitur, ne syllaba a vocali incipiat, ut in אִית ex יֵת = יֵשׁ orto. Idem, me judice, accidit in nostro אִימְלֹךְ, ex quo vetus forma יִמְלֹךְ *Imlech* efferri coepit pro *Jimlech*. Est participium a futuro derivatum et in nomm. pp. admodum frequens, quod hic *regem* notat, vel *regentem*. Habemus inter nomina pp. Hebraeorum יַמְלֵךְ, i. e. Ἰεμβλιχος, quod vel Punico synonymum et cum Arabico fut. يملك comparandum est, vel, quod mihi minus verosimile, ab Hiphil originem duxit. Sed hoc in medio relinquimus, illud memoria dignius, Jod in quietem missa totaque vocis ratione mutata, extremam nominis syllabam ad Segolatorum normam exactam fuisse videri, ut partim vocali transposita אִימֶלֶךְ, partim nova assumta אִימֶלֶךְ dictum sit. Illud Poenis placuisse scriptio *Imilco* ostendit, hoc Judaeos recentiores probasse ex aliis nominibus colligitur hucusque minus intellectis, in quibus primarium est Phoenicium *Izebel*, de quo statim agemus.

Inaros (Ἰνάρως), Libys, Aegypti dominus (Herod. L. III. c. 12, 15, et VII. c. 7), Psammitichi filius, si nomen Semiticum habeat, illud commode explicari poterit ex Hebr. עֵין חֶרֶס, *oculus Solis*, ut prorsus synonymum sit עֵין בַּעַל, *Inibal*.

Izebel (אִיזֶבֶל), Ethbaälis regis Tyrii filia, Achabi uxor. Nomen eadem lege ex יִזְבֹּל,

יזבל, i. e. *habitans*, *accola*, a verbo זָבַל, *habitavit*, fluxisse videtur, qua אִיזֶבֶל, vel אִיכָּבֹד, a יִזְבַּל, et cum nominibus pp. זבול et זבולון conferendum est. Tuetur vocis explicationem, frustra ab aliis tentatae, tertium formae illius exemplum אִיעֶזֶר, semel occurrens Num. c. XXVI. vs. 30, quod nescio qua auctoritate nixi contractum esse putant ex אֲבִיעֶזֶר, quemadmodum alias idem vir appellatur. Melius fecissent, si hoc quod *patrem auxilii* sonat, simpliciter synonymum existimassent illius אִיעֶזֶר, quod ex יָעַז ortum est, vel יְעִיר, aut יָעִיר (quae variae scripturae sunt nominis pp. Hebraici, multis in locis hodieque servati) et pp. notat *tuentem*, vel *auxiliantem*. Forma, ut in יִמְלָךְ potius Arabismum quam Hebraismum imitatur. Nam futurum in hoc יָעֹז, in illo يعز effertur.

Lucitas. Cf. *Mygdon.*

Maarbal et *Maarbas.* Cf. *Maharbal.*

Mago (Μάγων), nomen multorum Carthaginensium notissimum, origine tamen et sensu obscurum. Olim in Diatribe nostra de *Monumentis Punicis* p. 28 conjecimus in nummo quodam apud Munterum, *Religion der Carth.* Tab. I. n. 11, מעון legendum esse, nec sane nos illius conjecturae poenitet; etsi incerti sumus, utrum viri, quod tum existimavimus, an loci nomen sit. Apud Hebraeos מָעוֹן significat *habitaculum*, vel *refugium*, quo sensu frequenter usurpatur, et nomen proprium est cum urbis, tum semel etiam viri I Chron. c. II. vs. 45. Ergo in hac opinione facile acquiescam, praesertim cum Graeci Ain subinde per Gamma expresserint, ut in עֲמֹרָה, Γόμοῤῥα. Utrum vero Magonis nomini *habitaculi*, vel *refugii*, potestatem tribuam, an *auxilii*, ex Arab. معون repetitam, adhuc anceps haereo. Prius enim defendi poterit ex comparatione nominum זבל et זבולון, *habitatio*, posterius ex collatis עֵזֶר et עֶזֶר, *auxilium*, quae omnia viris in Vet. Test. tribuuntur. At vero reticendum non est etiam triplicem explicandi viam superesse, etsi mihi, ut olim Bocharto, in *Canaän* L. I. c. 35, p. 636, illud מעון prae caeteris placeat. Cum enim Gamma Graecorum literis Gimel, Cheth et Caph respondere possit, trifariam legi poterit nomen *Mago*, videlicet: מָגוֹן, מָחוֹן, et מָכוֹן. E quibus tertium, a כון *stare*, *consistere*, derivandum, *loci*, *habitaculi* et *fundamenti*, sensu apud Hebraeos superest, reliqua duo non item. Jam מָגוֹן et מָחוֹן sunt formae מָעֹז. Illud

a נגן, *texit*, *protexit*, derivatum *tutelam*, *defensionem*, *scutum* (cf. מָגֵן), hoc ortum a חנן, *misertus est*, *misericordiam*, vel *gratiam*, notare poterit.

Maharbal, equitatus Punici dux, bello Annibalico clarus. Sic hominem plerumque Livius appellat, quamvis Lib. XXI. c. 12 et 45 ingens sit in hoc nomine MSS. librorum discrepantia, e quibus varietatibus una, c. 45 occurrens, *Marbal*, eam ob caussam memorabilis est, quod prope accedit ad scriptionem Μέρβαλος, quo nomine insignis est judex Tyriorum, memoratus a Josepho *contra Apionem* l. l. p. 449. Contractiorem formam, in quam ex aspirationis in media voce defectu Graeci hic facile incidebant, evitavit Polybius, qui L. III. c. 84 sq. Μαάρβας, et Appianus *de bello Annibalico* c. 10 sq., qui Μαάρβαλ scripsit. Quae nomina si Scaligero *in Canonibus Isagogicis* l. l. et *ad fragm. Graec.* p. 37, item Mignotio dissert. XV. p. 127, in mentem venissent, neuter eorum de Merbalo ex מר בעל, i. e. *dominus Baäl*, explicando cogitavissent. Nec felicior fuit Bocharti hariolatio et Simonis, quorum ille in *Canaän* L. II. c. 12. p. 744, conjiciens Asdrubalem philosophum, qui Graece dictus est Clitomachus Diogneti filius, Maherbalem (מהרבעל) patrem habuisse, illud מהר repetivit a הרה, *concepit*, *generavit*, idque *a Baäle*, vel *Jove*, *genitum* significare posse existimavit, ut Graeco Διόγνητος respondeat. Simonis autem in *Onomast. V. T.* p. 557 explicans nomen Hebr. מְהַרִי, *festinatio Domini*, cum simpliciter *festinus* et *celer* sit, contulit *Meherbal*, vel *Merbalus*, quod *festinatio Baälis* interpretatur. Ab eadem radice ista nomina derivavit Gesenius *Gesch. der Hebr. Spr. und Schrift* p. 229, ea Hebraice scribens מהר בעל, at nullam explicationem adjiciens. Hoc si verum erat, forsitan significaret *a Baäle edoctum*, *institutum*, coll. Aethiopico מהר (*mahara*) *docere*, etsi secundum Hebraismi leges potius *peritus Baälis*, i. e. *cognoscens Baälem*, redderem, ad normam τοῦ מהיר צדק, i. e. *peritus juris*. Quid vero prohibet quominus ipsum verbum in Sp. II huc advocemus, *docendi instituendique* sensu, et scribamus מִהֵר בַּעַל, *docuit*, *erudivit Baäl*, vel *solertem fecit Baäl*, a مهر, in Sp. I. *solertem*, *ingeniosum esse*. Cujus Sp. II. transitivam in Aethiopum dialecto superstitem esse supra monuimus. Quodsi certum esset מֹהַר Hebr., מְהַר Chald., ܡܗܪܐ et مهر Syr. et Arab., non de dote tantum, sive ἕδνος, sed de aliis quoque donis quibusvis usurpatum fuisse, expeditissima via foret מֹהַר בַּעַל, vel מְהִיר בַּעַל, *donum Baälis* interpretari. Ex his igitur, si thema מהר praeferatur, optionem facere licet.

cet. Nobis vero praeplacet alia vocabuli scriptio מְחִיר בַּעַל, i. e. *merces Baälis*, vel, si mavis, *electus Baälis*, *quem Baäl favore complexus est*. Nam מְחִיר Hebraice est *pretium rei emtae*, hinc *merces*: et Arabice مُخَيَّر, part. pass. est a verbo خار, *propitius fuit*, *favitque Deus; praehabuit elegitque prae aliis*. Hanc derivationem eo libentius amplector, quod inter Hebraica nomina pp. adhuc supersit מְחִיר nostro affine, quod ex alterutra certe ratione a nobis proposita explicandum est, et frustra Simone Gesenioque auctoribus repetitur a verbo مخر = בחר, quod in Sp. VIII, non item in prima, *eligendi* notionem habet.

Maleus, dux Poenorum memoratus a Justino L. XVIII. c. 7, ubi alii Codd. habent *Macheus*, Orosius *Mazeus*. Ex his *Maleus*, vel comparandum est cum Hebr. מַעֲלָה, *adscensus*; vel sensu affine est τῷ Μημεσῶμος, i. e. מִמָּרוֹם, *ex alto*. Tum מַעַל pronuntiandum foret. *Macheus* explicari potest מַכֶּה, *caedens*, *feriens*, *occidens*. Denique *Mazeus* varie potest tentari. In nominibus Hebb. exstant מַעַץ, Arab. مَعَضٌ, *ira*, et מַעֲשֶׂי, Germ. *thätig*, quae sono conveniunt.

Mapen (Μάπην). Vide *Matgenus*.

Matgenus (Μάτγηνος) regis Tyrii, patris Pygmalionis, nomen, apud Josephum *contra Ap*. L. I. c. 18, p. 449. Syncellus p. 183 habet Αετῶος, sed in ejus libris Μετῶος restituendum esse constat ex Eusebio Armeniaco, in quo legitur *Metenus* p. 83, quam scribendi rationem confirmat comparatio nominis *Mutines*. Constanter sic appellat Numidarum bello Punico secundo in Sicilia ducem, Livius L. XXV. c. 40, 41, L. XXVI. c. 21, 40, L. XXVII. c. 5. Vocalium discrimen inter *Metenus* et *Mutines* nihil quidquam ad rem facit. Idem animadvertatur in Μάτγηνος et Μύτγονος, vel, ut in Cod. Hafn. scribitur, Μύτγηνος, quem inter Tyri judices numerat Josephus c. 21, p. 452, in Cod. Regio Paris. 2573 Μύλονος, in Eusebio Armeniaco p. 35, *Sibunosthus* appellatum. Aliam denique varietatem offerunt Servius ad Virg. Aeneid. L. I. vs. 347, et Theophilus *ad Autol*. L. III. p. m. 257. Illo teste regis Tyrii, patris Pygmalionis et Didonis, non *Matgenus*, sed *Methres*, nomen fuit, hoc auctore Μεττήν. En haud contemnendam formarum varietatem, quae tamen omnes, Μύλονος et *Sibunosthus* exceptis, in primam syllabam *Met*, *Mat*, vel *Myt*, conspirant. Cujus constantiae caussam frustra quaeremus, si cum Scaligero ad *fragm. Graec*. p. 36, Μύτγονος מוּת־גָּאוֹן, vel cum eodem in *Proll*. l. l. מוּט גָּאוֹן explicemus, aut praeeuntibus Bocharto in *Canaän* L. I. c. 3, p. 353, et Mignotio l. l. p. 126, Μάτγηνος,

 vel

vel etiam Μίτγηνος, מִתְנָאוֹן efferamus. Quorum posterius, quod illi *vir eximius* interpretantur, etsi idoneo fundamento destitutum non est, nam אִתְנָאֵה, apud Chaldaeos notat *excelluit*, *extulit se*, tamen si nominum pp. apud Hebraeos analogiam spectes, nullam formam reperies, cujus comparatione istam explicationem tuearis. Nec sane Scaligeriana illa multo majoris sunt pretii. Si מוֹת scribas : *interitus majestatis*, vel *superbiae*, si מוֹט, *vacillatio*, vel *jugum superbiae* explicari poterit, quae quam parum verosimilia sint, omnes intelligunt. Nobis illud *Met*, *Mat*, vel *Myt*, ex מַתַּת, *donum*, quod ex מַתֶּנֶת contractum est, ortum videtur. Hoc enim מַתַּת ad extremum in מַת abiisse, sive apud ipsos Orientales, sive apud eorum interpretes Graecos ostendit luculentum exemplum nominis Ματθίας, pro Ματταθίας, ex מַתִּתְיָהוּ, vel מַתִּתְיָה. Pari ratione Μάτγηνος, vel Μύτγηνος ortum est ex מַתְחֵן, pro מַתַּתְחֵן, *donum favoris*, nempe *divini*. Vix dubito, quin Cheth in vocalem emollita, eodem referendae sint formae *Metenus*, *Mutines* et *Metten*, nisi forte hic lateat nomen מַתָּן, *donum*, quod sacerdos Baälis Izebelis tempore gessit, ipse, ut conjicio, ex Phoenicia oriundus. Cf. II Reg. c. XI. vs. 18, II Chron. c. XXIII. vs. 17. Hoc ipsum, ut puto, latet in nomine regis Tyrii Μάπην, quod hucusque omnes Herodoti editiones obsedit L. VII. c. 98, et cum nullam aptam significationem habere videatur, certissime ex quatuor codicum auctoritate refingendum est in Μάττην. Caussa erroris in promptu est, nam facile duo Tau in unum Pi coaluere. Postremo in Serviano illo *Methres*, Phoenicium מַתְּחֶרֶם, pro מַתַּתְחֶרֶם, *donum Solis*, Ἡλιόδωρος, quaerendum censeo. E reliquis duabus formis Μίλινος etsi legi posset Hebraice מֵלִין, i. e. *hospitium praebens*, *hospitalis*, parum abest quin ex Μίτινος, vel Μίτινος corruptum putem, ut haec eadem ratione cum Μύτγηνος conspirent, qua superius *Metenus*, lectio Eusebii Armeniaci, τῷ *Matgenus* respondere videmus. Restat ut agamus de voce *Sibunosthus*, quae profecto nimis ab illa *Matgenus* discrepat, quam ut ex ea corrupta videri possit. Equidem eam explico verbis Hebraicis שְׁבוּעָה נִשָּׂאת, *jusjurandum elatum est*, nempe *divinitus*, i. e. *a Deo promissum est*. Verbum quippe נָשָׂא יָד, *efferre manum*, de eo solenniter usurpatur, qui jusjurandum praestat: hinc ipsum jusjurandum *extolli* dicitur. Scripsimus autem נִשָּׂאת in Kal, quia haec etiam species nonnumquam in hoc verbo neutro-passiva est, et illius p. 3 f. sing. propius accedit ad no-

nosthus, quam si in Niphal נִשֵּׂאת legatur. Efferri etiam poterit שְׁבוּעָה נְשֻׂאת in Puhhal, ut sensus sit *jusjurandum*, i. e. *quod jurejurando interposito promissum erat*, *dono datum est*. Nam נִשֵּׂא in Pihhel notat *dono dare*, cujus passivum Puhhal, etsi nunc in Hebraismo desideratur, tamen exstitisse verosimilis conjectura est. Ad sensum perinde est, utram ex istis interpretationibus eligas. Ambae enim significabunt *puerum divinitus promissum et parentibus concessum esse*.

Meherbal et *Merbal*. Cf. *Maharbal*.

Metharme (Μεθάρμη), filia Pygmalionis, Cypri regis, uxor Cinyrae, apud Apollodorum L. III. c. 14, §. 4 memorata, nomen habet eorum instar, quae paullo ante memoravimus, a voce מַת pro מַתַּת incipiens. In αρμη sunt vestigia thematis חרם, nec vero dissimile est vocem Hebraice scribendam מַתַּחֲרִים, *donum sacratum*, vel *Deo devotum*, vel מַתַּחֲרֵם, *donum devotionis*.

Methres. Vide *Matgenus*.

Methuastartus (Μεθουάσταρτος), rex Tyriorum apud Theophilum l. l. quem Josephus l. l. Ἀβδάσταρτον, i. e. *servus Astartis*, Syncellus Ἀνδάσταρτον appellat. Fuit Hirami Salomonis amici nepos. Ex iis autem quae ad nomen *Matgenus* disputavimus, apparet hoc nomen commode explicari posse *donum Astartes*, i. e. מַתַּהֲעַשְׁתֹּרֶת.

Metines, *Metinus*, *Metten*, *Milinus*. Cf. *Matgenus*.

Miggines. Cf. *Mygdon*.

Milphio, nomen servi Agorastoclis in Poenulo Plautino: quod procul dubio Punicum est. Nam ex Scena II. Act. V, ubi Milphio nonnulla verba Punica, quorum adhuc meminerat, effundit, satis certo colligitur, eum non servum Graecum haberi, quem in patris adoptivi familia repcrisset, vel postea emisset Agorastocles, sed Poenum, una cum filio herili sexenni Carthagine a latronibus surreptum. Quapropter conjicio illud nomen Hebraice sonare מַלְף pro מְאַלֵּף, i. e. *doctor*, παιδαγωγός, et ab officio homini fuisse impositum, quod servi apud veteres exsequebantur, filii herilis curandi, et primis disciplinarum elementis erudiendi atque imbuendi.

Mochus (Μῶχος), historicus Phoenix vetustissimus, quippe, teste Strabone L. XVI. p. 757, bello Trojano antiquior, secundum Bochartum *Canaän* L. II. c. 17, p. 777, Phoenicice appellabatur מְעֻכָה, i. e. *compressio*, quod nomen pluribus vi-

viris et feminis Hebraeis commune est.. Equidem malim pronuntiare מוּכָה et comparare Syriacum ܡܟܝܟܐ, *submissus*, *depressus*, *humilis*, item Hebr. nom. pp. מַכִּי, a deperd. מָךְ. An מִיכָה, cum Simone et Gesenio ab eodem מוּךְ repeti et cum מוּכָה conferri possit, dubito. Plenius nomen est מִיכָיְהוּ, *quis est instar Jehovae?* idem quod מִיכָאֵל.

Mygdon. Hoc nomen martyris cujusdam Africani, aliis nonnullis conjunctum, legitur in epistola Maximi Madaurensis Grammatici ad Augustinum, quae inter Augustinianos est XVI (olim XLIII). Auctor epistolae conqueritur martyrum, nefandorum hominum, sepulcra pluris quam Deorum immortalium templa aestimari et inter alia haec scribit: *Sed impatientem me esse tanti erroris, dissimulare non possum. Quis enim ferat Jovi fulmina vibranti praeferri Mygdonem: Junoni, Minervae, Veneri Vestaeque Sanaem, et cunctis (prô nefas) diis immortalibus archimartyrem Namphanionem, inter quos Lucitas etiam haud minore cultu suscipitur.* Quibus respondens Augustinus (Ep. XVII, olim XLIV) ostendit ista nomina Punica esse: *Nam quod*, inquit, *nomina quaedam Punica mortuorum collegisti, quibus in nostram religionem festivas (ut tibi visum est) contumelias jaciendas putares, nescio utrum refellere debeam an silentio praeterire.* Dein solum *Namphanionem*, vel potius, ut in nonnullis est codicibus, *Namphamonem* attingit, idque *boni pedis hominem* (i. e. ut jam viderunt Petitus et Bochartus, נעם פעמו) interpretatur: reliqua negligit, sive quod eorum potestatem ignoraret, sive quod eorum mentio ad argumentationem suam nihil faceret. Nos igitur aliquam eorum explicationem tentemus. Jam primum *Mygdonem* duodecim Codd. *Migginem* efferunt, uti *Sanaem* plerique *Sanamen*. Illud vero nomen virile, hoc muliebre esse ipsa Grammatici oratio satis demonstrat. *Mygdon* Hebraicis literis scriptum sonat מִגְדוֹן, i. e. *magnum donum et eximium*, sicuti מֶגֶד, hinc *quod in suo genere pretiosum est*, ut מִגְדָּן, quod vocabulum, in solo plurali apud Hebraeos servatum, plane idem est. Alteram lectionem *Miggines* non tamen plane repudiandam putamus. Nempe מִגֵּן est *dare*, *tradere:* ut מְגִנָּה fortasse *donum* significaret. Porro in nomine feminino lectionem Codicum *Sanamen* praeferendam censemus, ut nominativus sit *Saname*, i. e. שְׁנַעֲמָה pro אֲשֶׁר נָעֲמָה, *quae pulcra est et amabilis*, etsi alteri lectioni *Sanaem* haud desit praesidium. Nam *Sanaë* scribi poterit שְׁנָאָה, i. e.

i. e. *quae pulcra* scil. est. Quippe verbum נאה, quod exstitisse verbum auctum נאוה, vel נאוה, ostendit, potuit habere participium masc. נאה, fem. נאה. Restat tertium nomen *Lucitas*, quod componi poterit cum Hebraeo לוחית, in urbis Moabiticae nomine servato, et *splendor*, vel *splendidum*, explicari.

Onesilus (Ὀνήσιλος), rex Salaminiorum, Gorgi frater, cujus res gestas et necem descripsit Herodotus L. V. c. 104. 108. 110—113. Phoenicia stirpe natus erat, etsi nomen quodammodo Graecam formam mentiatur. Nam pater erat Chersis, avus Siromus, de quorum nominum Orientali origine nulla dubitatio est. Ergo demta terminatione Ὀνήσιλος explico אנוש אל, *vir Dei*, ut synonymum sit τοῦ גבריאל, et Graeci δῖος. Malit forsitan aliquis, quod tamen mihi minus placet, nec adeo accurate scriptioni Graecae respondet, אנוש חיל, *vir fortis.* Haud minus Graeca sua specie lectorem decipit nomen

Orsidice (Ὀρσιδίκη), quod filiae Cinyrae ab Apollodoro L. III. c. 14, §. 4, tribuitur. Accurate respondet Hebraicum אור צדק, *lux justitiae*, vel *lux Sedeci*, ut hic lateat numen illud Phoenicium Συδὺκ, de quo in Sanchoniathonis fragmentis sermo est: quo admisso conferri poterunt Hebraica אוריאל et אוריה.

Oxyporus (Ὀξύπορος), nomen filii Cinyrae, fratris Adonidis, a Graecis pariter ad suae linguae rationes accommodatum. Cf. Apollodor. l. l. Quid bic lateat difficile dictu est. Alii igitur, si quid rectius noverint, nobis impertiant. Interim nec a Graeca scribendi ratione, nec ab Orientalium more, multum abludit, si conjiciamus illud apud Cyprios עז האביר, vel, si mavis, עז האבור, quia hoc melius respondet τῷ Ὀξύπορος, et ex linguae legibus אביר et אבור idem significare debuisse constat. Nomen significat *robur potentis*, nempe *Dei:* nam אביר Hebraice de solo Deo dicitur, in constructionibus אביר ישראל, et אביר יעקב, *heros Israëlis* et *Jacobi.* Respondet igitur nominibus divinis Arabicis القادر et العزيز. Ergo cum nomine עז אביר, vel האביר apte comparari poterunt Hebraica עזיאל et עזיה, quae idem notant.

Penthylus (Πένθυλος), dux Paphiorum, Demonoi filius (Herod. L. VII. c. 195). An fuit פנות אל, *respectus*, *conversio*, i. e. *clementia Dei.*

Pharnace (Φαρνάκη), secundum nonnullorum traditionem erat mater Cinyrae, He-

Hesychio teste, v. Κινύρας, cujus haec verba sunt: Κινύρας, Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνάκης παῖς, βασιλεὺς Κυπρίων. Ejusdem mulieris mentio est apud Suidam in Καταγηράσαις Τιθωνοῦ βαθύτερον, ubi in antiquioribus editionibus legitur Κινύρας δὲ, ἀπόγονος Φαρνάκης, βασιλεὺς Κυπρίων, in Kusteriana ex MSS. Parisiensibus K. δ. ἀπόγονος Φαρνάκους. Neutrum bene. Tu emenda meo periculo Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνάκης. Eadem medicina adhibenda est ad alium Suidae locum, v. Σαρδανάπαλλους, ubi iisdem verbis etiam foedius corruptis, ex Pharnace Pharnacus Cypri rex factus est. Nam ibi exstat K. δ. ἀπόγονος Φαρνάκου, βασιλέως Κυπρίων. Quod utrobique ἀπόγονος legitur, id ostendit hoc vitium non Suidae librariis deberi, sed jam exstitisse in paroemiographo aliove auctore, quem in explicando proverbio καταγηράσαις ἂν Τιθωνοῦ βαθύτερον κ. τ. λ. ante oculos habuit. Meursius in *Cypro* L. II. c. 9. p. 107, Münkerus ad Anton. Liber. c. 34. p. 270, et Heynius ad Apollod. l. l. idem nomen restituendum censuerunt Apollodoro L. III. c. 14, §. 3, quo teste Sandocus quidam γήμας Θανάκην τὴν Μεγεσσάρου, Κινύραν τὸν Ἀσσυρίων βασιλέα ἐγέννησεν. Sed primum de Cinyrae parentibus tanta est narrationum diversitas, ut quamvis Φαρνάκην in Θανάκην facile mutari potuisse concedam, nullam caussam videam, cur hoc revera accidisse suspicemur. Tum et reliqua ab Hesychiana ratione discrepant: nam et pater est Sandocus, non Apollo, et Cinyras hic non est Cypriorum rex, sed Assyriorum. Postremo si aliquid mutandum esset, mihi saltem dubium foret utrum praestaret Θανάκην, quod omnes libri, excepto Palat. qui Θανάκην habet, tuentur, an Φαρνάκην, cum illud nisi meliorem, at saltem aeque bonam, explicationem habeat. Nempe inter nomina pp. Hebraica adhuc superest חענך, vel תענך, ex asse Graeco respondens, quod cum Simone a عنك, *peragravit terram*, videtur repetendum: atque adeo partim esse hominis nomen cum significatione *peregrinatoris*, vel *exulis*, ad normam τοῦ תושב pro תושב, *inquilinus*, partim *urbis*, (quo usu in Codice sacro legitur) *a vagantibus et exulibus conditae*, ad quam explicationem confirmandam nomen urbis אשקלון, *migratio*, *sedium mutatio*, conferri poterit. Interim ipsa ratio scripturae nominis Graeci hoc fert ut variis respondere possit formis Hebraicis deperditis scil. תאנה, תאנק, תחנך, תחנק et תענק, item תנח, a נוח et תנח a נחה, nec non תנך a נכה, e quibus praeferendae sunt תחנך, *doctrina*, *institutio*, *initiatio*, תענק, forte *torques*, vel *amplexus*, et תנח, *quies*, quia adhuc ex iisdem radicibus supersunt nomina pp. חנוך, ענק et ענוק, item נוח, מנוח et ינוח,

et

et تنوخ nomen tribus Arabicae. Sed mittamus haec ut prorsus conjecturalia, et potius ad explicationem vocis Φαρνάκη, quae accurata investigatione dignissima est, oculos convertamus. Superest illud nomen adhuc inter Hebraica Num. c. XXXIV. c. 25, ubi פַּרְנָךְ memoratur, pater Elizaphanis. Simonis in *Onomast. V. T.* p. 445, quem singularis hujus vocis cum profanorum *Pharnaces* consensus non latuerat, illam admodum improbabiliter derivat a Chaldaicis פְּרָא, *currere*, et פְּנַךְ, *subsilire*. Gesenius in explicatione nominum pp. Lexico majori adjecta, comparavit Arab. فرنق, *corruptus fuit*. Lexica tantum offerunt فُرْنُق, *pravus*, *corruptus*, et تفرنق, *corruptus fuit*, et *corrupit*, *prave egit*. Pari jure conferri potuisset Chald. פַּרְנֵק, quod dagesch forte in Resch resoluto ortum est ex פַּנֵּק, nam utrumque *oblectare* notat. Eâdem analogiâ ex פְּנַךְ, *subsilire*, *celeriter currere*, Arab. فنك, *contendere*, *instare*, פַּרְנָךְ oriretur, quae sola probabilis mihi videretur etymologia, si vox, me judice, ex linguis Semiticis repetenda esset. Ego vero considerans Pharnacis nomen Persicum esse, (quippe Artabazum Pharnacis filium inter Xerxis aulicos memorat Herod. L. VII. c. 66, L. IX. c. 41, et inter reges Ponticos e Persica stirpe oriundos et Persica nomina gerentes duo Pharnaces fuere) haec igitur considerans, etiam in פַּרְנָךְ formae exoticae, quam Semiticae, vestigia quaerere malo. Respondet ad literam Persicum فرناك, quod Lexica ignorant, linguae vero leges agnoscunt, ex subst. فر, *splendor*, *magnificentia*, *ornamentum*, *lux*, *pulcritudo*, et terminatione adjectiva ناك compositum; ut vox procul dubio *splendidum* significet, vel *magnificum*, vel *pulcrum*. Haud defuturi sunt, qui mirentur, nos nominis Hebraeis et Phoenicibus antiquis noti originem in lingua Persica quaesivisse, idque tantummodo licere existiment in vocibus recentioribus, per Nebucadnezaris forte et Cyri dominationem, in inferiorem Asiam introductis. His vero sic respondeo alia ejusdem rei vestigia in vocabulis etiam antiquioribus non desiderari. Observavit illud nonnullisque exemplis firmavit Gesenius in *Lehrgeb.* p. 187 sq., et in Lexico nomen Tubalkaïnis, Gen. c. IV. vs. 22 eodem retulit, animadvertens توبال apud Persas esse *aeris scorias et ramenta* (vel potius ut apud Meninskium reperio, ipsum *aes*): قين autem Arabice et Persice *fabrum* esse *ferrarium*, vel *aerarium*, ut תּוּבַלְקַיִן respondeat accurate Belgico *Kopersmid*. Nos voces a Gesenio productas novo, nec minus luculento, nominis exemplo augebimus, quod ex

ex recentioribus quidem Regum Chronicorumque libris est repetitum, sed jam veteribus Hebraeis ante deletam a Chaldaeis rempublicam cognitum fuisse videtur, et, si recte conjicio, cum nomine פַּרְנָךְ, cujus gratia haec disputatio instituta est, arctissime cohaeret. De voce פרבר loquor, vel פרור. Prior forma in singulari exstat I Chron. c. XXVI. vs. 18, posterior in plurali II Reg. c. XXIII. vs. 11. Utrobique vero partem atriorum templi Salomonei designari apparet. Nam etsi locum Chronicorum haud satis intelligam, et de officiorum inter Levitas distributione a Davide jam instituta ibi sermo esse videatur, hoc tamen satis constat c. XXVI. vs. 1 — 19 de janitoribus portarumque et atriorum custodibus templi, non tabernaculi, agi, et פַּרְבָּר in atriis esse quaerendum. Clarior et manifestior est alter locus libri Regum, ubi rex Josia dicitur removisse equos Soli sacros, quos Reges Judae collocaverant מִבֹּא בֵית יְהוָה אֶל־לִשְׁכַּת נְתַן מֶלֶךְ הַסָּרִיס אֲשֶׁר בַּפַּרְוָרִים, *ab introitu templi Jehovae ad coenaculum Nathan-Melechi eunuchi*, *quod in Farwarim est*, vel *circa introitum — apud coenaculum* etc., ubi adeo diserta templi Jehovae mentio est, ut mirari subeat Lexicographos et Interpretes, qui hic פַּרְוָרִים ex Chaldaismo de *suburbiis*, vel *suburbanis*, explicent. Res sic intelligenda. Templum duo atria habebat, interius, solis sacerdotibus destinatum, exterius, populo patens. Utrumque cellis, sive cubiculis, cinctum erat; at cellae interioris atrii sacerdotum sacris epulis vacantium usibus dicatae erant, exterioris vero cubiculis, quae ad triginta erant, etiam alii utebantur Israëlitae, ibique, ut conjicio, illis victimarum partibus vescebantur, quae profanis concessae erant. Quapropter mirum non est in illis cubiculis memorari etiam coenaculum Nathan-Melechi, sive eunuchi, sive aulici, qui certe ad gentem sacerdotalem non pertinebat. Haec partim colliguntur ex Jer. c. XXXV. vs. 3 sqq. c. XXXVI. vs. 10, qui loci docent cubicula quaedam certarum personarum familiarumve usibus inserviisse, nec aliquam sanctitatis speciem illis fuisse tributam, cum non tantum Israëlitae, sed peregrini etiam Jehovae cultores (Rechabitae), eo introduci possent. Quod vero de distinctione inter coenacula interioris atrii et exterioris et de horum numero diximus, id Ezechiëli debemus, qui in templo illo, quod c. XI et sqq. descripsit, vetus templum Hierosolymitanum sibi tamquam exemplum proposuerat. Jam illa לְשָׁכוֹת, sive coenacula atrii exterioris, ea pars templi continuis cubiculis frequens, vocabulo e Persica lingua commodato appellabatur הַפַּרְוָרִים, quod nunc explicare aggrediar. Scilicet Hebr. פַּרְוָר ad literam respondet Persico فَرْوَار, quod pp. notat *do-*

domum aestivam, vel etiam ὑπερῷον, *circumquaque januis fenestrisque instructum, et ab omni latere lucem aëremque admittens* (بالاخانه، اطراف گشاده), tum *cubiculum quodvis*, item *horreum*, vel *thesaurum* (كلجينه). Composita est vox ex فر, de cujus variis significationibus jam antea vidimus, de voce פַּרְנָךְ agentes et وار terminatione adjectiva, quae Germanico *bar* et Belg. *baar* respondet, unde etiam analogiae convenienter et פַּרְוָר et פַּרְבָּר effertur. Neque haec sola scribendi ratio est: nam praeterea dicitur فروارز et پروار, vel پروارز, postremo etiam فروال et فرواله, quae varietates nostram de origine vocis conjecturam egregie confirmant: cum apud Chaldaeos quoque pro פַּרְוָר subinde פַּרְוָל et פַּרְוִיל reperiatur. Significationem igitur propriam si spectemus, erit fere synonymum τοῦ فرناك, et *splendore atque luce collustratum* designabit, quod bene quadrat in tale cubiculum, quale descripsimus: nisi forte aliud hic lateat, et Pers. فر respondeat *Ver* Latino, Fηρ Aeolico, quod in ἦρ et ἔαρ reliquae dialecti emolliverunt; ut notio *splendoris* et *lucis* illam *veris*, et apud Graecos etiam *aurorae*, pepererit. Sic igitur فروار esset *veri et aestati aptum*, ad normam τοῦ شاهوار, *Regi conveniens*. Ut ut est, ex collatione Persici vocabuli elucescit, quo modo ista vox apud Chaldaeos de *suburbiis*, vel *suburbanis*, apud Hebraeos de *cubiculis atrio templi circumpositis*, usurpari potuerit. Nam ejusmodi domus aestivae recreationi destinatae quas solennius كوشك, vulgo *Kiosk*, appellant, fere extra urbem in mediis hortis, perenni flumine et densa umbra deliciosis, jacent. Tales villas suburbanas hodieque Constantinopolis plurimas habet in ora Bospori, tales habuit etiam Ispahan flumini Zenderoudi adjacentes, dum ipsa sub Sofiorum imperio florebat, tales denique Chaldaeos in cultissimis fertilibusque Euphratae ripis et Babylonis vicinia condidisse verosimile est, cum rerum potirentur, quo factum est ut suburbiis nomen illud villarum aestivarum פַּרְוָרִים tribuerint. Caussae cur idem nomen cellis templi Salomonei datum sit variae esse potuerunt, quarum optionem liberam relinquimus, dummodo res ipsa non negetur, vocabulum Persicum esse. Forte sic dicebantur, quia villarum aestivarum instar, hilaritati festivae et animo epulis solennibus relaxando destinatae erant. Hoc verosimillimum puto: quamvis etiam a forma sic appellari potuerunt: nam cubicula illa ὑπερῷοις, quae vocabulo فروار indicari supra observavimus, instructa fuisse ex Jerem. c. XXXV. vs. 4 manifesto intelligitur. Neque hoc praetermittendum est فروار de *horreo* quoque et *thesauro* dici;

 nec

nec improbabile esse illas לְשָׁכוֹת, sive cellas, ex parte saltem inserviisse frumento, oleo aliisque rebus asservandis, quae ad quotidianos sacrificiorum usus necessariae erant, unde forte nomen פרורים illis adhaeserit.

Pheles (Φέλης). Rex Tyriorum apud Josephum l. l. c. 18. p. 449, consentiente Eusebio Armeniaco; at in Cod. Hafniensi et apud Syncellum est Φέλλης, Theophilus Ἕλλης scribit. Scaliger in *Canonibus* et *Proll.* explicat פֶּלַח, quod *frustum*, vel etiam *lapidem molae inferiorem*, notat, non *ministrum templi*, ut Mignotius existimat l. l. p. 98. Tum scribendum פֹּלֵחַ, apud Syros ܦܳܠܚܳܐ, i. e. *miles*, *minister*, *cultor*. Cum altera scriptione *Phelles* comparari possit Syr. ܦܰܠܳܚܳܐ, Arab. فَلَّاح, *arator*. Sed mihi verosimilius videtur terminationem hic non adjectam esse a Graecis, et ad radicalem vocis formam pertinere. Nec tamen cum Mignotio פֶּלֶס comparem, i. e. *trutina*, sed פֶּלֶשׁ, *peregrinator*, ἀλλόφυλος, collato Aeth. *falāschi*, quod idem notat, item nominibus pp. פֶּלֶשֶׁת et פְּלִשְׁתִּי, vel quod magis etiam arridet, פֶּלֶט, *evasio*, *liberatio*, vel פֶּלֶת, quod forte idem notat: apud Arabes enim فلت est *evasit*, nisi cum Simone a פָּלָה, *separavit*, derivandum, atque adeo ex פְּלִית contractum sit. Haec duo nomina pp. adhuc apud Hebraeos servata sunt, alterum I Chr. c. II. vs. 47, et c. XII. vs. 3, alterum Num. c. XVI. vs. 1, I Chr. c. II. vs. 33. Graeci vero hoc in suam linguam transferentes, necessario pro Φέλητ, terminatione mutata Φέλης, τος, scripserunt. Lectio Theophiliana Ἕλλης, quam tamen corruptam arbitror, varie explicari poterit. In nominibus pp. Hebr. habemus חֵלֶץ, *liberatio*, *salus*. Num forte est חֹלֵץ, *servator*, Arab. خلص. Conferri non minus apte poterit עֹלֵז, *exultans*.

Philaeni (Φίλαινοι). Noti sunt fratres Philaeni, ex Sallustio *Bell. Jugurth.* c. 79, notae aliunde etiam, ex Geographis maxime, Philaenorum arae, agri Carthaginensis et Cyrenaici termini, etsi parum verosimile sit rem ita gestam esse, ut a Sallustio narratur. Nulla enim finium regendorum ratio excogitari potuit absurdior, quaeque novis rixis et discordiis creandis, quam veteribus tollendis aptior esset. Si utrimque bona fide actum esset, media via inter Carthaginem et Cyrenem sibi invicem occurrissent legati, et necessario utriusque civitatis consilium fuit, ut hac ratione medius locus et ab utraque aequo intervallo distans reperiretur. At nihil profecto potuit esse incertius. Quippe res pendebat ab itineris celeritate, a via quam

quam sequebantur, a soli natura, et quae hujus generis plura sunt. Dein quod Cyrenaei caussati sunt Poenos ante tempus esse profectos, id rei absurditatem auget: quis enim credat neutris legatis additum fuisse custodem et comitem ex adversariis, qui videret, ne quid mala fide ageretur? Quod vero maximum est, num igitur magistratus Cyrenaeorum in legatorum suorum auctoritate et manifesta Carthaginensium fraude acquievissent, et agrum amissum satis compensatum credidissent, legatorum adversae factionis nece, qui defossi pertinaciae suae poenas dederant? Ergo probabile est hanc fabulam et traditionem fuisse in vulgus receptam et ipsa vetustate obscuram: quod nomen quoque Philaenorum ostendere videtur: neque enim proprium esse, sed respondere censeo Hebraico פְּלֹנִי, Aramaeis פְּלָנִיא et ܦܠܢ, Arabico فُلَان, i. e. ὁ δεῖνα, et simpliciter ostendit verum illorum fratrum nomen ignorari, quod profecto posteri grata memoria conservassent, si res umquam accidisset, nec incertis et infidis traditionibus annumeranda esset. Quodsi qui aliter sentiant, hi comparare poterunt nomen viri, sono haud multum abludens

Philaon (Φιλάων), memoratum ab Herod. L. VIII. c. 11. Fuit is frater Gorgi Salaminiorum regis, filius Chersidis. Haud inepte conferri possit deperdita Orientalis forma פְּלָאוֹן, quae significaret *insignem*, *mirabilem*, a פלא, in Niphal *insignem*, *ingentem esse*.

Pygmalion (Πυγμαλίων). Nomen celebratissimum regis Tyrii et Cyprii, quod Graeci etiam Φυγμαλίων (Joseph. l. l.) et Φυγαλίων (Syncellus p. 183) quin, si Eusebio Armeniaco fides, *Physmanon* extulere. Quod postremum confirmat etiam Scaliger in *Proll.* l. l., item ad *fragm. Graec.* p. 30, ex suo Syncello laudans singularem lectionem μυγδαλίων φυσμανῶν. Latini, quantum memini, constanter *Pygmalion* servant. Variae hujus nominis interpretationes exstant. Bochartus explicat פוג מֵעֶלְיוֹן, i. e. *quies ab altissimo Deo*, in *Canaän* L. II. c. 3, p. 353. At פוג notat *frigere*, *torpere*, non *quiescere*. Scaliger ll. ll. praefert פִּתְגַם עֶלְיוֹן, i. e. λόγος ὑψίστου, Gesenius *Gesch. der Hebr. Spr.* etc. p. 229, בֹּהֶם עֶלְיוֹן, *digitus*, vel *pollex Dei*, coll. Arab. بُهْم, synon. Hebraici בֹּהֶן. Quarum explicationum nulla facilitate se commendare videtur et probabilitate, etsi Bochartus eapropter laudandus est, quod non, ut reliqui, עֶלְיוֹן tantum, sed מֵעֶלְיוֹן hic latere viderit. Jam nobis tutissimam his in rebus ducem, Hebraicorum nominum analogiam, secutis opportune se of-

 fert

fert פגע מעליון, vel פגע מעליון, pp. *fatum a Deo excelso*, et hinc *Deodatus*, ut פגע, vel פגע, ut apud Hebraeos scribitur, sit Inf., vel nomen act. a פגע, *incidit*, *accidit*, *occurrit*. At potest etiam ratio habita esse notionis *supplicandi*, quae eidem verbo inest, ut reddatur *rogatio*, vel *rogatus a Deo*, Gr. Θεαίτητος. Quidquid eligas, respondet certe Hebraeum nomen פגעיאל, Num. c. I. vs. 13, c. II. vs. 27, Phoenicio *Pygmalion*, et accuratius etiam scripturae, in Syncelli exemplis editis servatae, Φυγαλίων, quam Hebraice פגע עליון, vel contracte פגעליון efferas, litera Mem extrita, at sensu non mutato, qui si, ut puto, potius est *Deo datus*, quam *a Deo rogatus*, reperies, quod omnino mireris, in lectione Syncelli Scaligerani μυγδαλίων, earum, quas tractavimus, appellationum aliud synonymum. Quid enim aliud est μυγδαλίων, quam מגד עליון, (quod Phoenices fortasse extulerunt מגד עליון), i. e. *donum eximium Dei summi*. Egregie conjecturam confirmat Hebr. מגדיאל, et forma et significatione vicinum. Vide etiam supra *Mygdon*. Alteri tamen explicationi vocum *Pygmalion* et *Phygalion* forsitan faveat nomen *Phrysmanon*, eidem regi a Syncello Scaligeriano tributum, quod cum etiam Interpres Armenus in ipso Eusebio legerit, haud temere repudiandum putem. Hoc enim mihi compositum videtur ex פוס, *supplicatio*, *deprecatio*, et מנן, *fatum*, pp. τὸ εἱμαρμένον. Neutra vox in dialectis hoc sensu superest, sed haud difficulter tamen explicatur. Ad פוס quod attinet, Aphel illius verbi ܐܦܝܣ habet *supplicandi*, *deprecandive* sensum, sed hunc quoque in Pehal illiusque derivatis valuisse, nec igitur a פוס alienum esse, satis ostendit nom. act. fem. a Kal derivatum ܦܝܣܐ, quod eam potestatem habet, quam nos h. l. vocabulo פוס tribuendam esse censemus. Altera vox si מנון scribatur, erit pp. *divisum*, *distributum* pec. *fato*, hinc ipsum *fatum*, unde منون apud Arabes est *mors*. Licet vero etiam מנון efferre, vel מנן, quo in casu duplex admitti possit derivatio, altera a מנן, ut Infinitivus sit, vel participium, altera a מנה, quod pariter *distribuendi* et *dividendi* notione frequentatur. Sed quomodocumque tandem scribatur, est certe dei Phoenicii appellatio, et quemadmodum synonymum et affine est *Deo fatali* מני, memorato a Jes. c. LXV. vs. 11., ita ab altera parte differre non videtur ab isto numine, cujus titulum ante hoc sexennium in nomine pp. עבדמנן lapidis Humbertiani primi re-

reperimus, sive illud, uti tum fecimus, מֹנֵן, sive מְגֵן, vel מָגֵן, pronuntiandum sit.

Pymatus (Πύματος), nomen regis ut videtur Citiensium, Alexandri M. aequalis, apud Athenaeum L. IV. p. 167, C. Graecam quidem formam mentitur, ut *Orsidice*, *Oxyporus* et alia, sed Orientale esse nequaquam dubito. Quis enim umquam Graecorum nomen adeo mali ominis filio imposuisset, eumque *ultimum*, vel *extremum* appellasset, quasi animo praecipiens et verbo indicans, in eo stirpem suam finem esse habituram. Ad corruptam scribendi rationem proxime accedit פִּי מוֹעֵד, *os concionis*, aptus profecto titulus viri principis, vel pro concione verba facientis, vel cui populi concio sua decreta promulganda et exsequenda permittit. Fatemur hoc nomine significari liberaliorem regiminis formam, quae magis in Graecos quadret, quam in Orientales, et in Cyprum a tyrannis saepe vexatam. Sed primum nescimus, quaenam imperii ratio isto quidem tempore apud Citienses fuerit, dein haud improbabile est Graecos cives, quibus illa urbs frequentissima erat, magnam vim ad mitigandam regiminis formam exercuisse et prima libertatis posuisse fundamenta; postremo *senatus* mentionem nobis offert lapis Citiensis XXIII. Vide supra p. 98. Caeterum cum פִּי מוֹעֵד haud inepte conferri poterit פִּיכֹל, *os omnium*, quod nomen fuit copiarum duci et ministro regis Abimelechi, eam forte ob caussam sic dicto, quod de subditorum petitionibus ipse solus ad regem referret.

Rhodanus, cognomen Hamilcaris cujusdam Alexandro M. aequalis, apud Just. L. XXI. c. 6, ubi alii MSS. habent *Rhodonum*, alii *Rhodonem*, at *Rhodinum* Frontinus *Stratag.* I. 2, 3. Fluctuat interpretatio inter Arab. رَاذِن, *croceus*, cui favet lectio Frontiniana, ut a colore cognomen Hamilcar traxerit, et nomen gentile רֹדָנִי, i. e. *Rhodius*, ut puto. Plurale רֹדָנִים exstat I Chron. c. I. vs. 7, at דֹּדָנִים, quod nonnulli tuentur, Gen. c. X. vs. 4, ubi tamen Cod. Hebr.-Sam. et LXX cum uno alterove codice habent רֹדָנִים.

Rhoecus (Ῥοῖκος), Amathusiorum rex, incertae aetatis. Cf. Hesych. in Ῥοίκου κριθοπομπία. Suidas qui in omnibus Hesychio conspirat, habet Ῥίκου, nec utrum melius sit definio. Explicatio nominis a terminatione pendet. Si haec, ut puto, hic a Graecis addita non sit, comparandum est רֹכֵשׁ, *possessor*, *dives*, vel רֶכֶשׁ, *equus celer*: at si quatuor tantum literae priores ad nomen pertineant, a רַךְ, *mollis*

 et

et delicatus, derivari poterit, pro quo olim etiam רֹךְ usurpatum sit. Caeterum nomen Orientale esse putavi, quia Amathuntem Phoeniciam urbem fuisse scimus. Nam Ῥοῖκος Graecum quoque nomen proprium fuit, ut discimus ex Herod. L. III. c. 60, qui conditorem templi Junonis Samiae Ῥοῖκον appellat Φιλέω, item ex Pausania L. VIII. c. 14, et L. X. c. 38, ubi idem artifex memoratur. E Graecorum fabulis duos alios ejusdem nominis excitavit Bentlejus ad Horat. Od. L. II. 19, 23. Si vere Graecum sit, *varum* denotabit, nisi accentus obstet: hoc enim est ῥοικός.

Saites (Σαΐτης). Sic Africanus et Eusebius apud Syncellum primum Pastorum in Aegypto regem appellant, quem Josephus ex Manethone vocat Σάλατιν, ipse Syncellus Σαΐτην. Duo posteriora quin a שָׁלַט, *dominari*, derivanda sint et *regem* significent, sive שֹׁלֵט forma veteri participiali, sive more Syrorum שַׁלִּיט efferatur, de eo quidem mihi non major dubitatio est, quam Mignotio. Jam Σαΐτης videtur, participium سَائِد, *princeps*, a rad. ساد, atque adeo plane esse synonymum τοῦ *Salatis:* nisi forte Salatis ὁ Σαΐτης, nempe βασιλεὺς, dictus sit, quia in nomo Saïtico sedem et robur imperii habebat, ut ex Manethone apud Josephum satis constat.

Salambo (Σαλάμβω), Hesychio teste nomen fuit Veneris apud Babylonios, quod hoc loco, de solis Phoenicibus eorumque coloniis agens, silentio praetermisissem, nisi Munterus *Rel. der Babyl.* p. 23. n. 1 me edocuisset anno aerae nostrae 287 illius deae religionem adhuc viguisse Hispali in Hispania, unde merito suspicatur Vir Illustr. Phoenicibus illam religionem notam fuisse et ab illis in eas regiones translatam. Nomen me judice Hebraicis literis scribendum est שֶׁעֹלָם בּוֹ, i. e. *id quo mundus continetur, vel cujus opera mundus existit*, quod quam aptum nomen sit principio naturae omnia generanti, non opus est ut moneamus.

Sanae et *Saname.* Cf. *Mygdon.*

Sanchoniathon. Celeberrimi historici Phoenicii nomen Σαγχωνιάθων scribitur apud Porphyrium *de abstin.* Lib. II. §. 56, et Eusebium *Praep. Euang.* Lib. I. p. 30 sqq., at Σαγχωνιάθων exstat alio loco L. X. p. 485, quem exscribens Theodoretus *de Cur. Gr. affect.* L. II. p. 28, pariter Σαγχωνιάθων effert. Idem Suidas habet: Athenaeus autem L. III. p. 126, eundem appellat Σουνιάθωνα. At hoc corruptum esse existimavit Bochartus in *Canaän* L. II. c. 17, p. 771 sqq. et vulgarem nominis exarandi rationem, quam solam veram arbitratus est, ortam esse conjecit ex Orientali סַנְקְנָאתוֹ, quod ipse interpretatur, *lex* (est) *zelus*

lus ejus. Sed primum incertum est an דָּן unquam de lege dictum fuerit, dein, quod Bochartus validissimum opinionis suae fulcrum censuit, eam explicationem scilicet bene respondere videri nominis significationi a Theodoreto traditae, id nobis admodum infirmum videtur. Fatemur Theodoretum dixisse *Sanchoniathon* idem significare Phoenicibus, quod φιλαλήθης Graecis, sed in utroque Eusebii, vel potius Porphyrii, loco, quorum iste alterum expressit, penitus diversa sententia φιλαλήθως exaratum est, nec verborum nexus satis declarat, utrum sit verius. De quo ut melius judicetur, totum locum subjeci: Σαγχωνιάθων δὲ (in L. X δὲ, ὁ) κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον, φιλαλήθως τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν συναγαγὼν καὶ συγγράψας ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε κ. τ. λ. Vides utriusque lectionis aequale fere pondus, parem auctoritatem. Nam hinc φιλαλήθως bis apud Eusebium repetitum, nec sententiae ineptum, illud φιλαλήθης Theodoreti suspectum facit; illinc fatendum vocabulum συναγαγὼν plus favere lectioni Theodoretianae, quam Eusebianae. Nam bene quidem dicitur Sanchoniathonem historiam veterem Phoenicio sermone conscripsisse, non item ista lingua eandem collegisse (τ. π. ἱστορίαν κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον συναγαγεῖν) ex monumentis urbium et templorum. Si enim auctor dicere voluisset ista monumenta Phoenicio sermone scripta fuisse, quae sola satis apta sententiae declarandae ratio foret, procul dubio rem aliter extulisset, vel saltem efferre potuisset. Quapropter si φιλαλήθως hic sit a manu Porphyrii, exspectes eum inverso vocabulorum ordine dicturum fuisse Σαγχωνιάθων κ. τ. λ. συναγαγὼν καὶ κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθως συγγράψας. Ut ut est, certe illud Bocharti *lex est zelus ejus* parum respondere existimo Graeco φιλαλήθης, et aliud verosimilius quaerendum esse. Hoc vero reperio in Hebraea scriptione שֶׁנְּכוֹנְיָדוֹ, pro אֲשֶׁר נָכוֹן יָדוֹ, *cujus manus*, (i. e. fides) *est sincera et integra*. Translata potestas *manus* ad fidem designandam in omnibus linguis adeo recepta est, ut illius notionis in Lexicis linguarum Semiticarum defectus me certe non moveat; praesertim cum Hebraeis etiam nota sit figura *manus dandi* de fide obstringenda. Cf. II Reg. c. X. vs. 15, Ezra c. X. vs. 19. Nec dubium esse potest in ista phrasi utrum יָד, de *fide*, an de *potestate* sumendum et vertendum sit, *cujus vis firmata et stabilita est*, cum apud Hebraeos saltem נָכוֹן proprium sit *animi*, non *virium* firmitati et integritati. Si qui tamen sint, quibus ista argumenta non satisfaciant, his alia dabo mihi minus probata, nec ipsa tamen sensu multum discrepantia. Etenim conjici quoque poterit, vel שֶׁנְּכוֹנְיָתוֹ, *cujus natura integra et sincera est*, ex שׁ, pro אֲשֶׁר, נָכוֹן et יַת,

Syr.

Syr. *natura*, *essentia*, i. q. Hebr. יֵשׁ, et affixo; vel etiam שְׁכִינָה אִתּוֹ, *quocum est integritas*. Illud אִתּוֹ certe latet in altero viri nomine Σουναῖθων, quod corruptum profecto non est, sed vere Phoenicium; ut apparet ex nomine *Suniatus*, quod vir primarius inter Carthaginenses tempore Dionysii senioris gessit, teste Justino L. XX. c. 5. Utriusque eadem fere ratio est. Prius pronuntio שְׁאוֹנִיָּה אִתּוֹ, *quocum prudentia est*, posterius שְׁאוֹנִי אִתּוֹ, *cujus signum*, vel *symbolum*, *est prudentia*. Hoc Syriacam potius formam habet, illud Hebraicam. Syris enim ܐܘܣܡܐ est *prudentia*, *sagacitas*, quod in statu absoluto effertur ܐܘܣܡ; tum אָת Chald. respondet τῷ אוֹת Hebraico. Jam אוֹנִיָּה etsi nunc non exstat, ex analogiae lege olim existere debuit. Nam omnes formae femininae Hebraeae in ית desinentes sororias habent in יָה, a quibus pluralia sua derivant. Sunt autem ad unum omnes adjectivae, licet nonnumquam in usum substantivum abierint: quod etiam voces אוֹנִיָּה et אוֹנִית confirmant. Nam ܗܘܢ quod et ܐܘܢ pronuntiatum fuit, est *mens*, *intellectus*. Hinc fluxit אוֹנִי, Syris ܗܘܢܬܢ, *prudens*, unde in fem., vel potius neutro, exstitit abstractum nomen אוֹנִיָּה, vel אוֹנִית, *prudentia*.

Sapho, vel *Sappho*. Cf. *Sophonisba*.

Sichaeus. Didonis maritus, Pygmalionis regis avunculus, hoc nomine in vulgus noto a Virgilio insignitur. Notat vero Servius ad Aeneid. L. I. vs. 347, Poëtam nomen illud metri caussa emollivisse: proprium enim viri nomen fuisse *Sicharbas*. Cujus sententiae fides penes auctorum esto. Nam etsi *Sicharbas*, (Hebraicis literis scribendum זְכַרְבַּעַל, *recordatus est Baäl*, ad normam notissimae vocis compositae זְכַרְיָה), revera pp. nomen esse videatur, nihilominus etiam *Sichaeus* non fictus, sed verus ejusdem viri titulus est, ei muneris sacri (Herculis enim sacerdos erat) et vitae sanctae caussa tributus. Quippe procul dubio *Sichaeus* idem est quod *Zacchaeus* Ζακχαῖος, II Maccab. c. X. vs. 19, Luc. c. XIX. vs. 2, quod Hebraice effertur זַכַּי, *purus*, *justus*, cum terminatione Aramaea adjectivi a זַךְ, infinitivo deperdito verbi זָכַךְ, *purum esse*. *Sichaeus* forte fluxit a vicina forma זַכַּי, vel, quod malim, a זַכַּי, vel זְכִי, adjectivo ejusdem potestatis a verbo זָכָה, quam derivationem Latina scribendi ratio quodammodo tueri videtur: alias enim Sichaeus scriptum fuisset. Tertium denique nomen ejusdem viri apud Justinum L. XVIII. c. 4 et 6 est *Acerbas*, quod Faber ad istum locum ex *Sicharba* corruptum, Schef-

fe-

ſerus *Aterbas*, vel *Atherbas*, Gronovius *Adherbas*, scribendum existimaverunt, de noto Punico *Adherbalis* nomine cogitantes. Ego verò *Acerbas*, i. e. *Acerbal*, accurate respondere existimo Phoenicio עקרבעל, i. e. *stirps Baälis*, q. d. διογενής. Comparentur Hebraica nomina pp. עקר et שרש, et Phoenicium Ἀβίβαλος, i. e. אביבעל, *pater est Baäl*, quod sensu est affine, et paterni generis nobilitatem ab ipsis Diis repetitam spectat.

Siromus (Σίρωμος), Tyrius, Mapenis, vel potius Mattenis, regis pater (Herod. L. VII. c. 98), item alius, Salaminiorum rex, Euelthontis filius, Chersis pater, apud Herodotum L. V. c. 104 memoratus, nomen quidem Phoenicium habent, at a Graecis corruptum, et ad suae linguae rationes accommodatum. Docet enim Syncelli comparatio p. 183, pro Εἴρωμος, quod Josephus habet, ubique Σίρωμος ponentis, apte et prudenter comparari posse Hiromi, vel Hirami, nomen, ex Davidis et Salomonis historia notissimum, et quemadmodum ex ἕλη (Belg. *hel*) ἕρω, ὕπερ et ὗς etc. nata sint σέλας, σελήνη, *sermo*, *super* et *sus*; sic etiam Σίρωμος ex Εἴρωμος ortum esse. Nec illud negligendum Hirami nomen fuisse Tyriis solenne: tum verosimile esse Siromum istum Tyrium Herodoti, eundem esse quem Hiromum appellat Josephus *contra Ap.* L. I. c. 21 et Cyro aequalem facit. Nempe, si Josepho credimus l. l. Hirami illius anno 14 Cyrus imperium adeptus est, i. e. dominationi Chaldaicae finem fecit. Hinc ad Hirami mortem sex, vel septem, anni sunt; nam viginti annos rebus praefuit. Jam ab Hirami morte, defuncti Anno a. C. N. 531, vel 530, ad expeditionem Xerxis Graecam a. C. N. 478, cui Mapen interfuit, effluxerunt anni 52, vel 53, ut si pater Hiramus filium istum reliquerit adhuc parvulum, huic belli Persici tempore satis adhuc virium superfuerit ad classem Tyriam regendam, cujus rei probabilitas insigniter augebitur, si cogites haec ex sola Josephi pendere opinione, Ithobalem regem in ipso obsidionis Tyriae fine decessisse existimantis, atque ab eo inde tempore successorum annos numerare instituentis. At haec gratis sumuntur. Potuit pluribus annis obsidioni superesse Ithobalus, atque adeo Hiromus totidem annis serius defungi. Sic igitur hinc etiam apparebit Siromum eumdem esse et Hiromum, de cujus nominis ratione nunc videndum est. In Hebraeorum scriptis tres illius formae sunt. חורם, חירם et חירום, quarum postremam, in Vet. Test. rarissimam, imprimis Phoenicibus placuisse ex allatis Graecae scripturae exemplis apparet. Omnium formarum tamen idem jus, eadem ratio est. Sunt enim Infinitivi a Pohel, sive III Specie Arabica, derivati. Duo posterio-

 res

res respondent formae فيعال, cujus exempla Hebraica sunt עילום, *aeternitas*, עירם, *nuditas* et *nudus*, כישור, *colus*, צינק, *compes*, תימר deperditum, unde fem. תימרה, *palma* etc. Tertium חורם formatum est ad normam Infinitivorum Aethiopicorum ejusdem speciei, quorum exempla apud Hebraeos sunt inter alia כומז, *bulla*, עוגב, *instrumentum musicum*, et שועל, *vulpes*. Jam si de sensu anquiramus, illa nominum trias significare poterit *prudentiam*, vel *intelligentiam*: nam Arabes in Sp. III. dicunt هو لحازم عقلا, de *eo qui intellectu et prudentia pollet*. Haec nostra ratio est; vulgo parum probabiliter derivant voces istas a חור, vel חיר cum Mem servili, iisque *virum nobilem* significari autumant.

Sophonisba, celebratissima filia Asdrubalis, Syphacis et Massinissae uxor. Ipsa longitudo nominis satis demonstrat illud compositum esse; in duabus autem postremis syllabis facile omnes qui Hebraice sciunt mecum agnoscent vestigia, sive verbi נשבע, *juravit*, in *nisba*, sive in *sba* vocis שבע, quae *jurisjurandi*, vel *promissi*, ut videtur, potestate, in nonnullis nominibus Hebraicis occurrit. Sic habemus באר־שבע, בת־שבע, item אלישבע et יהושבע, quorum exemplorum duo posteriora, in quibus שבע nominibus divinis postponitur, admodum probabile faciunt etiam hic numen aliquod Phoenicium latere in prioribus syllabis, cujus promisso et peculiari beneficio parentes filiam suam attribuebant. Quaerenti vero mihi, quid sit *Sophon*, vel *Sopho*, opportune se obtulit nomen Typhonis κακοδαίμονος, cujus nomen Hebraicis literis צפון sonasse, magno eruditorum consensu colligitur, ex urbis Aegyptiae prope sinum Arabicum sitae appellatione בעל צפון, quam, alias Αὔαρις et Τυφῶνος dictam et a regibus τῶν Hyksos conditam, a cultu Typhonis nomen accepisse volunt. Ergo totum nomen secundum istam conjecturam sonaret צפנשבע, *Typhon juravit*, vel צפנישבע, cum Jod epenthetico, i. e. *Typhonis juramentum*, vel *promissio*. Manifestum ejusdem numinis indicium est in nomine ducis Poeni, Hamilcaris filii, *Sappho* vel potius, uti in MS. Vossiano legitur *Sapho*, i. e. צפון, quod Justinus L. XIX. c. 2 conservavit. Est quoque urbis nomen צפון in regno Sihonis Amoraei, et postea Gaditis attributae, Jos. c. XIII. vs. 27, quod a Deo צפון ibi olim a Phoenicibus culto, quam cum Simone a borea vento, vel a situ occulto, repetere malim. Quin si Josepho fides *Antiq. Jud.* L. VII. c. 8, p. 384, exstitit olim urbs Βελσεφῶν, Aegyptiae homonyma in tribu Ephraim: etsi in lo-

loco, quem respexit, II Sam. c. XIII. vs. 23 omnes Codd. et verss. in receptam lectionem בעל חצור conspirant. Videant eruditi an mihi assentiantur eodem glossam Hesychianam istam referenti Ζαχάνας· θεός τις ἐν Σιδῶνι, quod emollita pronuntiatione pro Ζαβῶνας, vel Ζαφώνας, dictum puto, nisi posterius, haud adversante saltem serie literarum, rescribendum sit. Quod verò *Sophonisba* scriptum sit, pro *Sephonisba*, id sanè nemo mirabitur qui meminerit etiam a Graecis Σοφονίας et Σολομών pro Hebraicis צְפַנְיָה et שְׁלֹמֹה efferri. Quin ipsius quoque צְפוֹן, Graece haud dissimili ratione scripti, exemplum superest in voce *Sophanis*, quod nomen est loci a Ptolemaeo supra Paraetonium in ipsis Aegypti et deserti Libyci confiniis collocati. De significatione vocis nulla potest esse dubitatio. Nam sicuti Baäl Zephon ab oriente collocatum erat, ubi incipiebat desertum Arabicum, i. e. Typhonis regnum, ita ab occidente in arenarum Libycarum ora situm erat *Sophanis*, i. e. Τυφώνιον. Utrique enim solitudini praesse censebatur. Vid. Creuzer loco inferius laudando p. 317. Vel sic tamen haud defuturi sunt nonnulli, qui objiciant Typhonem Deum Aegyptium fuisse, nec ad Phoenices adeo magnopere spectare videri; quodsi revera his cognitus fuerit, hoc numen fuisse humano generi inimicum, fecunditati adversum, nec igitur probabilem esse conjecturam, ut parentes liberos suos illius beneficio acceptos retulerint, eosque illius nomine insigniverint. Quibus sic respondemus, Phoeniciae religionis principia, ut omnes norunt, in multis magnam cum Aegyptiacis habuisse similitudinem et affinitatem, nec igitur mirum esse, si Typhon etiam utrique populo communis fuerit, etsi ista de re aliunde non constet. Quin etiam cum Typhon numinum Aegyptiorum, Osiridis et Isidis maxime, hostis habeatur et non ipsi Aegypto, sed desertis Arabiae et Libyae arenis et mari medio, quod Aegyptiis paene clausum et interdictum erat, praefuerit (Creuzer *Symb. und. Myth.* T. I. p. 318) non immerito quaeri potest utrum talis Deus in antiquissima hujus gentis theogonia locum et sedem habuerit, an potius a Phoenicibus inferioris olim Aegypti dominatoribus illa Typhonem acceperit, quem deinceps tamquam κακοδαίμονα, illius malitiae placandae et averruncandae gratia, coluit. Quam opinionem tanto facilius amplector, quod Phoenices pastores, qui ex Arabia profecti Aegyptum invaserunt, sub Typhonis tutela fuisse apparet. Urbi enim Avaris, quam illi condidere, nomen erat Τυφώνιος, Joseph. *contra Apionem* L. I. c. 25. p. 460, et clades, quam illic passi sunt, Typhonis apud Avarin a Jove fulmine percussi imagine adumbrata est. Cf. Stephanus v. Ἡρώων πόλις· Champoll. *l'Egypte sous*

 les

les Pharaons T. II. p. 90 sq. Haec igitur si recte conjicio, Typhon, Aegyptiis inimicus, Phoenicibus contra favens et propitius videri debuit, praesertim cum maris imperium teneret, atque adeo illius religio genti rei nauticae et commerciis deditissimae acceptisima foret. Quapropter hic ipsum fortasse tenemus nomen Neptuni Phoenicii, de cujus cultu multa quidem veterum testimonia collegit Munterus in libro de Religione Carthaginensium p. 97—103, titulum vero Dei reperire non potuit. Ejusdem fortasse vestigium servat nomen Attici hominis, virtute sua in pugna Plataeensi clari, *Sophanis* Deceleensis. Vide Herod. L. IX. c. 73 sqq. Hic legitur Σωφάνης, in omnibus Pausaniae Codd. L. I. c. 29 est Σωφανής, in cujus locum an jure Bekkerus ex Sylburgii monitu Herodoteum illud receperit, adhuc dubito. Fateor nomen Graecum esse posse; at si hominis originem cogitemus, de Graeca vocis significatione subdubitabimus. Nempe fuit, ut diximus, Deceleensis. Demum vero Deceleam pertinuisse ad tribum Hippothoontidem docet Stephanus in v. Δεκέλεια. Haec tribus nomen habebat ab Hippothoo, Neptuni et Alopes filio. Cf. Paus. L. I. c. 5, et Creuz. *Symb. und Mythol.* T. IV. p. 352, et ibid. n. 46. Haud ignoro istam appellationem a Clisthene esse exortam, qui Atticos in decem tribus dispescuit (vide Herod. L. V. c. 66, ibique Valck. et L. VI. c. 131), at nihilominus verosimile est illum in heroibus eligendis, quorum nomina tribus gererent, vetustarum religionum, quas singulae colebant, rationem habuisse; atque adeo tribum Hippothoontidem ad eam partem populi Attici pertinuisse, quae Erichthonii aetate tribui Posidoniadi accensebatur. Cf. Pollux L. VIII. §. 109. Quod enim Creuzerus, l. l. T. III. p. 54, Aristidis scholiasten secutus, a Valcken. ad Herod. L. V. c. 66, descriptum, Clisthenem ex centum heroum nominibus decem eligendi Pythiae fecisse potestatem existimat, a quibus tribus appellarentur, id probare non possumus. Sic enim res sine ratione et consilio peracta esset. Nonne vero contrarium demonstrant quaecumque de Eleusine, Deceleae vicina et pariter ad tribum Hippothoontidem pertinente (Vide Steph. v. Ἐλευσίς), perhibentur. Reperimus ibi fontem Alopen in quam matrem Hippothoi conversam ferebant, ibi bellum gestum videmus inter Eumolpum Neptuni filium et Erechtheum, ibi Eumolpidas, i. e. Neptunidas, sacrorum antistites; ibi denique, ne alia commemorem, Neptunus communibus sacris colebatur cum Triptolemo, et ipse heros Eleusis censebatur Oceani nepos. Paus. L. I. c. 38, §. 6 et 7. Vides quantopere omnia in Neptunum conspirent, i. e. in traditionem vetustam de peregrinorum ad Eleusin et vicina loca per mare adventum. De quibus vero peregrinis hic tandem cogitabimus,

mus, nisi de Phoenicibus? Quaecumque enim de Cecropis et Aegyptiorum in Atticam transitu fabulantur, ad Hyksos, sive Phoenices, inferioris Aegypti dominos, referenda esse dudum est quod vidit Rochettius *Hist. de l'établissem. des Colonies Grecques*. T. I. p. 113 sqq. Huc spectat, hoc probat etiam ipsum nomen Δεκέλου herois, quod Graecum non est, sed Semiticum דָּחֵל, i. e. Arab. داخل, *advena*, quam notionem in Lexicis deficientem offert cognomen primi Omayadarum in Hispania Khalifae, Abdorrahmanis ad-Dachel. Hinc porro formatur דְּחֵלִיָּה, *colonia advenarum*, i. e. Δεκέλεια. Ut vero de sacris Eleusiniis taceam, quae cum Cabiricis adeo cohaerent, et Phoenices habuisse videntur conditores, seriore etiam aevo videmus eosdem cum Atheniensibus de Neptuni sacerdotio contendentes. Superest enim titulus orationis Dinarchi διαδικασία Φαληρέων πρὸς Φοίνικας ὑπὲρ τῆς ἱερωσύνης τοῦ Ποσειδῶνος. Hos Phoenices forsitan respexerit Hesychius in v. Φοίνικες· γένος τι Ἀθήνησιν, ut jam Meursius *Att. lect.* L. V. extr. et Bochart. in *Canaän* L. I. c. 21, p. 456 monuerunt. Agit eodem capite Bochart. uti Meurs. l. l. L. V. c. 31 de Gephyraeis Phoenicibus, Cadmi sociis in Attica habitantibus, quorum nomen Etymologus M. derivat a ponte (γέφυρα) in eorum agro sito, quem mystae Eleusinem pergentes transibant. Quae derivatio etsi falsissima est (nam nomen vel repetendum videtur ab antiqua eorum sede Palaestinensi כְּפִירָה, urbe Hevitarum, postea Benjaminitarum, vel simpliciter notat *vicatim habitantes*, כְּפִירִים a כְּפָר, *pagus*), etsi igitur falsa sit, hoc tamen novo argumento corroborat opinionem circa Eleusin et in vicinis locis habitasse Phoenices. Quae omnia dum considero, simul reputans hanc Phoenicum in Attica degentium a reliquis civibus distinctionem ad Dinarchi usque aevum eduravisse, tum nomen *Sophanes*, vel *Sophones*, alias a Graecis non frequentari, haud illibenter credam etiam hic nominis Typhonici, i. e. Neptunici, vestigium superesse. At objiciat aliquis, Harmodium et Aristogitonem, Hipparchi interfectores, origine Gephyraeos, Graeca tamen nomina habuisse. Cui sic respondeo, ex Clitomachi philosophi exemplo, item ex lapide Melitensi bilingui et ex duabus inscriptionibus Atheniensibus ab Akerbladio editis, satis constare Phoenices saepe duo habuisse nomina, alterum Orientale, alterum Graecum. Sic igitur, qui inter suos Σωφάνης audiebat, Graece appellatus est Ποσειδώνιος. Neque hoc reticendum, quod mihi primam in totam hanc rem accuratius inquirendi cogitationem injecit; Sophonem ancoram gessisse, vel a balteo suspensam, vel, quod longe verosimilius est, in scuto pictam, in indicium fortasse et memoriam originis

 Ne-

Neptunicae, sive nauticae. Fateor tamen me anchoram in Apollinis potius quam Neptuni attributis reperisse. Nota quippe fabula est a Justino L. XIV. c. 4 prodita, Seleucum Nicatorem ejusque posteros habuisse anchorae formam in femore, quod Apollo gentis auctor cum matre Seleuci Laodice concumbens ipsi annulum anchora insignem dono dedisset. Nisi forte nexus aliquis mihi haud satis perspectus inter haec numina intercesserit, et attributa nonnulla communia habuerint. Memorat certe Dio Chrysost. ab initio Orationis XXXIII tridentem Apollinis (Tarsici), quem locum Viri docti frustra emendare conati sunt. Sed hoc ut plane incertum, in medio relinquamus, nec etiam in tantis rei tenebris investigare conabimur, quid Phoenices ista appellatione צפון spectaverint. Quod animadvertimus eo tantum pertinet, ut, quantum fieri possit, probabiliter explicemus, quomodo Typhon inter Deos humano generi faventes apud Phoenices censeri, et Ποσειδῶνι, vel Neptuno, respondere potuerit.

Staan. Cf. *Ianias.*

Suniaethon et *Suniatus.* Cf. *Sanchoniathon.*

Syennesis (Συέννεσις). Nomen solenne regum Ciliciae, quorum complures sic appellati variis temporibus apud veteres memorantur, item medici Cyprii ab Aristotele in *Hist. Animal.* L. III. c. 2 laudati. Significatio tituli, nam titulus potius est, honoris caussa datus, quam nomen, *et* in peritum medicum quadrat, *et* in bonum regem. Notat enim *Syennesis*, i. e. שׁוּעַהְנָם, vel שׁוּעַאְנָם, *hominum salutem* (Menschenheil). Composita vox est ex שׁוּעַ, n. act. verbi ejusdem soni, et cum origine, tum significatione, a יָשַׁע, *amplum esse*, *salutis compotem esse*, haud diversi, et נָם, *homines*, *humanum genus*, cum articulo ה, vel א composito. Vocis נָם (pro אֱנָשׁ, Syr. ܐܢܫ, *nosch*), ad normam Arabici نَاس collective sumtae, aliud exemplum exstat in nomine Jovis Cretaei *Marnas*, i. e. מַרְנָם, ἄναξ ἀνδρῶν, quo, teste Stephano Byzantino in Γάζα, apud Gazaeos insignis erat. Explicationem istam jam dederat Bochartus *Canaän* L. II. c. 12. p. 743.

Tetramnestus (Τετράμνηστος), Sidoniorum rex, Xerxis aequalis, apud Herod. L. VII. c. 98. Nomen Hebraice scriptum sonuisse videtur תַּעְתֹּר הַמְנַשְּׂאתָה, *supplicatio Deae sublevantis*, i. e. *supplici prece a Dea sublevante efflagitatus.* Vox תַּעְתֹּר, vel etiam תְּעָתֵר, pro תַּעְתִּיר, est nomen act. verbo עָתַר, quod in Kal et Hiphil apud Hebraeos notat *Deo supplicare*, *precibus numen venerari:* tum הַמְנַשְּׂאתָה mi-

mihi participium est cum He paragogica femininum in Pihhel a נשא, quod in ea specie notat *sublevare*, imprimis *donis et muneribus*. Proprie scribenda fuisset ista vox המנשאתה, sed Graeca nominis exarandi ratio postulare videtur, ut hic forma a verbo quiescente ultima litera He repetita sit, quemadmodum alias etiam factum, ut in נשוא 3. p. praet. pl. et נשוי. Jam probabile censemus illud cognomen esse Deae Astartes, genitricis omniaque bona mortalibus largientis.

Thamyras Cilix, teste Tacito *Hist.* L. II. c. 3, qui primum scientiam artemque aruspicum cum Paphiis communicavit, cujusque posteri sacerdotium ibi tenuere. Hi cum Ταμιράδαι ab Hesychio appellentur, Meursius in *Cypro* L. I. c. 17, aliique illius exemplo, apud Tacitum quoque *Tamiram* scribendum putaverunt. Ego vero donec tertius testis afferatur, qui inter Tacitum et Hesychium pronuntiet, ab omni emendatione abstineam, idque tanto lubentius, quod fortasse utraque scribendi ratio respondere potuit voci Arabicae ضمير, vel potius Aramaeae טמיר, quam hic latere suspicor. Nomen quippe fluvii Phoenicii *Tamyras* sine adspiratione scriptum, ex eodem fonte ortum esse videtur, ut infra ostendam, etsi *th*, aliquanto melius exprimat Tet, vel Tsade, quam simplex *t*. Quo spectat etiam quod nomen Thamyridis, vatis Thracii, post Homerum Iliadis II. vs. 595 a veterum compluribus memorati, excitatis ab Heynio ad Apollod. L. I. c. 3, §. 3, pariter adspiretur. Quippe Thracium vatem, non minus quam Cilicem, sic dictum puto a mysteriis, quibus initiatus erat. Nempe ضمر notat *animo concipere*, *cogitare*, *intelligere*, unde ضمير, *arcanum mentis* et active, ut censeo, *intelligens*, *cogitans* (cf. *Orpheus*, i. e. ערף, عارف, ut alii jam monuerunt). Pariter טמר frequentatur *occultandi* potestate; et טמיר, vel טמיר est *latens*, *occultus*, ut in his nominibus pp. respondere videatur Graecis μύστης et μεμυημένος.

LIBER

LIBER SEXTUS.

EXPLICATIO NOMINUM MULTORUM, IN GEOGRAPHIA VETERI PHOENICES, CYPRI ET AFRICAE OCCURRENTIUM, ITEM GLOSSARUM ALIQUOT PUNICARUM ET CYPRIARUM.

Absolvimus commentarium in nomina pp. virorum et feminarum Phoenicia, Carthaginensia et Cypria: nunc eandem operam tribuamus locorum et gentium appellationibus, quarum, etsi haud paucae admodum probabiliter explicari possint, in universum tamen longe major difficultas censenda est. Illorum enim nominum, de quibus superiore libro egimus, significatio arctioribus limitibus circumscripta est, cum magnam partem, vel Deorum benignitatem et parentum gratum animum commemorent, vel honoris titulum contineant, vel cognomina sint e corporis specie ducta. Quo hoc accedit, quod maxima saepe inter hominum nomina pp. Hebraica et Phoenicia analogia reperiatur et similitudo, ut subinde hoc solum discrimen sit, quod pro Jehovae nomine Baälis aliorumque numinum titulos Phoenices in illarum vocum compositione usurpaverunt. At enim locorum longe diversa ratio est, quam hominum, et infinitus esse potuit caussarum numerus, quae nunc plerumque ignorantur, unde regiones, urbes, flumina, montes, nomen traxerunt. Hinc magna saepe rei obscuritas et explicandi difficultas in Hebraicis etiam locorum nominibus in Vet. Test. occurrentium, multoque major in Phoeniciis auctorum veterum beneficio conservatis, ubi Graecorum Latinorumque elementorum ab Orientalibus discrepantia et ignorantia librariorum genuinae vocum scripturae spissas nonnunquam tenebras circumfudit. Quibus interpretationis molestiis etiam haec annumeranda est, quod haud raro incerti sumus, utrum Cypriorum et Africanorum locorum tituli a colonis Phoenicibus, an hinc a Graecis, illinc a Numidis et Mauris, inventi sint et impositi. Ab altera tamen parte fatendum est nonnulla, sive explicationis, sive conjecturae, subsidia nobis non omnino deesse. Cum enim pleraque nomina locorum Palaestinae, Hebraeorum terram Cananaeam occupantium temporibus antiquiora sint, atque adeo Phoenicibus debeantur auctoribus, rationi consen-

sentaneum est, ut haec aliis locorum, sive ipsius Phoeniciae, sive coloniarum nominibus (quatenus scilicet ipsa regionum diversitas illud concederet) in universum admodum similia fuisse, atque eam ob caussam illis illustrandis inservire posse existimemus. Quam conjecturam etiam observatio confirmat consuetudinis veterum, soli natalis desiderio nomina quibus domi assueverunt, in coloniis subinde instaurantium. Jam quod ad confusionem Phoeniciae linguae cum Graeca, vel Africana, his in rebus evitandam, attinet, voces Semiticarum linguarum pleraeque adeo certam formam habent et immutabilem, ut illas ex ipsa facie quasi et lineamentis haud difficulter ab alienigenis dignoscas. Quodsi aliquando Graecis videntur esse persimiles, nihilominus, vel historiae testimonium, vel ipsa nominis Graeci absurda significatio, subsidio est, quo falsam personam ipsis detrahas. Quae res aliquo simili illustrata melius perspicietur. Quis enim Ἀμαθοῦς ex Ἀμαθόεις contractum et *arenosum* significare putet, qui ex ipsis religionibus aliisque indiciis intellexerit Phoeniciam istam urbem esse? aut quis in voce Βιβλιαφόρων, quod nomen est oppidi in Marmarica mediterranea et Libycarum arenarum ora siti, quodque *epistolarum thecam* (*brieventasch*) significaret, vere Graecam quaerat loci originem? Interim haud inficias eo Libycorum nominum aliquanto difficiliorem rationem posse videri, cum Berberorum (i. e. Numidarum et Maurorum) lingua, Africae indigena, adhuc parum cognita sit, nec igitur satis constet an Punicae formae a Berbericis probabiliter distingui possint. Quae objectio tamen minoris momenti est, quam primo adspectu videtur. Nempe in schedis nostris asservantur cum primae lineae Grammaticae Berbericae, tum satis amplus nominum et verborum illius linguae catalogus, ex quibus haud contemnendis subsidiis, Humbertii nostri diligentia in Africa collectis, et postmodum nostra opera cum erudito orbe communicandis, manifesto perspicitur tantum inter hunc sermonem et dialectos Semiticas discrimen esse, ut nullum fere sit confusionis periculum. Nec sane si Scylacis, antiquissimi scriptoris, testimonio fidendum est, multa nobis loca occurrent, oram Africae a magna inde Syrti et Cyrenaeorum confiniis ad Herculis columnas legentibus, de quorum Phoenicia origine dubitari possit. Ὅσα γέγραπται, inquit, πολίσματα, ἢ ἐμπόρια ἐν τῇ Λιβύῃ ἀπὸ τῆς Σύρτιδος τῆς παρ' Ἑσπερίδας μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν ἐν Λιβύῃ, πάντα ἐστὶ Καρχηδονίων. Idem de recentioribus belli Punici secundi temporibus affirmat gravissimus auctor Polybius L. III. c. 39. At vero haud defuturi sunt, qui existiment, haec ex parte saltem a Numidis et Mauris condita et barbaris nominibus insignita, postea demum armorum vi in Poenorum potestatem venisse. Quod

 sa-

sane ipsis concedendum arbitrarer, nisi hinc nomades Libyci, (qui hodieque *urbis* nomine a se invento carent et Arabicum مدينة mutuantur, nam vox مورت, non *urbem*, quod Castiglionius, *Recherches sur les Berbères Atlantiques* p. 117, post Venturium existimat, sed *terram* notat) nisi hinc nomades, inquam, Libyci ea fuissent feritate et artium ignorantia, ut vix de oppidis condendis ante colonorum Phoeniciorum adventum cogitasse videantur, illinc Phoenices jam multis ante Carthaginem conditam seculis oram Africae continuis emporiis frequentassent. Quis enim est qui ignoret vetustissimas Graecorum de Hercule per Africam ad fretum usque Gaditanum profecto et hinc in Hispaniam transvecto fabulas? quas Heerenio (*Ideën* T. I. *Abth.* I. p. 34, ed. IV) aliisque praeeuntibus de Hercule Tyrio et Phoenicum expeditionibus explicandas esse nullus dubito. Et si a mythis ad historiae documenta descendimus, nonne ipsa Carthago ex quorundam scriptorum opinione quinquaginta annis Ilii excidio antiquior, vel centum quadraginta tribus annis junior est? nonne Utica Carthaginem annis ducentis octoginta septem antecessit? Quin etiam Syncelli, Eusebium, ut videtur, exscribentis, testimonio novimus, Canaänaeos ab Israëlitis profligatos in ea loca coloniam deduxisse, ubi postea Tripolis Africana exstitit. Vide illius *Chronographiam* p. 47. Quae res cum per se minime est improbabilis (Palaestina enim ab Israëlitis occupata, coloniarum deducendarum necessitatem Phoenicibus impositam fuisse ratio docet) tum celebratissimo confirmatur Procopii testimonio *de bello Vandalico* L. II. c. 10, p. 258, cujus verba tanto lubentius exscribam, quanto minus a Viris doctis intellecta sunt. Narrat igitur Canaänaeos, postquam Josuam vinci et repelli non posse intellexissent, primum in Aegyptum confugisse, deinceps, cum ibi propter incolarum multitudinem sedem figere non possent, in Africam transiisse: tum addit *πόλεις τε οἰκίσαντες πολλὰς, ξύμπασαν Λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον· ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται, ἐδείμαντο δὲ καὶ φρούριον ἐν Νουμιδίᾳ πόλει, οὗ νῦν πόλις Τίγισίς ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πεποιημέναι ἀγχὶ κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης, γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι τῇ Φοινίκων γλώσσῃ λέγοντα ὧδε. ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ.* Vides Procopium diserte et Numidiam memorare et Tigisin urbem, at vel sic tamen Seldenus *de Diis Syris* c. 2. p. m. 18, Bochart. in *Canaän* L. I. c. 24, p. 467, Hottingerus *Hist. Orient.* p. 46, Th. Hyde ad Peritsol *Itinera Mundi* p. 23, omnes de Tingi et Mauretania ad Oceanum hic loquuntur, quin imo hoc argumento utitur Mignotius diss. XXII de Phoenicibus *Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XLII. p. 28, ad Procopianae narrationis fidem

dem infirmandam, quod nec Belisarius eo arma circumtulisse, neque adeo Procopius in remotissimum illum Africae angulum penetrasse videtur. Notavit breviter Seldeni errorem Wesseling. ad *Itiner. Antonini* p. 39, ubi de Tigisi Mauritaniae Caesariensis sermo est, bene distinguenda ab illa Numidiae, quam Procopius et l. l. memoravit et c. 13, p. 265, uti ex uberrimi fontis mentione ibidem repetita colligimus. Quo loco cum certamen singulare inter Jabdam Maurorum Aurasitanorum regem et Althian Byzantinorum ducem memoretur, abusus est Procopii verbis in *Geographia antiqua* Cellarius T. II. p. 914, Tigisin Numidiae quaerens in Aurasii montis vicinia, qui non in Numidia jacet, sed in Mauretania Caesariensi mediterranea, nec minus remotus est a Tigisi illius provinciae, quae ut ex Itinerario l. l. constat, mari vicina fuit, inter Rusuccurum et Saldas (Shaw T. I. p. 72 et 74 vers. belg.) sita, quam a Tigisi Numidiae, cujus situs adhuc incertus est. Ergo nullum quidem praesidium in Procopii loco quaeri poterit ad probandam nostram de Mauretania Tingitana Phoenicum coloniis frequentata sententiam, quam caeteroquin celebris illa Herculis Tyrii cum Antaeo apud Tingin pugna, item nomina pp. multorum oppidorum, fluminum, promontoriorum istius provinciae abunde confirmant; sed quod nobis longe majoris momenti est, narrationis illius auctoritatem, quam antea non sine caussa labefactare conabantur nonnulli, nunc firmissimo fundamento stabilitam videmus. Nam Tigisis in ea provincia jacebat, ubi primum adversus Gelimerem a Belisario, deinceps adversus Mauros ab illius successoribus, bellatum est, et apud fontem illum, juxta quem lapides isti positi erant, Romanorum praesidium excubabat, quod hostes aquatione prohiberet (Procop. l. l. c. 13), Quamobrem nisi ipse locum adiit Procopius, rem tamen accipere potuit a fide dignis auctoribus, nec sane commisisset, ut quidquam scriberet, quod a quovis commilitone confutari et redargui poterat. Quod si qua nominum significationi fides est, ipsa vox *Tigisis* Procopii narrationem confirmat, *refugium* notans et derivanda a ܓܫ, coll. Arab. عاذ, *confugit*, ut vera scriptio sit תגיש. Addamus praeterea Menandri Ephesii testimonium, in Mauretaniam, quae postea Caesariensis appellata est, a Phoenicibus antiquissimo tempore coloniam deductam fuisse narrantis, apud Josephum *Antiq. Jud.* L. VIII. c. 13, p. 458. Affirmat enim Ithobalum, regis Achabi socerum, Tyriorum regem, condidisse Αὔζαν τὴν ἐν Λιβύῃ. Nempe sic legendum esse, non Αὐζάτην ἐν Λιβύῃ, ut alii Codd. habent, ex praecedenti Βότρυν τὴν ἐν Φοινίκῃ perspicitur. Est autem illa urbs eadem, quam pari-

riter *Auzam* vocat *Itinerarium Antonini* p. 30, Ptolemaeus Αὔζια, Tacitus *Annal.* L. IV. c. 25, *Auzeam*. Cf. praeterea Cellarium l. l. p. 925 sq., Shawium l. l. p. 63 sqq. Quae cum a mari remotior sit, jam ante Carthaginem a Didone, sive conditam, sive amplificatam, Phoenices non in litore substitisse, sed in interiores terras penetravisse, apparet. Quod ipsum deinceps, potentia Carthaginis aucta et confirmata, ab iisdem magis magisque factum existimo, ut plerasque urbes, cis magnum desertum sitas, non Nomades Afri, sed Poeni, condiderint, et nominibus insigniverint, sive terrae occupandae caussa, sive ut emporia haberent et stationes, quarum ope commodius commercia sua cum interiore Africa exercerent. Idem statuendum de locis in ora Africana Oceani Atlantici sitis, quorum memoria apud veteres superest, quosque a Poenis primum exploratos esse, et coloniis frequentatos, nominibusque insignitos, celebrati illi Hannonis et Scylacis peripli inter alia ostendunt. Haec igitur quae hucusque disputavimus, ad Carthaginenses pertinent. Reliqua pars Africae, usque ad Aegypti confinia, Cyrenaeis parebat, quos magnam partem Phoenicia stirpe ortos, Phoenicia quoque nomina variis ditionis suae locis indidisse, in nostra ad Rochettium epistola satis superque demonstravimus, ut nemini mirum futurum sit, si in sequenti nominum catalogo nonnulla reperiat, ad agrum Cyrenaicum pertinentia. Quod monendum restat, intra Phoeniciam, Ciliciam, Cyprum et Africam nos continuimus, nec Hispaniam attigimus, vel Siciliam; illas enim negligentius, has diligentius, pertractavisse videbatur Bochartus, quamvis hic procul dubio complura Poenis assignaverit, quae longe diversam habent originem, nec Semiticae stirpis nomina satis distinxerit, vel a Celtibericis Hispaniae, de quibus peculiari opere disputavit Guilielmus Humboldtius, nec ab indigenis, vel Graecis, Siciliae, quae ubique Punicis permixta fuisse manifesto historiae testimonio constat. Ab his igitur propter summam rei obscuritatem abstinentes, jam ad eorum recensionem alphabeticam pergendum est, quorum, propter caussas superius expositas, paullo verosimilior ratio nobis esse videatur. Auctorum vero nomina et loca brevitatis caussa non excitabimus, nisi quatenus operae pretium sit, cum eorum testimonia apud Meursium, Bochartum et Cellarium legi possint.

Acabis, oppidum Cyrenaicae mediterraneae, dictum ab עֵקֶב, *finis*, quia in extremis finibus situm erat versus desertum, vel ab עָקֹב, *collis*, Arab. عقبة, quod complurium locorum nomen est, e quibus unus est in Aegypti et agri Tripolitani con-

confiniis العقبة الكبيرة dictus. Cf. notas in Pseudo-Wakid. p. 150.

Acamantis, Cypri nomen antiquum, quod ab Acamante repetunt nonnulli, insulae promontorio. At hujusmodi etymis equidem non multum tribuere soleo. Neque enim verosimile est totam insulam ab uno monto nomen traxisse. Res propter ipsam antiquitatem et historiae defectum obscura et mera divinatione hic opus est. Hoc unum certum puto, nomen non Graecum, sed Orientale esse. Quodsi cogito coloniarum a Phoenicibus antiquitus deductarum primam originem in eo quaerendam esse videri, quod ab Israëlitis terrae possessione exuti novas sedes superfluae multitudini quaerere cogerentur, Cypri autem situm ejusmodi esse, ut ante alias omnes regiones his exulibus frequentata sit, haec igitur cogitans, equidem non mirer, si illud nomen *Acamantis* ab aliqua tribu Canaänitarum, ab Israëlitis profligata, ductum sit. Reperio autem inter tribus Enakitarum, quas Hebrone expulit Calebus, Jos. c. XV. vs. 14, Jud. c. I. vs. 10, coll. Num. c. XIII. vs. 22, nomen τῷ *Acaman*, vel *Acamas*, admodum simile אחימן, quod interpretor: *Quis est frater meus?* i. e. *quis mihi viribus et corporis mole par est?* Quippe Enakitae, ut notum est, inter gigantes numerabantur. Hos autem sedibus suis ejectos inter Philistaeos mari vicinos habitatum concessisse ex Jos. c. XI. vs. 22 constat, ubi Gazae, Gathi et Aschdodi collocantur. Atqui ipsi Philistaei, paullo post Josuae mortem a tribu Judae et Simonis victi, magnam regionis suae partem et inter alia Gazam amiserant. Quo tempore verosimile est Philistaeos cum sociis Enakitis, in quibus etiam אחימן esse potuit, migrasse in Cyprum exulibus opportunam, et hanc habuisse tamquam ὁρμητήριον, unde novis viribus collectis profecti ex captis urbibus Israëlitas ejecerunt. Nisi enim isti trans mare aliquod belli armamentarium habuerint, explicare nequeo, quomodo vel amissas sedes recuperare, vel toties ingentibus copiis Hebraeos vincere et in servitutem redigere potuerint. Quid autem huic rei Cypro aptius? Nam tametsi minime negem Philistaeos, quae Gesenii aliorumque sententia est, ex Creta jam ante Abrahami aetatem in Palaestinam venisse, eosdem tamen Josuae aetate eo remigrasse non puto. Cum enim, ut ex historia constat, ad breve tempus sedibus suis Palaestinensibus valedixerint, et subitae tantum cesserint belli tempestati, verosimile est eos in viciniorem Cyprum, quae tractus litoralis recuperandi magnam opportunitatem offerebat, quam in remotiorem Cretam transire maluisse.

Acamas, Cypri promontorium, quod nonnulli ab Acamante Thesei filio dictum exi-

existimant. Nobis est Phoenicium הַקּוֹמָה, vel potius cum Aleph articulo, אקוֹמה, *altitudo*, *elevatio*.

Achola, vel etiam *Acholla*, *Achylla*, *Acilla* et *Cholla*, urbs Byzacii ad mare. Scriptio *Cholla* videtur ostendere in reliquis formis Aleph articuli esse quaerendum. An igitur scribendum חחוּלָה et derivandum a חוֹל, *arena*, ut regio sicca et arenosa designetur.

Aclus, vel *Aclae*, suburbium Romanae Carthaginis. Procop. *de B. V.* L. II. c. 8, p. 251. Est vox Syriaca ܚܩܠܐ, *ager consitus*, coll. Arab. حقلة, *ager bonus*, et Hebr. חֶלְקָה. Scriptionem illustrat Ἀκελδαμά, i. e. *ager sanguinis*, Act. c. I. vs. 19. Videntur designari horti urbi vicini, vel etiam in illam inclusi. Sic in Punica Carthagine Megara eodem fere loco sita hortis plena erant.

Acrath, urbs Mauretaniae Tingitanae. Forte scribendum est עֲקָרַת et comparandum cum עֶקְרוֹן, quod nomen notum est urbis Philistaeae. Utrumque repetendum ab עֵקֶר, *stirps*, *imprimis peregrina*, *quae in aliena terra sedem fixit*. Cf. Levit. c. XXV. vs. 47. Nempe *Acrath* et *Ekron* sic dici videntur quod alienigenarum coloniae essent et stirpem continerent in solum peregrinum translatam.

Adana, urbs Ciliciae. Videtur dicta esse a situs amoenitate. Nam עֵדֶן et עֶדְנָה nomina pp. sunt Hebraica *voluptatem* designantia. Cf. etiam عدن, emporium Arabiae felicis, et عدنة, locus Nedjdi in Arabia deserta.

Agar nomen urbis Byzacenae, cujus veram rationem nobis Arabes conservarunt, eam hodieque بو حجر, i. e. ابو حجر, q. d. *lapidosam* appellantes, ut Shawius auctor est T. I. p. 175. Jacet enim urbs in saxoso tractu. Ergo vix dubito, quin Poenis etiam חגר dicta fuerit eodem sensu. Hinc facile explicatur nomen loci,

Agariabas in *Itinerario Antonini* p. 74, in iis, quae Tacapas inter et Leptin Magnam jacent, memorati, a Cellario vero omissi. Punice sonaret חֶגֶר יָבֵשׁ, *lapis*, vel *rupes arida*. Comparanda nota urbs Gileaditica יָבֵשׁ.

Agma, sive *fulgurita villa*, in eadem regione Syrtica, omissa a Cellario, bis memorata in *Itinerario Antonini* p. 59, item p. 75, ubi posterius nomen non legitur. Varias Virorum doctorum opiniones collegit Wessel. ad p. 59. Ipse Punicam vocem esse et Arabica nonnulla conferri posse existimabat, quae tamen non distinctius

ctius memoravit. Si *fulgurita villa* synonymum sit vocis *Agma*, quod vix puto, necessario cogitandum de verbis חמה et יחם, quae cum verbis cognatis חכים, חום, habent notionem *caloris* et *ardoris*. Sic igitur vel הַחֹמָה, *ardens*, in part. Kal a חמה, vel הַחֲמָה, *ardor*, *conflagratio*, a יחם, eligendum erit. At verosimilius puto et scriptioni Latinae propius אֲגַם, vel potius in statu emphatico ad Syrorum normam אַגְמָא, *stagnum*, vel *arundinetum*, quae vox Hebraeis, Arabibus et Aramaeis communis est. Confirmat conjecturam Lexicon Geographicum duo memorans loca ejusdem nominis, alterum أُجُم, in ditione Halebensi vicinum تُوْ فراديس, alterum أَجَمَة بُرس, prope Babelem et arcem Nimroudi.

Alasi, oppidum Garamantum. An est Arabum العَاصِي, *repugnans*, *rebellis*, ut sit synonymum تُوْ مانع et منيع, *recusans*, *repugnans*, *arcens*, quod de locis munitis solenniter dicitur. Memoratur in Lex. Geogr. locus عاصي, sed sine ulteriore indicio.

Almaena, vel, uti Graece scribitur, Ἄλμαινα, urbs Zeugitanae mediterraneae (cf. Shaw l. l. p. 200) videtur esse Arabicum المعين, quod nomen castelli, vel urbis est in Yemana, et, vel a معن derivatur et *aquam* notat *per terrae superficiem fluentem*, vel ab عان, potestate *scaturiginis*, ut Syr. ܡܥܝܢܐ, Hebr. מַעְיָן, vel *loci, ubi fons erumpit.*

Altaba, urbs Numidiae interioris, prorsus Arabicam formam nominis habet الطابة, i. e. *bona*, vel *bonum*. Vox nunc quidem aliter explicatur in Lexicis, nempe *vinum* et *genus dactylorum Medinense*, sed his rebus, propter bonitatem et excellentiam illud nomen tribuitur, quod proprie adjectivum erat neutrius generis, unde Medina quoque et alia urbs in regione طبي, appellantur طابة, quasi *bona*. Nec alia ratio videtur nominis طاب, quod est loci in Bahrein siti. Adjectivam notionem apud Arabes paene obliteratam servant Aramaei in טַב et ܛܒ, Hebraei in טוב, quod ut nomen regionis, exstat Jud. c. XI. vs. 3 et 5, II Sam. c. X. vs. 6 et 8, ex quo posteriore loco colligitur illam in Syria quaerendam esse. Videant eruditi num respondeat praefecturae Syriacae ad ditionem Emisenam pertinenti, cujus caput est notum oppidum كفر طاب, i. e. *vicus bonus*, bene distinguendus ab alio Idumaeae vico ejusdem nominis, quem memorat Josephus de *Bell. Jud.* L. IV. c. 8. p. 297.

Ama-

Amamassa urbs Cypri, cujus ager Veneri sacratus, et fertilitate insignis erat. Vocem Hebraicis literis scribo אם המעסה, i. e. *mater torcularis*, quod more Orientali notat *locum torcularibus frequentem*. Vide inferius *Emporia*. Illud מעסה mihi est nomen instrumenti ab עסס, *calcando pressit*, unde עסים, *mustum*. Etymon confirmant alia nomina locorum a torculari ducta, ut גת Philistaeorum, item inferius explicanda, *Cote*, *Cotta*, vel *Cotte*, *Giti*, vel *Gitti*, *Gytte* et *Jagath*.

Amathus, urbs Cypri nobilissima eadem et antiquissima, unde toti insulae nomen adhaesit *Amathusiae*. De Phoenicia illius origine dubitatio nulla est, quamvis de conditore dissentiant et nominis caussa. Viderat jam olim Bochartus in *Canaän* L. I. c. 3, p. 354, illud cum Hebraeo חמת componendum esse, etsi miror illum de Hamatho Canaänis filio, quam de urbe Hamatha cogitare maluisse, Amathuntis, ut censeo, metropoli. Nempe verosimile est Phoenices primum omnia Syriae loca, quotquot poterant, in his Hamatham, coloniis frequentavisse, antequam de Cypro occupanda cogitarent, postea vero Hamathenos, sive a Syris, qui circa Davidis tempora istos terrae tractus jam tenuisse videntur, sive ab Israëlitis, quorum terminus borealis Hamatham usque pertingebat, sedibus suis ejectos, in Cyprum migrasse et novae urbi a se conditae Amathuntis nomen a veteri patria indidisse. Cui conjecturae etiam aliunde aliqua veri species conciliari potest. Nempe ex Jud. c. III. vs. 3 discimus Hevitas (החוי) habitasse in monte Libano a Baäl Hermone ad Hamatham. Hos autem Hamathae accolas et vicinos in Cyprum transisse et partem illius frequentasse ex nonnullis indiciis intelligitur, quae Etymologici M. auctor in v. Ἀῷος nobis conservavit, tradens Ἀῷον primum fuisse Cypri regem ex Cephalo et Aurora genitum, ab hoc montem Cypri Ἀῴιον dictum fuisse et flumen inde decurrens Ἀῷον. Haec omnia obscure alludere ad antiquissimum Hevitarum in Cyprum transitum et spectare videntur Syriacam nominis scribendi rationem ܚܘܝܐ, quae quam facile mutari potuerit in Graecam formam Ἀώϊος, vel Ἀῷος, illi optime perspicient, qui meas ad vocem Γαίας observationes superius prolatas cum praesenti disputatione contulerint. Caeterum hoc quoque coloniae a Phoenicibus Amathuntem deductae indicium habet, quod Stephano teste urbs ab Amatho Herculis filio dicta fuerit. Hercules enim sine dubio significatur Tyrius, vel Phoenix, qui deducendarum coloniarum quasi dux et auctor, et colonorum fautor et parens existimatus est, et cujus cultum et sacra, ut in dissitas sedes et longinqua emporia circumferre solebant, ita

ita etiam Amathunte constituerant, quemadmodum ex Hesychii glossa Μάλικα, τὸν Ἡρακλέα, Ἀμαθούσιοι, dudum effecere Viri docti.

Ammedara, vel *Ammaedara* et *Ad Medera*, vel *Mederam*, colonia, in Numidiae mediterraneis. Varietas scripturae ostendit *Medera*, vel *Medara*, verum nomen esse, cui, vel more Phoenicio Aleph articulus adjunctus, vel Latino *ad* praefixum sit, ut centies fit in Geographia veteri. Exempli caussa laudamus p. 36 *Itiner. Anton.*, ubi se invicem excipiunt *ad rubras*, *ad albulas*, *ad dracones*, *ad regias*. Ergo scribendum puto מַעֲדָרָה, vel הַמַּעֲדָרָה, vel etiam מַעֲדָרוֹת, i. e. *caula ovium*, vel *armentorum stabulum*. Vox secundum analogiam formata est ab עֵדֶר, *grex*, quod ipsum nomen urbis est in tribu Juda, Jos. c. XV. vs. 21, et turris apud Bethlehemum, dictae מִגְדַּל עֵדֶר, Gen. c. XXXV. vs. 21, coll. Mich. c. IV. vs. 8.

Ammochostus, promontorium Cypri, videtur scriptum esse euphoniae caussa pro *Amnochostus*, i. e. אם נחשת, *mater aeris*, cujus metalli quam ferax Cyprus fuerit, omnibus notum est.

Ampsaga, flumen Africae, quod florente Carthaginensium republica duas Numidias, alteram Massylorum, alteram Masaesylorum, disterminabat. Rem bene exprimit nomen אם פסגה, *mater divisionis*. Nam apud *Chaldaeos* פסג est *dividere* et *partiri*. Hoc verosimilius etymo Bocharti, qui in *Canaän* L. I. c. 26, p. 484 contulit Arab. إفسح, *latus*, *amplus*.

Amudarsa, urbs Byzacii, omissa a Cellario, haud procul abfuit Thenis, ut ex p. 46 *Itinerarii Anton.* apparet. *Locum triturae*, vel *aream*, designat, et praefixo articulo derivatur a verbo Syriaco ܕܪܫ, Arabico درس, *triturare*, cujus part. pass. مدرس accurate respondens τῷ *mudarsa*, etiam ut nomen locale sumi potest. Cf. Sacy *G. A.* T. I. §. 586.

Anabucis, locus ad Syrtim majorem, inter Leptin et Beronicen. An עֵין הַבֹּקֵשׁ, *fons quaerentis*, vel עֵין הַבִּקְעָה, *fons vallis*, vel *planitiei*, coll. Arab. بقعة, vel עֵין הַבֹּכִים, *fons flentium*. Vide בכים nomen loci, Jud. c. II. vs. 1, 5.

Anazarbus, urbs Ciliciae celeberrima, alias accuratius *Anazarba* appellata. Neque enim dubium est, verum nomen fuisse עֵין הַזַּרְבָּא, *fons affluentiae*, *copiae* (si saltem ex auctoritate dubii loci Paraphrastae Chald. Prov. c. XV. vs. 16, statuendum sit זרבא hanc potestatem habuisse), vel potius *fons angustiae*, i. e. ex

 Ara-

Arabismo, *ipsa angustia*, *mera angustia* (vide quae inferius ad v. *Chinalaph* dictum sumus). Hoc melius quadrat in montem Anazarbum, qui urbi nomen dedit et forte unam ex pylis Tauri continet. Ut ut est, de scriptione certi sumus, nam Arabes, qui nomina vetera, vel servare, vel restituere solent, scribunt عين زربة, vel عين زرى.

Annaeel, *Annesel*, vel *Annazel*, locus regionis Syrticae, a Cellario omissus. Cf. *Itiner. Anton.* p. 64. Aperte descendit nomen a verbo נָזַל, etsi incertum sit utrum הַנֵּזֶל, *fluentum*, alias הַנּוֹזֵל, an Arab نزل, *augmentum*, *redundantia proventus*, quod montis etiam Arabici nomen est, an denique نزل huc adhibendum sit, quod *locum* notat *duri soli*, *atque inde aquae fluxum a pluvia facile suscipientem*.

Anoegath (Ἀνωγὰθ), nomen loci Libyci circa Bagradae fontes. An fuit הַנּוּחוֹת, *quies?*

Apphar, locus Mauretaniae Caesariensis, dictus, ut videtur, a puteo ibi effosso. Radix vocis est חפר, Arab. حفر, *fodit*, unde حَفَر, *terra effossa*, *locus ubi foditur*, quod fortasse nostrum est *Apphar*, et حُفَر, n. a. quod multorum locorum in Arabia nomen esse testatur Lex. Geogr.

Arange, mons interioris Libyae. Prima syllaba aperte est Hebraeum הר. At reliquae obscurae sunt. An comparandum Arabicum أعنق, *longo collo praeditus*, vel عُنُق, (?ענק) *longitudo collis?* ut mons alti et angusti cacuminis significetur. Cf. etiam عنقا, *collis monti impositus*, quod nomen quoque pp. est loci in deserto, Euphrati imminentis supra Anam.

Archili, locus in Cyrenaicae mediterraneis, dictus, ut videtur, pp. הרכילי, a commerciis, inter Cyrenaeos et tribus Africae interioris ibi agitari solitis. Nam רכל est *mercaturam exercere*. Cf. *Artagira*.

Ardania, vel *Ardanis*, vel, si Straboni credas L. XVII. c. 838, *Ardanaxes*, promontorium humile in Marmarica. Verum nomen est *Ardania*, i. e. הר דְּנִיָּה, *mons humilitatis*, *depressionis*. Vocem דְּנִיָּה, refero ad دان, unde دون, *quod inferius est*.

Artenaria colonia, vel potius, ut Plinius habet, *Arsennaria*. Neque enim dubito, quin verum nomen sit *Arsinna*, quod codices Melae L. I. c. 8 servaverunt, et cui deinceps terminatio adjectivi Latina accessit. Est oppidum Mauretaniae Caesa-

sariensis, ad mare situm et ab ea parte rupium praecipitiis munitum (Cf. Shaw. T. I. p. 20), unde nomen הַר שְׁנָה, *mons rupis*, i. e. *saxosus*, *praeceps*. Cf. Hebr. שֵׁן, et Syr. ܫܢܐ, de *scopulo*, *crepidine*, *promontorio*, usurpata. Alia videtur esse ratio nominis

Arsinarium, quod promontorium est in externa Libyae ora ad Oceanum et forte est הַר שְׂנִיר, quod nomen, hodieque in Arab. سنير servatum, ut praeter Abulfedam Lexicon Geogr. docet, olim Canaanitica tribus Amorraeorum Hermoni tribuebat, Palaestinae monti. Cf. Deuter. c. III. vs. 9. Quorum colonos in Africam profectos huic monti propter aliquam cum Hermone similitudinem idem nomen tribuisse verosimile est.

Artagira, locus interioris Libyae, quod Hebraicis literis scribo הַר תְּגִרָה, i. e. *mons mercaturae*. Verbum quippe תָּגַר Hebraeis ignotum, apud Arabes, Chaldaeos et Syros habet *mercaturae exercendae* potestatem. Forma תְּגִרָה non amplius exstat, sed vicinum תִּגָּרָה servarunt Arabes in suo تِجَارَة. Si rem bene assequor, Archili et Artagira non erant oppida, sed loca in ora deserti, ubi forte, inter tribus feras et incultas et mercatores Carthaginenses et Cyrenaeos eo venientes, ejusmodi peragebatur mercium permutatio tacita, ut nec venditor emtorem, nec emtor venditorem conspiceret, vel alloqueretur, qualem a Carthaginensibus antiquis usurpatam fuisse scribit Herod. L. IV. c. 196, ab hodiernis Mauris Shawius T. I. p. 338.

Artisiga, nomen loci a Cellario praetermissi, quem *Itinerarium Antonini* p. 12 collocat inter Malvam flumen, quod Mauretaniam Caesariensem a Tingitana secernit, et Sigam municipium, celeberrimam quondam regiam Syphacis. Shawio T. I. p. 15 censetur esse pagus, quem hodie *Twunt* appellant, quia hunc inter et Sigae rudera sunt XXVII millia passuum, quos Itinerarium inter Sigam ponit et Artisigam. Quamvis ipse fatetur his numeris non multum fidendum esse. Mihi longe verosimilius est hic latere μέγα ἀκρωτήριον Ptolemaei, nunc *Ras Honeine*. Vid. Shaw. ibid. Nam primum pari intervallo a Siga distat, ut ex tabula Shawii prima intelligitur, tum apud Ptolemaeum eodem loco collocatur, quo te Artisigam inventurum esse sperares. Hujus enim verba: Μέγα Ἀκρωτήριον. Γυψάρα λιμήν. Σίγα πόλις, κολώνια, respondent illis Itinerarii *Artisiga*. *Portu Caecili*. *Siga Municipium*. Postremo his aperte latet illud הַר, *mons*, de quo jam aliquoties vidimus. An vera scriptio est הַר תְּזִיזָה, *mons elationis*, a זוּז, vel זוּז, *efferri*, apud Aramaeos,

 vel

vel הר הצחירה, *mons nitoris, splendidae albedinis, fulgoris*, quia eminus conspicitur, vel, si mavis, *siccitatis* et *ariditatis*: quarum notionum varietates ex verbi צחר ejusque derivatorum comparatione facile tuearis.

Arualtis, mons interioris Libyae, forte dictus a Baälti dea, quae, ut supra monuimus, ab Astarte non differt; ut nomen scribendum sit הר בעלת, *mons Baältidis*. Montes a Diis appellatos esse, quibus sacri erant, aliunde notum est (vide supra p. 165), et exemplum praebet Hebraicum הר חרס, *mons solis*. Vide etiam infra *Malethubalus*.

Asama, fluvius Tingitanae. An fuit Phoenicice עז המא, *vis*, vel *vehementia aquae*, quod Arabice عز الماء sonaret.

Asarath, fluvius Mauretaniae Caesariensis. Ex variis etymis, de quibus cogitari possit, maxime placet, ut derivetur a verbo סרר, *immorigerum esse*, et scribatur אסררת, vel אסארת, ad normam participiorum Arabicorum, quae a verbis surdis originem ducunt. Nam a سر formaretur السارة. Si hoc verum sit, nomen prorsus erit synonymum Orontis appellationi Arabicae العاصي, *repugnans*, cujus varias caussas afferunt, de quibus Schultensii vide *Indicem Geographicum* v. *Fluvius Orontes*. Ego verosimillimum putem talem fluvium sic dici, qui aggeribus et molibus se frenari non patitur, sed nihilo secius supra ripas effunditur. Quod enim Schultensius hac in re Abulfedae commentis credendum putat, Orontis quondam accolae, vel eam ob caussam nihili est, quod nomen ab Arabibus impositum non sit flumini, sed a Syris jam minimum annis 150 ante C. N. usurpatum fuerit, ut ex nummo constat Alexandri Balae, in quo legitur ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ, i. e. *Apameënsium ad Orontem*. Vid. Mionnet. T. V. p. 54, n. 475, et Cellarium *G. A.* T. II. p. 354, qui locum quoque laudat Sozomeni huc pertinentem, et conjicit nomen a Macedonibus ab Axio Europaeo ad Orontem fuisse translatum. Ego potius arbitror hujus etiam nomen Orientale esse et a simili caussa repetendum. Ut ut est, Syri, quibus verbum حجا, idem notat, quod عصى Arabibus, procul dubio extulerant حجب, ad normam Hebraici נָקִי, pro נָקִיא, et activam potestatem voci dederant, quae regnat etiam in Arab. homonymo عصي.

Asine, urbs Cypri, item Ciliciae, a munitionibus, ut videtur, dictae. Orienta-

talem enim scriptionem conjicio fuisse חצינה, vel חסינה. Posterius Hebraicum et Syriacum, prius Arabicum est. Notitiam horum oppidorum, quae memorare neglexit Cellarius, Stephano debemus in v. Ἀσύη.

Asisarath, urbs Mauretaniae Caesariensis mediterraneae. An fuit עֹז הַשּׁרוֹת, *robur murorum*, ut locus munitus designetur, vel עֱזוֹ שֻׁרוֹת, *fortis moenibus?*

Assurae, vel *Assurus*, oppidum Zeugitanae. Cf. Shaw. l. l. p. 184. Probabile est nomen Punicum חֲצוּרָה, vel חָצוּר, i. e. *vallatus*, *muris cinctus*, sonuisse, nisi חָצוֹר, *vallum*, *septum*, mavis, quod complurium oppidorum Palaestinensium nomen est. A Graecis Ἀσώρ, vel Ἄσωρος pronuntiatum, quod ab Ἄσσουρος parum differt, ad sensum respondet Γάδειρα (גְּדֵרָה), ad sonum et originem parum discrepat حصير, quod castelli Yemanensis nomen est.

Attici, locus in agro Cyrenaico, cujus nomen עַתִּיקָה, i. e. *vetus*, interpretor. Exstat in solo *Itinerario Anton.* p. 66.

Audon, mons Numidiae mediterraneae, quem eundem esse existimant, qui alias *Aurasius* appellatur. Ejusdem nominis quoque promontorium et fluvius in Mauretania Caesariensi memorantur. Ex his fluvium non allegavit Shawius, reliqua p. 75 et 100 *Audus* extulit, quod Cellarius etiam p. 914 fecerat in monte Numidiae. Hunc tamen Ptolemaeus, cujus sola auctoritate haec nituntur, diserte τὸ Αὔδων ὄρος appellaverat, ut promontorium Αὔδων ἄκρον. An fluvius etiam neutro genere efferendus sit nescimus, cum nominativus desideretur. Equidem illud admodum verosimile censeo et haec omnia dicta esse conjicio a locorum amoenitate. Nam *Audon* accurate respondet formae Syriacae ܥܕܘܢܐ, *deliciae proventus*, *copia*, *ubertas*. Cf. עֵדֶן, et supra *Adana*. Videntur autem Poeni extulisse cum articulo הָעֵדוֹן, vel אֵעֵדוֹן. Quodsi descriptiones montis Aurasii, vel Audi, quas Procopius L. II *de bello Vandal.* c. 13. p. 266, et Shawius p. 100 memoriae prodiderunt, contuleris, profecto senties quam apta et rei naturae conveniens sit ista appellatio. Ut enim Graeci scriptoris, quem laudavi, verbis utar: ἄνω δὲ ἥκοντι καὶ ἐν τῷ ὁμαλεῖ γενομένῳ πεδία τε φαίνεται καὶ κρῆναι πολλαί, ποταμούς τε ποιοῦσαι· καὶ παραδείσων πολύ τι χρῆμα, θαυμάσιον οἷον, καὶ ὅτε σῖτος, ὃς ἐνταῦθα φύεται, ἥτε ὀπώρα ἑκάστη, διπλάσια τὸ μέγεθός ἐστιν, ἢ ἐν τῇ ἄλλῃ ἁπάσῃ Λιβύῃ γίνεσθαι πέφυκεν.

Augala, oppidum Mauretaniae Caesariensis, forte ab eo dictum, quod in planitie ja-

jaceret. Nam تسطح *complanationem* notat et *aequationem*. **Firmat etymon aliorum nominum comparatio. Vide inferius *Ausufal*; *Sava*, etc.**

Avitta, oppidum Zeugitanae mediterraneae. An scribendum עַוִּיתָא, cum terminatione Syriaca, et comparanda urbs עֲוִית Idumaeae? Utramque condiderant fortasse Avvaei (עַוִּים) veteris Canaäneae populus, quem a Chatzerim, (i. e. *Rafech*, رفح, si Saädio fides, item Onkeloso, apud quem nunc male דפיח legitur) Gazam usque degentes expulerant Philistaei. Cf. Deuter. c. II. vs. 23. Fatendum est in gentis nomine literam Waw duplicari, in urbium illarum nominibus non item. Sed quis nobis liquido affirmet, aut hoc, aut illud, probandum esse, praesertim cum vocis significatio propter ipsam antiquitatem prorsus obliterata sit?

Aurasius mons. Vide *Audon*. Fertilitas loci suadet ut existimemus חוֹרֵשׁ veram vocis scriptionem esse: ut sit part. in Pohel pass. ad normam τοῦ אוֹצָר, pp. *accumulatus*, hinc subst. *thesaurus*, et שׁוֹלָל, *expilatus*, et notet *locum aratum*, *culturae aptum*, *fertilem*.

Ausufal, locus Marmaricae, juxta Catabathmum (*Itiner. Anton.* p. 69). Videtur dici ab humili et depresso situ, ut sit Hebr. הַשּׁוֹפָל et comparetur הַשְּׁפֵלָה, quod de planitie inter montes Judae et mare sita dici notum est.

Automalax, *Automalaca* et *Automala*. Extremus agri Cyrenaici locus ad occidentem, haud procul Philaenorum aris, ubi praesidium militum erat. An fuit עוּת הַמֶּלֶךְ, vel עוּת הַמַּלְכָּה, *auxilium*, *praesidium regni*, vel *ditionis*. Hebraicum עוּת (Arab. غاث) semel adhuc superest Jes. c. L. vs. 4, *auxiliandi* et *sustentandi* sensu. Secunda vox nobis respondere videtur Arabicis مَلَكٌ et مُلْكٌ, quae uti notius مُلْك, *de regno et possessione* usurpantur. Possis etiam conficere אוֹת הַמֶּלֶךְ, *index ditionis*, i. e. *indicium*, *quod ostendat ibi regionem incipere Cyrenaeorum*.

Auza, *Auzea*, *Auzia*. Nomen oppidi Mauretaniae Caesariensis, quod ab Ithobale conditum esse jam supra observavimus. Verosimile est nomen triplex totidem formis respondere Infinitivi speciei Hiphil verbi יָשַׁע, cujus prima syllaba more Syro in diphthongum abierit: nempe הוֹשַׁע, הוֹשֵׁעַ et הוֹשֵׁיעַ. Significat ista vox *salutem* et *liberationem*, ejusque appellationis caussa haec esse potuit, quod Ithobalus, superflua multitudine in hanc coloniam translata, Phoenicen pluviae defectu

ctu et annonae caritate laborantem (Joseph. *Ant. Jud.* L. VIII. c. 13, p. 458), aliquanto sublevaverit. Potes etiam *Auza*, vel cum Hebr. עוז, Arab. عاذ, *confugit*, comparare, ut עוזה *refugium* significet; vel cum Hebr. עוץ, Syriae et Idumaeae regione, quod nomen Alexandrini Αὐσίτις reddere solent. Interim ex prima ratione sola trium formarum satis apta ratio reddi potest.

Babba, colonia Mauretaniae Tingitanae. An fuit Hebr. בבה, *excavatio*, *apertura*, vel *porta* etiam, ut terminatio emphatica sit Syrorum et scribatur בבא. Dispiciendum an locus ita dictus sit a montium angustiis. Geographia Arabum multa nobis offert prorsus similia. In quibus primarium locum tenent angustiae Caucasi, quae vulgo Persice دربند, Arab. باب الابواب, sed simpliciter etiam الباب appellantur, vel الباب والابواب. Tum secundo الباب parvum est Syriae oppidum, inter Halebum et Manbodjum, binis milliariis a Bozaah, decem ab Halebo distans. Tertio باب est nomen montis vicini هجر in regione Bahrein. Quarto باب et بابه est vicus Bokharae, et quinto البابة est locus in confiniis Asiae Minoris. Discimus ista ex Lexico Geogr. et Moschtareko.

Babiba, oppidum Libyae exterioris ad Oceanum, e regione circiter insularum Canariarum, sive fortunatarum, quod ex ordine locorum apud Ptolemaeum effici posse videtur. Nomen procul dubio non minus Punicum est, quam vicinorum locorum Arsinarium et Russadir, sive tractum illum terrarum coloniis frequentaverint Poeni, sive nomina tantum illis locis dederit, vel Hanno, vel alius Carthaginensis, qui eam oram praetervectus sit. Ego vero memor eorum, quae ad explicandum nomen Hipponis, ex comparatione Arabici عيب, *stagnum*, et Syriaci ܥܘܒܐ, *sinus*, praeeunte Bocharto, in *Diatribe punica* p. 39 sq., attuli, eandem vocem hic quoque latere conjicio, ut בב עבא sit *introitus stagni*, sive *sinus*. Forte oppidum situm erat in ipso introitu illius λιμένος μεγάλου, quem Babibae vicinum facit Ptolemaeus.

Badiath, locus interioris Libyae a septentrione fluvii Gir. Respondet Arabico البادية, *campus*, *desertum*.

Balanea, urbs Phoenices, vel Syriae, alias *Balanaea*, vel *Balanaeae*, me judice, a fontibus thermisve dicta, ut vera scriptio sit בעל עיניא, i. e. *praedita fontibus*. Eadem origo nominis

Bal-

Ballene, i. e. בַּעַל עִינָא, quod oppidum Mauretaniae Caesariensis memoratur inter Calamam et Rusuccurum in *Itiner. Ant.* p. 37. Alterum עִינָא status emphaticus est Syriacus, alterum עִינָא Chaldaicus.

Banadedari, locus regionis Syrticae, a Philaenorum aris, Wesselingio judice ad *Itinerar. Anton.* p. 65, non diversus. Si *Bamadedari* legeretur, illud libenter Vir Celeb. explicuisset *aras cursorum*, nempe Philaenorum, et Punicam vocem esse putasset. Qua conjectura quid spectaverit non satis assequor. Utut est, in voce *Bana*, vel *Bena*, ut Cod. Neapol. habet, quae a sq. in duobus Codd. separatur, vestigia Semitica agnosco. Est enim Arab. بِنَاءٌ, *aedificium*. At *didar* vix e Phoenicismo poterit explicari. Si libris Punicis credimus a Sallustio laudatis, quorum certe tali in re haud contemnenda est auctoritas, cum Hercule Tyrio, i. e. cum Phoenicum coloniis, in Africam transierunt Persae, Medi et Armeni. Sallust. de *Bell. Jugurth.* c. 18. Quapropter minime mirum foret, si subinde etiam Persicum nomen hic nobis se offerret. Ergo venia sit audaciae, si *didari* cum Pers. ديدار, *videns*, *speculans*, a verbo ديدن, *videre*, comparandum esse censeam, ut بنا ديدار idem sit, quod بناء ديدبان, *aedificium*, vel *turris speculantis*, alias *specula*, quod aptissimum nomen est castello in regionis confiniis posito. Caeterum dispiciant eruditi, utrum hic locus ab *Automalaca*, de quo supra vidimus, diversus existimandus sit nec ne.

Baniubae, populus Mauretaniae Tingitanae. An fuerunt בְּנֵי אִיּוֹב, *filii Jobi?*

Baniuri, gens Mauretaniae Caesariensis, ad Gaetulorum nationem pertinens. An verum nomen fuit בְּנֵי אוּר, vel בְּנֵי אוּרִי, *filii Ur*, vel *Uri?* Utrumque אוּר et אוּרִי nomen est virile in Hebraeorum libris.

Barathia, locus regionis Syrticae, forte dictus a puteis בְּאֵרוֹת. Huic statim subjungit Ptolemaeus Κιστέρναι, i. e. *Cisternas*, ut forte ex uno loco duo fecerit, cujus erroris superius geminum exemplum a nobis allatum est. Haud infitior tamen Strabonem L. XVII. p. 837 eodem plane situ, ab oriente ostiorum Cyniphi fluminis, collocasse castellum, quod condidere Carthaginenses, γεφυροῦντες βάραθρά τινα εἰς τὴν χώραν ἀνέχοντα. Quae verba si integra sunt, alii enim libri habent βάθρα pro βάραθρα, haud absurde existimes apud Ptolemaeum βάραθρα pro Βαραθία legendum esse.

Batrachus, portus agri Cyrenaici. An fuit בֵּית רֶכֶשׁ, *domus equorum*, quae appel-

pellatio quantopere respondeat Cyrenaeorum ingenio ob ἱπποτροφίαν celeberrimorum, manifestum est.

Bedirum. Cf. *Botrys.*

Bibliaphorium, locus in extremis Aegyptiorum finibus, in deserti Libyci ora situs, supra Paraetonium et Apin. De ridicula significatione nominis, si revera Graecum sit, jam ante verbulo diximus. Nobis est בָּב לְעָפָר, *porta pulveris*, vel *arenae*, i. e. *deserti arenosi initium.* Simile est בֵּית לְעַפְרָה, *domus pulveris*, Micha c. I. vs. 10.

Bida, urbs Mauretaniae Caesariensis in ora Saharae. Videtur synonyma τῆς *Badiath*, ante memoratae. Nam بيداء, *desertum* et *planitiem* notat, unde loco nomen adhaesit inter Meccam et Medinam sito. Potest etiam comparari بدا prope Ailam. De utroque cf. notas nostras ad Pseudo-Wakidaeum p. 14 sq.

Bintha, oppidum Melanogaetulorum. An fuit pp. בֵּי נֶטַע, pro בֵּית נֶטַע, *domus plantationis*, quod vel *locum arboribus consitum*, vel *coloniam*, denotare poterit? Nam נטע etiam de populo dicitur, cui certae sedes assignantur.

Bocanum Hemeron, locus Mauretaniae Tingitanae, forte a thermis dictus. Vera quippe scriptio fuisse videtur בֹּחַן חֹמֶר, *specula fervoris*, vel *aestus.* Comparetur *Himerae*, urbis Siculae, nomen, in quo dudum *thermarum* significationem quaesivit Bochartus in *Canaän* L. I. c. 27, p. 515.

Bocarus, fluvius Cypri, cujus amoenitatem nomen ipsum exprimit. Videtur enim Hebraicis literis בֹּחָר scribendum esse, ut sit part. in Pohal pass. a בָּחַר, *elegit*, ad normam vocum שׁולל et אוצר et aliarum, ut sit reddendum, *electus*, vel *eligendus*, i. e. *praestantissimus*, *optimus.*

Bocchyris, agri Cyrenaici locus. Num forte synonymum est Hebr. בחורים, quod nomen est urbis Benjaminiticae?

Boosura, urbs Cypri haud procul a Papho veteri. Graeca scriptio nominis Βούσουρα ridiculo Ptolemaei errori opportunitatem dedit. Is scilicet vocem invertit et Οὐρὰ βοὸς scripsit, quasi locus a *cauda bovis* dictus esset. Mihi quidem dubium nullum est, quin vera scriptio sit בּוֹאֲשֵׁרָה, i. e. *domus Astartes*, vel *Ascherae.* Compositionis ratio eadem est, quae in synonymo *Bostra*, i. e. בּוֹעֶשְׁתְּרָה, quod Hebraei בְּעֶשְׁתְּרָה scribunt. Syllaba בּוֹ decurtata est ex בּוֹת, unde superest plurali בָּתִּים,

 uti

uti בי et בי, ex בית et בית orta sunt in Βαιτάμψα et *Byblus*, superius illustratis.

Botrys, nomen urbis Phoeniciae notissimum, quod, si bene conjicio, mirum in modum a Graecis corruptum est. Forma enim vocis plane Graeca esse videtur, ut parum absit, quin in ea versionem Orientalis nominis אֶשְׁכֹּל quaesivissem, quod vallis cujusdam apud Hebraeos nomen est. At Arabes, qui ubivis, repudiatis Graecis nominibus, antiqua et indigena, quantum fieri potuit, restituerunt, urbem hodieque superstitem باترون vocant (cf. Burckhardt *Trav. in Syria* p. 178), et Jacobus Vitriacus *Hist. Hieros.* c. 44, eam *Betiron* appellari scribit. Hoc igitur explicandi viam monstrat et ostendit veram scriptionem בֵּית חֹרֶן, vel, si mavis, variata vocali בֵּית חִירֹן, esse, i. e. *locus cavernae*, vel *praeditus cavernis*. Quam conjecturam Strabo egregie confirmat L. XVI. p. 755, in Botryos vicinia memorans τὰ ἐπὶ τῆς θαλάττης σπήλαια. *Bethchoron* gemini loci, alterius in tribu Ephraim, alterius in Benjaminis confiniis siti, nomen est; quos Alexandrini, pariter emollita litera Cheth, Βαιθωρὼν et Βηθωρὼν appellant. Caeterum alia exempla locorum, a speluncis appellatorum, vide inferius in v. *Coronea*, in quorum censum forte etiam referenda sunt *Bedirum* et *Buthurus*, quae facillime ex comparatione vocis בית חרן explicentur. Horum prius ad fontes Cinyphi fluminis situm est, posterius in eo tractu jacet, ubi Bagradas oritur.

Bullaminsa oppidum agri Carthaginensis. An fuit בעל המנשא, *proventu ferax*, coll. Arab. نشأ, *crevit*, *provenit?* Possis etiam scribere בול המנשא, ad Syriacam formam propius. Nam formam בול, pro בעל, vel בל, in usu fuisse Inscriptiones Palmyrenae docent.

Burca, oppidum Numidiae, item Mauretaniae Caesariensis. Proxime accedit Arab. بِرْكَة, (Hebr. בְּרֵכָה), *piscina*, *lacus*.

Byzacium, regio Africae propriae ob fertilitatem celeberrima, quae res tanto magis memoria digna est, quod aut nullis, aut paucis, fluminibus irrigatur. Jacet enim ad parvam Syrtin, ubi nullus alicujus momenti fluvius in mare exit. Hinc soli fertilitas irrigatione sustinenda et excitanda erat, unde nomen regionis exortum. Nam בִּישְׁקִי, pro בֵּיתשְׁקִי, ad verbum est *domus irrigationis*. Vox שְׁקִי mihi per vocalis transpositionem orta videtur ex שֶׁקִי, vel שִׁקִי, quod adhuc superest in Arab. سِقْي, *quod ad agrum irrigandum praebetur*. Si conferre mavis سقي, quod nomen

men act. est, שָׁקַי ortum erit ex שְׁקִי, sicut אֲרִי ex אֲרִי.

Calamus, urbs Phoeniciae, et *Calama* Numidiae, inter Cirtam et Hipponem Regium, nec non gemina Mauretaniae *Itiner. Anton.* p. 36 et 513, dubium videtur unde nomen traxerint. Si vox Arabica قلم Orientalis nec a Gr. κάλαμος orta est, sed huic originem dedit, potuerunt ista oppida dici ab arundinibus, ad normam Hebraici nominis קָנָה, quod duabus urbibus Palaestinae proprium fuit. Cf. Simon *Onomast. V. T.* p. 33 sq. Jacet hodieque pagus *Kalemoni*, ubi olim stetit *Calamus* Phoeniciae. Shaw. T. II. p. 15. An eodem pertineat atque adeo etymon modo propositum confirmet Arabicum قلمون, quod nomen loci est in Syria من قرية الاناعي, adhuc ignoro, partim quia قرية الاناعي mihi ignota est, partim quia Calamus alia, ab austro Ptolemaïdis sita, memoratur in *Itinerario Hierosolym.* p. 584, coll. Relando in *Palaest.* p. 678. Num forte ad nominis explicationem adhibendum est Syriacum ܟܠܡܢ, *solum petrosum et sationi ineptum.* Hoc malim, quam de Chaldaico et Samaritano גַּלְמָא, *collis*, cogitare, a quo, in solo, ut videtur, plurali superstite Bochartus nomen urbis Libycae, vel Phoeniciae, *Calaminthe* repetivit. Nam de Calamo Phoeniciae et Calama Numidiae (Shaw. T. I. p. 104) satis tuto affirmari potest illas in colli sitas non esse.

Calathe, insula in ora Zeugitanae, hodie Jalta, quae, teste Shawio, altissima et rupibus aspera est. Vide T. I. p. 124. An hic quaerendum قلّة, *cacumen*, *vertex montis?* Eadem vox latet in

Callinusa, Cypri promontorio, quod Poenis sonuisse videtur קַלָּה נְשֻׂאָה, *cacumen elevatum.* Forma נְשֻׂאָה part. est a Pohal derivatum.

Capha, mons Libyae interioris. Videtur esse Aramaeum כֵּיפָא, *saxum*, *rupes.*

Capsa, urbs notissima Africae propriae, de cujus vero nomine omnem nobis dubitationem eximit Arabum auctoritas, qui hodieque eam appellant قَفْصَة, ut ex Scherifo al Edrisio discimus. Hinc Bochartus *Canaän*, L. I. c. 24. p. 483, recte comparavit קָפַץ, *contrahere*, *claudere*, sed haud satis probabiliter eam ita dictam existimat, quod undique desertis vallata esset et quasi constricta. Mihi קְפִצָה simpliciter *claustrum* est, vel *castellum.* Nam aliud oppidum ejusdem nominis memorat Ptolemaeus circa Bagradae fontes, quam regionem proventu felicem veteris Zaben, Arabes hodieque Zaab appellant. Haec est, quam respexit Lexici Geogra-

graphici auctor, scribens قفصة esse oppidum parvum in Magreb, et quidem in praefectura al Zaab magnae sitam.

Caranus, *Carne* et *Carnus*, nomina sunt oppidi portusque Phoenicii, cujus vera appellatio, ut statim intelligitur, est קֶרֶן, *cornu*, *vertex montis*. Arabes, quibus قرن idem significat, pluribus locis, memoratis in Lex. Geogr. et Moschtareko, quod eorum duodecim recenset, hunc titulum tribuerunt.

Cararus, locus interioris Byzacii, videtur esse Arabum قرار, *locus firmus*, *sedes stabilis*, quod nomen etiam est vallis haud procul Medina in terra Mazenitarum.

Carcoma, oppidum Mauretaniae Caesariensis, vicinum Cartennis inter ostia fluminum Cartenni et Chinalaphis, a Shawio vero nulla de caussa ad orientem Chinalaphis positum. Nomen sine ulla dubitatione est Hebr. כַּרְכֹּם, Arab. كُرْكُم, Chald. כּוּרְכְּמָא, unde *crocus Indicus* vulgo *curcuma* audit. Quapropter verosimile est illius herbae cultum in locis huic urbi proximis floruisse. Quam conjecturam hodierna illius tractus conditio egregie confirmat. Nam teste Shawio T. I. p. 24, al Henna, quod herbae genus digitis flavo colore tingendis inservit, in hortis inter Mustygannim (Cartennas?) et Masagran sitis studiose colitur: unde haud levis suspicio est, quod hodie Arabes حنّا, appellant, id apud Phoenices כרכם vocatum fuisse.

Carpis, nomen urbis, haud procul promontorio Herculis e regione Carthaginis sitae. Locum *aquas calidas* appellat Livius L. XXX. c. 24, et hodieque ibi thermae sunt. Cf. Shaw. l. l. p. 140. An igitur vera scriptio est חַר פִּי אֵשׁ, *calor orificii ignis?*

Cartenna, plurali numero et singulari, sita in regione Mauretaniae Caesariensis litorali. Ex fontibus nomen traxit, quorum hodieque istis in locis magna abundantia est. Cf. Shaw. l. l. p. 24. Phoenicia scriptio videtur esse קֶרֶת עֵינָא, *urbs fontis*.

Cartili, haud procul Cartennis, in solo *Itiner. Anton.* p. 14 memoratur. Appellata est קֶרֶת אֵל ab Ili, sive Croni, cultu.

Castabala, vel *Castabalum*, oppidum Ciliciae, videtur esse חֶסֶד הַבַּעַל, *gratia Baälis*, quod in unam vocem contractum sonaret חַסְדְּבַעַל.

Catada, fluvius Carthagini vicinus, quem Bochartus *Canaän* L. I. c. 24, p. 486, ab

ab illa urbe, olim, teste Solino, *Carthada* appellata, dictum censet, ut sic etiam nomen fluvii corrigendum sit. Ego contra, si haec revera inter se cohaereant, in scriptione *Catada* confirmationem quaeram explicationis nummi Phoenicii, in quo קת הרשת, pro קרת חרשת mihi legendum esse videri, in superiore *Diatribe Punica* p. 59 significavi.

Catharon, promontorium Africae ad Oceanum, quod procul dubio a Poenis nomen accepit, nec cum Graeco καθαρὸς quidquam commune habet. Me judice est כִּתְרֹן, adject. a כֶּתֶר, *corona*, quod Graeci στεφάνη instar ad fastigium et supercilium petrae referri potuit. Ergo כִּתְרֹן erit *fastigiatum*. Caeterum a *corona* multa loca nomen traxerunt. Sic עֲטָרָה nomen Gaditicae urbis est, اكليل loci Arabici. Vide Simonem in *Onomast.* p. 115, ubi Graeca quoque exempla attulit.

Celaema, oppidum Mauretaniae Caesariensis. An חֶלְמָה, i. e. *pinguedo*, a soli fertilitate? Cf. *Chylemath.*

Cerastia, nomen insulae Cypri, de quo jam superius p. 94 sententiam diximus. Nunc hoc addo, formam Graecó-Latinam accuratius respondere videri adjectivo fem. חרשתית, derivato a חרשת, inf. verbi חרש feminino. Nomen per ellipsin vocis ארין, *terram arationi aptam* designaret.

Charbyris, locus Cypri, ubi Hilarion monachus solitariam vitam egit. Quodsi vel חוֹר בְּאֵר, vel Arabice غار بير, scribatur, nomen *excavationem*, vel *speluncam*, *putei* notabit. Talis autem locus profecto aptissimus erat monacho hominum consortium vitare et corpus excruciare cupienti.

Chinalaph Mauretaniae Caesariensis; alias *Chinapal*, variant enim codices Ptolemaei in nominis scriptura. Si posterius verum sit, etymologia admodum facilis erit. Statim enim succurrit חֵן הַבַּעַל, *gratia*, sive *donum Baälis*, ut scilicet insigne hujus fluminis beneficium Baäli acceptum retulerint Poeni. At alteri terminationi longe accuratius respondet nomen hodiernum شلف. Quod si non *Chinalaph*, sed *Inalaph*, legeretur, nihil cogitari posset et fingi ad rem aptius, cum plurimis fontibus exoriatur Chinalaph, qui hodieque ob multitudinem سبعون عينا, *septuaginta scaturigines*, appellantur. Quippe עֵינֵאלֶף *mille fontes* notat. Hebraei tamen dicere mallent, vel עֵינוֹת אֶלֶף, vel אֶלֶף עַיִן. Haud defuturi sunt, qui mirentur, si idem in *Chinalaph* mihi latere videri dixero. Nempe rara quamvis, at haud inaudita tamen est permuta-

 tio

tio literarum Cheth et Ain, ut חינאלף efferri potuerit, pro עינאלף; quemadmodum חבק, Hebr. et ܚܒܩ Syriacum consentiunt in *amplectendi*, חשק et عشق, in *amandi*, קרח et قرع in *calvitiei* notione. Ex qua observatione forsitan illustrari possit Jobi locus, c. XLI. vs. 3, quo ipsam illam vocem חין pro עין positam esse conjicio. Ibi de Leviathane sermo est, *non reticebo*, inquit *membra illius firma* (pp. vectes) *nec rationem* (דְּבַר) *roboris*, וְחִין עֶרְכּוֹ. Postrema verba mirifice Viros doctos vexarunt, quorum interpretationes, utpote nobis non probatas, silentio praetermittimus. Nobis עין comparantibus duae potissimum significationes placent, altera Hebraica *speciei* et *formae*, ut sit *nec formam apparatus*, vel *structurae*, nempe *reticebo*: altera Arabica *res ipsa*, ut quemadmodum dicimus عين الحصر, *ipsa angustia*, et عين الصواب, *ipsa rectitudo*, sic etiam עֵין עֶרְכּוֹ, vel חִין עֶרְכּוֹ, sit *ipsa structura ejus*, atque adeo חין accurate respondeat τῷ דבר in praecedenti membro.

Chobat, oppidum Mauretaniae Caesariensis prope flumen Nasavam, quod *Coba municipium* appellatur *Itiner. Anton.* p. 18. Scripturae varietas satis ostendit, posteriorem syllabam *a*, vel *at*, esse terminationem nominis feminini, et radicalem formam in *Chob* latere. Quae tamen utrum חוב, an כוב habenda sit, ambiguum est. Priori scriptioni favet urbs חובה a sinistra Damasci, cujus jam in Abrahami historia Gen. c. XIV. vs. 15 mentio est, item ut videtur in libro Judithae c. XV. vs. 5, ubi Χωβὰ appellatur, ut Mauretanica urbs apud Ptolemaeum Χωβάτ. Diversa est Χωβαΐ ibid. vs. 4, et c. IV. vs. 4, ubi Χωβὰ scriptum est, quod oppidum, forte in Hierichuntis vicinia quaerendum, male cum praecedente confuderunt Relandus in *Palaest.* p. 721, Simonis in *Onomast. V. T.* p. 255, et Gesenius in Lexx. Nomen bene a חבה repetivit et *latibulum*, (vel *refugium*) explicuit Simonis. Contra thema כוב scriptionemque כובה tuetur Ezechiëlis locus c. XXX. vs. 5, quo recensentur Aegyptiorum auxilia: *Cusch*, *Lud*, *Put et omnis occidens*, vel *Africa occidentalis* (sic enim הֶעֶרֶב explicandum est, coll. Arab. الغرب et المغرب), *et Cub* (כוב). Postremum alii in Cobe Aethiopiae portu, vel Cobio Mareotidis loco, quaesiverunt: alii Arabico obtemperantes interpreti כוב in נוב mutandum censuerunt, Nubiam intelligentes. Quod Gesenio haud displicuisse miror, cum regione Cusch Africana semper hodiernam Nubiam comprehendi alio loco statuat. Bochartus denique, *Phaleg.* L. IV. c. 32, p. 295, כוב in Marmarica quae-

quaesiverat, existimans, *Paliurum*, quod urbis in ista regione sitae nomen est, Graecam esse interpretationem vocis כוב, quae apud Syros hoc significet. Hoc unde didicerit, vel conjecerit, nescio. In Lexicis certe *spina* universe, vel *frutex lanifer*, *gossypium*, vel *urceus*, sive *cupa*, explicatur. Nobis vero reputantibus Libyae occidentalis mentionem loco aptissimam esse, hujus Cobae Mauretaniae cum Cobo Ezechiëlis comparatio, reliquis conjecturis, quae ad hunc usque diem in medium prolatae sunt, aliquanto verosimilior visa est, ut haec urbs adhuc vestigium conservaverit nominis, quod toti aliquando provinciae adjacenti commune fuisse videatur. Illud autem, si, ut terminatio demonstrat, Sémiticum est, nonnisi linguae Syriacae ope illustrari poterit, cum in reliquis dialectis nihil exstet, quod ad rem faciat. Quamvis si solam Lexicorum editorum auctoritatem consulas, paullo ante laudatam, Syriaca etiam non multum hac in re praestare videatur. Uberius vero aliquanto est Bar-Alii glossarium MS. cujus exemplar, Scaligeri manu ex Codice Boreliano, ut ferunt, descriptum, sed nec integrum (in extrema enim litera Nun deficit) nec optimae notae, servat Bibliotheca Academica. In hoc igitur sqq. reperio: ܟܘܒܐ ܕܣܐܡܐ ܘܐܦ ܕܐܠ ܐܬܠܐ ܘܐܡܘܟܐ. *Couba argenti* (designat *calicem*) et *etiam tamarisci*, *ulmi et myacanthi*. Adduntur Arabica obscura et corrupta: النيل الينبوت والدردار والبشوك الدرش العقنول (العرشف العاقول .l) اخر الحسل الحرشو (العرشف .l) الحاج العلّيق. *Sylva*, *spinosae siliquae genus*, *ulmus*, *spina*; *articactus*, *myacanthus*. *Alius* (explicat) *planta al hasal*, *articactus*, *asparagi sylvestris species*, *convolvulus*. Quid sit حسل, a Lexicographis MSS. non memoratum, ex Ibn Beitaro didici MS. 805 (13) qui herbam esse dicit similem origano (الصعتر) foliis oblongis praedito, quod vulgo al Borm (البرم) appelletur, nisi quod major eo sit et fragrantior. Porro Syriace appellari حسي, quam vocem Graecam facit anonymus Arabs in libro *de medicamentis simplicibus*, eodem volumine cum Ibn Beitaro comprehensus. Apud Graecos tamen nihil superest, quod cum حسي componatur praeter ἴσια, quod *petiolum* denotat *plantae*, vel *fructus*: nec satis certum est, utrum Ibn Beitar linguam Syriacam, an sermonem Arabum Syrorum respexerit. Jam glossis, quas explicuimus, alias etiam adjungit Bar-Ali: nempe ܟܘܒܐ ܒܪܝܐ, *cuba silvestris*, Arab. العلّيق, *convolvulus*, et ܟܘܒܐ ܡܨܪܝܐ, *Cuba Aegyptia*, Arab. ام العنسوان جلنار. Quid sit ام العنسوان reperire non potui; جلنار, sive كلنار, est *malus punica silvestris*, sive *punica balaustus*, cujus optimam speciem Ae-

Aegyptiacam esse testatur etiam Borhan Kati', addens Arabice quoque appellari ثمر الشوكة المصري. Vides varietatem notionum insignem, e quibus quid ad nomen כוב illustrandum spectet, nemo sane definiat. Mihi prae caeteris placeret, ut regio a tamariscis, quorum magna per omnem Africam copia est (Shaw. in *Append. Itiner.* p. 121, n. 570), vel malis punicis silvestribus, appellata sit.

Chusaris, nomen fluvii exterioris Africae ad Oceanum, qui ab eo nomen accepit, quod perennis non esset. Nam vera scriptio esse videtur חסר, *deficiens*.

Chylemath, fluvius Mauretaniae Caesariensis, a solo memoratus Ptolemaeo, quod nomen Cellarius *Geogr. Antiq.* T. II. p. 921, secutus Vossium ad Melam p. 21 ex *Mylychath* corruptum esse existimavit, de cujus conjecturae probabilitate ante judicari non potest, quam tota illa quaestio de amnibus Mauretaniae *Chylemath*, *Malua*, *Malvana*, *Molochath*, *Mulucha*, *Mylychath*, Geographicis commentis liberata sit, quibus eam doctissimi viri obscurarunt. Quod ut ordine fiat, primum testimonia veterum, dein eruditorum de illis judicia, memoremus. Reliquis antiquior Sallustius *Bell. Jugurth.* c. 19 et 92 Mulucham Jugurthae et Bocchi regnum disjunxisse tradit: Sallustium proximus excepit Strabo, qui L. XVII. p. 829, flumen Molochath terminum facit Maurusiorum et Massaesylorum. Hunc temporis ordine sequitur Mela L. I. c. 5, qui Mauretaniae finem ponens Mulucham, praeterea addit: *Mulucha ille, quem diximus, amnis est, nunc gentium, olim regnorum quoque terminus, Bocchi Jugurthaeque.* His disertior et manifestior Plinius L. V. c. 1, servato locorum situ ab occidente in orientem progressus, primum Malvanam fluvium navigabilem, dein Siphacis quondam regiam Sigam memorat, quam alterius jam dicit esse Mauretaniae. *Namque diu* (inquit) *regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima: itemque Bocchi, quae nunc Caesariensis.* Cujus loci difficultatem jam antea L. IV. p. 156 attigimus. Hinc pergit ad Portum Magnum, tum ad Mulucham, Bocchi Massaesylorumque finem, ad Quisam, Arsennariam, Cartennam, continua versus orientem serie se invicem excipientes. Huic reliquis Geographis aetate propior Ptolemaeus Molochath flumen nominat in Tingitana, tum statim subjicit Maluam terminum hujus et Mauretaniae Caesariensis, dein brevi intervallo Sigam, Assaram flumen, Portum Magnum, Chylemath flumen, Bouïzam, Deorum portum, Arsenariam et Cartennam, in postremis hisce prorsus Plinio consentiens. Desinamus in *Itinerario Antonini*, quod in caeteris eundem ordinem observat, quem Ptolemaeus sequitur, at in eo discrepat, quod inter Portum Magnum et Quizam,

vel Bouïzam nullum, sed contra inter Sigam et Portum Magnum, *flumen salsum* ponat. Cur tanta sit in Plinio et Ptolemaeo erroris conspiratio incertum est, hoc vero constat illos errasse, non Itinerarii auctorem, cum inter *Mersa el Kebir*, (i. e. *Portus Magnus*) locum hodieque notum et Quizam, sive recentiorum Oran, nullus amnis interlabatur. Vidit hoc jam Shawius T. I. p. 19 et *salsum flumen* recte quaesivit in Wed al Malah, quod *torrentem salis* notat, inter Sigam et Portum Magnum. At nihilominus illud, quod sanequam ex ipso nomine מְלוּחָה, *salsa*, vel *salsum*, a מֶלַח, *sal*, agnitu facillimum erat, non agnovit, hic quaerendam esse Mulucham, vel Chylemath, veterem Mauretaniae terminum, sed hunc amnem cum Malua, vel Malva, Ptolemaei et Itinerarii, et Malvana Plinii, item cum Molochath Strabonis et Ptolemaei confundere maluit, quam distinctionis ab ipsis veteribus factae rationem habere. In eundem plane errorem incidit D'Anvillius secutus Shawium, quantum ex illius Geographia veteri in compendium redacta T. III. p. 101 intelligitur. Quod profecto tanto impensius miror, cum horum decessores Is. Vossius et Cellarius ll. ll., qui nec a tanta Geographiae peritia, nec ab ipsorum locorum accurata inspectione, parati essent, ex parte illius falsae opinionis temeritatem evitaverunt. Nam Vossius Molochath Strabonis et Ptolemaei recte distinxit a Mulucha reliquorum, Cellarius non minus bene Maluam, vel Malvanam, a Mulucha disterminavit, in eo tamen reprehendendus, quod Vossii sententiam deserens, Molochath Ptolemaei, diversam arbitratus est ab ejusdem nominis flumine apud Strabonem, quod ex illius sententia responderet Muluchae, hoc nixus argumento, quod Plinius Mulucham terminum faciat Bocchi et Massaesylorum, sicut Strabo Molochath Massaesylorum finem et Maurusiorum. Sed quis non videt, qua ratione apud Strabonem jungantur Ἄκρα Μεγάλη, Μολοχάθ, et Μεταγώνιον, eadem apud Ptolemaeum copulari Ῥυσσάδιρον (רֹאשׁ אַדִּיר, *caput magnum*), Μεταγωνίτιν ἄκραν et Μολοχάθ, ut de ista re ne umbra quidem superesse possit dubitationis? Scilicet haud satis diligenter observata terminorum nominumque, pro temporum diversitate, mutatio et varietas, et hunc et omnes in errorem abduxerat. Meo quidem sensu auctores facile in concordiam redigi possunt, si Strabonem de antiquissimo Mauretaniae et Numidiae termino locutum esse statuamus, flumine Molochath, quod ab occidente amnis Maluae in mare se exonerat. Talis rerum status erat, cum Bocchar (Liv. L. XXIX. c. 30) Mauris, Syphax Numidis Massaesylis, praeesset. Tametsi enim fines regni Syphacis nusquam diserte significantur, hoc certum est eum

 Si-

Sigam regiam habuisse, quae media est inter Maluam flumen et Mulucham, sive Wed al Malah, ut ex Shawio constat. Ergo ad Maluam certe incolebant Massaesyli, nec cur fidem denegemus Straboni, illos paullo ulterius etiam in occidentem Molochath usque promoventi caussa ulla est. Etsi hac ex parte fines ea tempestate justo incertiores fuisse putem: cum ex libro Liviano XXIV. c. 49 satis constet, Syphacem nonnihil juris habuisse in Mauros extremos, prope Oceanum adversus Gades colentes. Nam victus a Masinissa eorum ingentes copias armavit. Utrum vero, capto a Romanis Syphace, pars Numidiae ad Maluam, vel ad Molochath, Masinissae ejusque successoribus attributa sit, incertum est. Certe Romani bello Punico secundo eo arma protulisse non videntur, et Livius L. XXX. c. 44 simpliciter testatur, Scipionem ad regnum paternum Masinissae adjecisse Cirtam et reliquas urbes agrosque, quae ex regno Syphacis in populi Romani potestatem venissent. Quin Jugurtha etiam, qui, Hiempsale et Adherbale interfectis, totam Masinissae ditionem tenebat, Mulucham, non Maluam, vel Molochath, terminum regni habebat, ut supra vidimus. Sunt tamen duo loci admodum memorabiles, qui contrarium docere videantur. Apud Sallust. c. 102 queritur Bocchus coram legatis Romanis se incursionem Marii in eam partem Numidiae, quam ipse Jugurthae eripuisset et jure belli suam fecisset, pati nequivisse. Similia fere leguntur in Numidicorum Appiani excerptis, quibus respondet Manlius Romanos istos terrae tractus eripuisse Syphaci et Masinissae dono dedisse; ergo nunc rediisse in potestatem populi Romani cum Masinissae nepotes interfecti, Jugurtha autem hostis Romanorum factus esset. Quibus locis, aut fallor, aut de ea Numidiae parte, quae Maluam et Mulucham interjacet, sermo est, ut haec etiam aliquando ad Jugurtham pertinuisse videatur. Nam quod rem imprimis illustrat, non ante Bocchus cum exercitu Jugurtham adjuvare coepit, quam Marius castellum ad Mulucham flumen in extrema ditione Jugurthina situm expugnasset, atque adeo suo jam regno imminere videretur. Eversis Jugurthae fortunis, quid de Numidia factum, aut quibus finibus circumscripta sit, obscurum est. Heerenius in veteris historiae enchiridio (*Handbuch der Gesch. der St. des Alterthums*, p. 439, ed. 4.) affirmat regnum trifariam divisum fuisse, partem Boccho, duas reliquas partes cessisse Hiempsali et Hiarbae, Masinissae nepotibus, sed more suo narrationis fontes laudare neglexit. Nec minor reprehensio cadit in alios duos historicos nostra aetate nobilissimos, C. D. Beckium et F. C. Schlosserum, eadem fere tradentes. Schlosserus enim (*Weltgeschichte in zusammenhängender Erzählung*, T. I. p. 361) pariter neminem citat sententiae

tiae

tiae suae auctorem, et Hiarbam facit Jugurthae ex fratre nepotem, qua de re nihil omnino constat. Beckius autem (*Anleit. zur allgem. Welt- und Völker-gesch.* T. II. p. 168 sq.) asserit Bocchum obtinuisse a Mario terram Massaesylorum, sive Mauretaniam Caesariensem, Hiarbam, sive Hiertam, Gaudae filium fuisse, Hiempsalem vero, Jubae I, qui cum Caesare pugnavit, patrem, Mandrestalem quoque appellatum fuisse, et horum omnium testem affert Dionem L. XLIII, apud quem nihil omnino reperies, quod huc faciat, nisi hoc unum, Jubam fuisse Hiempsalis filium (L. XLV. c. 41). Hi omnes scilicet, si quid video, non veterum auctoritatem secuti sunt, sed Reineccii *Hist. Juliae*, T. III. p. 344 sq., qui stemma Masinissae docte et accurate persecutus in eo tamen erravit, quod ex sola conjectura Gaudae, Mastanabalis filio, Masinissae nepoti (Sallust. *Bell. Jugurth.* c. 65), filium attribuit Hiarbam, sive Hiertam, item, quod illum Mandrestalem, alio verbo Hiempsalem, nobis obtrusit, Gelenii insigni audacia deceptus, qui in Appiano L. I. *Bellor. Civil.* c. 62, ubi nunc ex Cod. Aug. et Ven. recte legitur: οἳ ἐς μὲν Ἱεμψάλαν τὸν Νομάδων δυνάστην — διέφυγον, olim vero legebatur ἄνδρες ἐσθλοὶ pro Ἱεμψάλαν, fidenter οἳ ἐς μὲν Μανδρεστάλαν reposuit, quasi illud nomen usquam terrarum exstitisset. Prudentior Reineccio decessore Sponius in *Miscellan. crud. antiq.* p. 147 Hiarbam e Masinissae stemmate prorsus omisit, Hiempsalem vero an recte Gaudae filium fecerit, auctoritate lapidis apud Carthaginem novam reperti, dubitari possit. In hoc enim legitur: REGI JUBAE REGIS JUBAE FILIO REGIS HIEMPSALIS N. REG. GAU. PRONEPOTI. REG. MASINISSAE ABNEPOTI etc. Alii pro REG. GAU. legunt REG. GUL. Sed sive hic *Gauda*, sive *Gulussa*, memoratur, semper haerebis. Nam priore in casu Juba fuit Masinissae *adnepos*, non *abnepos*; et Mastanabalis desideratur mentio; Gulussae vero qui ante deletam Carthaginem A. U. C. 608 dudum virilem aetatem attigerat, nec Jubae avus esse potuit, qui A. U. C. 708 extremo bello civili occubuit, filium relinquens admodum puerum, Jubam secundum, nec Hiempsalis pater, qui adhuc regnabat A. U. C. 691, ut ex Ciceronis *Orat. II contra Rullum* c. 22, eo anno habita, discimus. Quae cum ita sint mihi saltem verosimile est illam inscriptionem spuriam esse, et quamvis admodum probabile sit Numidiam victo Jugurtha eam ob caussam in provinciae formam redactam non fuisse, quod adhuc nonnulli ex Masinissae stirpe superessent, in quos ingrati videri nolebant Romani, ex suspecto illo testimonio tamen effici non posse, vel Hiarbam, vel Hiempsalem, ad familiam illam pertinuisse. Nec ex veterum quoque testimoniis, quae mihi quidem nota sunt, vel horum principum genus discimus, vel de triplici Numidiae inter Bocchum, Hiem-

Hiempsalem et Hiarbam divisione quidquam constat. Mihi pauca et levia indicia inter se comparanti tota res sic in ordinem redigenda videtur. Marius Hiempsali cuidam ex Masinissae posteris dederat A. U. C. 649 Jugurthae regnum, admodum juveni, cum, ut ex Cicerone probavimus, adhuc imperio praefuerit post annos duos et quadraginta, A. U. C. 691, reliquam vero Numidiam trans Mulucham flumen Boccho concesserat, illam belli jure tenenti, propter operam in Jugurtha tradendo praestitam. Hinc Marius junior bello civili A. 666 confugit ad Hiempsalem, existimans eum beneficii a patruo in se collati memorem fore, idemque Marius senior facere parabat; at barbarus, etsi palam in honore profugum haberet, clam proditionem moliri et partibus Sullanis favere visus est, quod intelligens Marius clandestina fuga sibi consuluit (Plut. *in Mario* p. 426 A, p. 428 F, p. 429 B, C, Appianus *Bell. Civ.* L. I. c. 62). Ergo cum altero bello civili A. 672 reliquiae partium Marianarum, Domitio duce, in Africam transissent, Hiempsal iste regno exturbatus est, eique successor datus Hiarbas, quem postmodum Pompejus, a Sulla rerum potito in Africam missus, cepit et interfecit, restituto Hiempsale. Vide Plut. *in Pomp.* p. 624 E, coll. p. 623 C, Appian. l. l. c. 80, Epit. libr. Liviani 89, Aurel. Victor. *de Vir. Ill.* c. 77, cujus verba, *Numidiam Hiarbae ereptam*, *Masinissae restituit*, procul dubio corrupta sunt. Sunt qui pro *Masinissae* reponant *Hiempsali*. Mihi vel *nepoti*, vel *genti* excidisse videtur: quo probato una opera et Hiempsali regia stirps vindicata et Hiarbae abrogata erit. Usus est in hoc bello Pompejus, teste Orosio L. V. c. 21, Bogudis Mauri, Bocchi filii, opera, quem alii, ut supra ostendimus, etiam ipsum perperam Bocchum appellant. Quam ob caussam is nova videtur ditionis accessione ornatus esse, et fortasse reliquam Massaesylorum terram inter Mulucham et Ampsagam a victore accepit. Hunc enim designasse puto Solinum, cum c. 25 Jol, sive Juliam Caesaream, Mauretaniae Caesariensis caput, Bocchi regiam fuisse scriberet. Hanc primariam caussam fuisse censeo, cur tota ista regio, quae antea Numidia dicebatur, Mauretaniae nomen acciperet, quippe Maurorum regi subdita. Quae vero cis Ampsagam ab oriente sita sunt, his, excepta provincia Carthaginensi, Numidiae appellatio adhaesit. Hoc regnum concessum deinceps Hiempsali, hoc Jubae patri, hoc, postquam in provinciae formam a Caesare redactum erat, ab Augusto redditum est Jubae filio (cf. Dio L. LI. p. 645 sq.), postea vero cum duabus Mauretaniis permutatum, quas Juba ejusque filius Ptolemaeus in posterum tenuerunt; donec Claudio imperante, inde factae sunt duae provinciae, Caesariensis et Tingitana, quarum illa tamen alios fines nacta est, quam

sub

sub Juba habuerat. Hujus enim ditionem a Romana disterminabat Salda portus ad ostium fluminis Nasavae situs (cf. Strabo L. XVII. p. 831) cum Ampsaga flumen, testibus Plinio et Ptolemaeo, Caesariensis Mauretaniae terminus, toto gradu ad orientem sit remotior. Vide Tab. Shawii, orientalem partem regni Algirensis complexam. Cum igitur Juba II in locum Bogudis et Bocchi successerit, quaeri potest utrum Bogud ad Nasavam an ad Ampsagam usque, ut supra diximus, imperaverit. Sed posterius longe verosimilius est, ut Augustus Jubae, pro ademta ipsi Numidia longe majorem ditionem attribuens, aliquam partem agri Bogudici provinciae Romanae adjecerit, ne scilicet ista permutatio sibi detrimento esset. Claudius enim, ut puto, terminum Mauretaniae Caesariensis ad Ampsagam usque flumen non produxisset, nisi aliquando omnes terrae ad occidentem fluvii sitae Mauris paruissent; quando autem hoc fieri potuerit, nisi imperante Bogude, non reperimus. Ut ergo omnia, quae ex praecedenti disputatione efficiuntur, breviter proponamus, et eo redeamus, cujus caussa tota haec investigatio instituta est, diversa sunt flumina *Molochath*, *Malua*, sive *Malvana*, et *Mulucha*, sive *Chylemath*. Ex his Molochath fuit vetustissimus Mauretaniae et Numidiae occidentalis terminus sub Bocchare, deinceps Mauretania producta est usque ad Mulucham, sub Boccho, ad Ampsagam sub filio illius Bogude, Nasava flumine circumscripta sub Juba, postremo iterum Ampsaga terminata sub Claudio, et in duas provincias divisa Malua fluvio diremtas. Jam *Molochath* est מְלֹחַת, et *Mulucha*, ut ante dictum est, מְלוּחָה, quae unam eandemque rationem sequuntur. Sunt enim ambo propagines verbi מלח, quod apud Hebraeos semel in Kal notat *salire*, *sale condire*, et derivatum reliquit מֶלַח, *sal*. Alterum nomen Muluchae *Chylemath* Hebraice scribendum חֶלְמַת, quod *lutosum* significare videtur et *limosum*. Nota est apud Arabes in Spec. I et IV verbi حلم potestas *pinguedinis*, in Talmudicis הֲלְמָה et חֶלְמָה, illa *luti*, *limi tenacis* et *illuviei*, denique in חֶלְמוֹן Chald., et forsitan etiam in חַלָּמוּת, Hebr., illa *vitelli*, vel *albuminis ovi:* quae omnia ad firmandam notionem *fluminis turbidi*, *lutosi* et *limosi* conspirare videntur, ut nulla caussa sit, cur, praeeunte Vossio, illud nomen corruptum existimetur. Quin idem hoc egregie quadrat in *flumen salsum*, quod procul dubio non a fonte, sed a luti, quod secum vehit, natura, saporem suum contraxit. Nec minus aptum est nomen tertii fluminis *Malua*, i. e. מְלוּאָה, alias מְלֵאָה, *plena*. Nam primum מָלֵא, κυρίως, de flumine dicitur profundo et aquis pleno (Jos. c. III.

vs. 15.) tum Mulua, quem hodie Mulooiah accolae appellant, teste Shawio l. l. p. 10 est latus et profundus, et omnium Africae septentrionalis maximus.

Chytri, urbs Cypri forte dicta a silvoso tractu, in quo jacebat. Certi חֲטֻרִי est *ramosus*, a חֹטֶר, *ramus*.

Cilma, oppidum Zeugitanae pp. sonat. גַל מַּא, *fons aquae perennis:* nam torrentem ibi subito terra erumpere colligas ex Shawio T. I. p. 193.

Cinethii, vel *Cinithii*, populus Africae ad Syrtin, de quo etsi affirmare non ausim, utrum advena sit an indigena, monendum tamen obiter censeo, nomen Semiticum videri et urbem esse Gileadis קְנָת (Num. c. XXXII. vs. 42, I Chron. c. II. vs. 23) cujus gentile קְנָתִי *Cinethiorum* nomini admodum simile foret. Num forte haec gens Amorrhaeorum colonia fuit, ex sede sua Transjordanensi ab Israëlitis expulsorum?

Cinyphus et *Cinyps*, flumen regionis Syrticae et adjacens terrae tractus. Bochartus *Canaän* L. I. c. 24, p. 486, illud a קִפּוֹד, Arab. قُنْفُذ, *hystrix*, repetivit, quod scilicet hoc animalium genere ista regio abundet. Nobis potius videtur esse כְּנָפִי, *alatus*, ab Hebr. כָּנָף, ut flumen a celeritate dictum sit; vel, quod malim, ipsum subst. כָּנָף, quod inter alia etiam *limitem* notat. Erat enim ista provincia in Carthaginensium et Cyrenaeorum confiniis. Sic igitur fluvius, vel a regione, quam secabat, nomen traxerit, vel ab eo quod ditionis Punicae ab hac parte extremus erat.

Cirna, mons Zeugitanae, cujus nomen Phoenicium, terminatione emphatica auctum, est קַרְנָא, *cornu*, *vertex montis*, quod in reliquis dialectis est formae קֶרֶן, et apud ipsos etiam Phoenices alias ita sonuisse ex nominis *Carne* indicio colligitur. Vide supra in *Caranus*, ubi obiter Lexici Geographi et Moschtareki auctoritatem excitavimus, multa loca قرن appellata memorantium. In his complures montes sunt: ut unus incerti situs, a quo veterum Arabum proelium dicitur يوم القرن, alius imminens Arafae apud Meccam, tertius in Nedjed pertinens ad Beni Asad et pp dictus قرن الظبي, quartus in Africa, cujus mentio fieri dicitur in expugnationis Africae historia, forte ab eo, de quo hic agimus, non diversus.

Cisi, vel *Cisse*, oppidum Mauretaniae Caesariensis. An קְצִי, *finalis*, *terminalis*?

Colinia nomen vetus Cypri et obscurum. An fuit חוֹלִינִיָה, i. e. *arenosa*, a pl. חולין

חולין, derivato a חול *arena?* Nam Jod gentilitium etiam masculinis pluralibus absolutis adjici Hebr. בחרימי ostendit.

Coreva, vel *Coreba*, oppidum Zeugitanae. An a fontium defectu dicta est חרבה, *arida*, *sicca*. Notum est masc. חורב, *siccus*, montis nomen.

Coronea. Urbs Cypri. Scriptura Κορώνεια, quam servavit Stephanus, sola vera est. Reliquae rationes Κεραυία, Κερύνεια, Κερώνεια, Κερυνῆία, Κούρεια, *Corineum* et Κυρήνεια plus minusve corruptae sunt. Urbs enim nomen traxit a חרן, *caverna*, de quo nomine aucto, ex חר, ejusdem significationis voce, orto, atque adeo Cholem immutabile habente, jam supra vidimus in *Botrys*, sive *Beth Choron*. Hinc repetitum est adj. fem. חרניה, i. e. *cavernosa*, scil. *regio* (ארץ), vel *urbs* (עיר). Eadem est ratio nominis multorum aliorum locorum. *Coroneas*, praeter Cypriam complures, enumerat Stephanus, Boeoticam, Thessalicam, Peloponnesiacam, alias, e quibus Boeotica saltem, jacens in regione Phoeniciis coloniis frequentata, et quam ὕπαντρον καὶ σηραγγώδη appellavit Strabo L. IX. p. 406, hinc procul dubio appellata est. Eodem pertinere videntur *Coronis*, quod vetus nomen fuisse dicitur Salaminis Cypriae, vel *Corone* ejusdem urbis pars, et oppidum notissimum agri Messeniaci, postremo ipsa celeberrima *Cyrene*, quae quanto jure a cavernis nomen acceperit, ex descriptione Cyrenaicae et ipsius maxime *Cyrenes* intelligitur, quam Della Cellae debemus. Vide illius Anglicam versionem p. 136 sq. et Epist. XII totam. Haec igitur, quae recensuimus, *Coronis*, *Corone* et *Cyrene* videntur esse Graecae unius ejusdemque nominis Phoenicii varietates, quod חורנה, vel חורנה cum terminatione adjectiva ן, vel ין sonabat, ut revera eadem vox sit ac הורן, quo nomine et olim regio Transjordanensis septentrionalis insignis fuit, et etiam nunc appellatur, cavernis plenissima. Similis fortasse explicatio nominis *Curium*, nobilis in Cypro promontorii, cui vulgatior forma חורי, vel חוריה, ab eodem חור repetita, originem dederit. Vide tamen infra in *Hyle*.

Cote, *Cotta* et *Cotte*, et forte in plurali *Cotia*, vel *Cotaia;* nam Strabo L. XVII. p. 827 habet ἀπὸ Κωτίων, vel, ut in libris est, ἀπὸ Κωταίων. Est extremum Africae occidentalis promontorium ultra Tingin, cujus Graecum nomen ex Punico translatum perhibetur *Ampelusia*, ut Mela affirmat. Hinc ansam sumsit Bochartus in *Canaän* L. I. c. 34, p. 644 comparandi קוטף, *vindemians*, ex Arabica verbi قطف potestate, quod nobis longius petitum videtur. Praeplacet huc adhibere Syria-

riacum ܓܬܐ, i. q. Hebr. גַּת, *torculare*, quod accurate τῷ *Cotta* respondet. Nam C et G, vel Caph et Gimel, solenniter permutantur. Vide exempla apud Bochartum in *Phaleg.* L. IV. c. 17, p. 237, in *Canaän* L. I. c. 14, p. 416, et L. II. c. 4, p. 715, Schult. in *Clavi Dial.* p. 201 et 250, et Gesenius in Lexx. in lit. *Gimel.* E reliquis scribendi rationibus Κωτία potest esse גִּתִּיָּה adj. fem., vel neutr. a גַּת, ut plene sit: קֶרֶן גִּתִּיָּה, i. e. ἄκρον ληναίων; denique Κωταία Chaldaicam scripturam exprimit גִּתִּיָּא, formam emphaticam a deperdito pl. mascul. גִּתִּין, a quo etiam descendere posset more Syriaco גִּתָּא in statu emphatico, quod ortum dederit formis Κώττη et Κώτη. Quod autem nunc dupliciter T, nunc simpliciter scribatur, id plane est secundum analogiam. Cum enim גַּת, vel גִּת descendat a יגן, *terere*, *premere*, et scriptum sit pro יְגֶנֶת, aut יִגְנַת vel duplicatio adest ad Nun compensandam, vel Syrorum exemplo omittitur. Alia exempla locorum a torcularibus dictorum offerunt Gath Philistaeorum, *Giti*, vel *Gitti*, et *Jagath* inferius suo loco memorandae.

Cryptos, una ex vetustis Cypri appellationibus, quam Graeculi ipsi datam opinantur διὰ τὸ κέκρυφθαι ὑπὸ θαλάσσης. Sed hae merae nugae sunt: nec sane alta illa insula, multisque montibus et promontoriis insignis, fluctibus marinis tecta fuit. Vera nominis explicatio in Oriente quaerenda est. A verbo ܟܪܒ, كرب, *arare*, descendit part. fem. כרוכה, *arata*, *culta* terra, unde in statu emphatico Aramaeorum exstitit כְּרוּבְתָּא, accurate respondens voci Κρύπτος, et naturae insulae ob fertilitatem celebratae.

Cuphe, oppidum interioris Libyae. An est קוֹפִּי, *simiis frequens*, πιθηκοῦσσα?

Curias et *Curium*. Cf. *Hyle*.

Curubis, vel *Curobis*, urbs Byzacii. Forte apud Phoenices sonuit כְּרוּבָה, i. e. *arata*, *arabilis*, *culta* terra, subintellecta voce ארץ. Vide supra in *Cryptos*.

Dabia, locus infra Cernam montem in Zeugitana. An nomen traxit a lupis, ut pp. dictus sit דְּאֵבִיָּה, a דְּאֵב more Syro, pro זְאֵב scripto, vel ab ursis, ut דֻּבִּיָּה scribatur, a דֹּב. Nullam enim caussam video, cur praeeunte Lipsio *Elect.* L. II. c. 4, soli Plinio fidem habeamus ursos in Africa gigni neganti, reliquorum auctorum, Herodoti, Strabonis, Virgilii, aliorum contrarium testimonium repudiemus.

Dar-

Darnis, oppidum Cyrenaicae. An fuit דר נין, *domus florum?*

Dicdica, locus regionis Syrticae. Vide *Itiner. Anton.* p. 65. An fuit דקדק, *parvus*, ut synonymum sit τῷ צער, צוער, צער et צעור, quae nomina oppidorum sunt Hebraica.

Dinaretum, promontorium Cypri, cujus nomen Orientale videtur fuisse די נרות, i. e. *praeditum ignibus*, sive *facibus*, πυρσόφορον, quod scil. ibi pharus esset navigantibus. Comparari potest aliud ejusdem insulae promontorium Δᾶδες, i. e. *faces*, a Ptolemaeo memoratum, nisi forte idem sit.

Diur, flumen Mauretaniae Tingitanae, dictum a sinuoso flexu. Quippe thema est דור, Arab. دار, *circumire*, *girare*, forma autem דיור facta est ad normam τοῦ כיון et ציון, quae inter Hebb. nomina exstant. Ejusdem originis est urbs ad hujus fluvii ripam sita

Dorath, i. e. דורת, *habitaculum*, *domus*, vel *vicus in orbem dispositus*. Conspirant Arab. دارة, Syrorum ܕܪܬܐ, et Hebb. nom. pp. דור et דאר.

Duth, fluvius Mauretaniae Tingitanae ad Oceanum. An fuit דוד, *ebullitio?* vel in fem. דודת?

Elaea, promontorium prope Salaminem Cypri. Est Arameum עליא, ܥܠܝܐ, *altus*, *excelsus*, in statu emphatico. Supplendum ראש, *vertex*. Cf. *Hyle*.

Eleutherus, fluvius qui Phoenicen a Seleucide Syriae parte disterminabat. Nomen, si Graecum sit, ex Phoenicio versum est. Sed hoc verosimile esse nequaquam arbitror. Quis enim fluvio ejusmodi epitheton tribuat, ab illius natura plane alienum? Ergo praeplacet ut nomen אלעטר, i. e. *cingens* et *defendens*, scil. *regionem*, compositum ex part. et articulo Arabico, Graecae corruptioni Ἐλεύθερος ansam dederit.

Elmaeus, locus Cypri. An fuit חלמיה, *lutosa*, *pinguis*. Vid. supra *Chylemath*.

Emporia, regio ad Syrtin minorem fertilissima, horreum Carthaginensium. Graecum nomen esse nequit. Nolebant enim Poeni ista loca frequentari a negotiatoribus peregrinis, ut aperte constat ex foedere cum Romanis icto, L. Junio Bruto, M. Horatio Pulvillo Coss. Cf. Polyb. L. III. c. 22 sq., Bochartus in *Canaän* L. I. c. 24, p. 481, conjecit verum nomen esse אם פוריה, *mater foecunda*. Nobis praeplacet אם בר, *mater tritici*, coll. بر, Arab., בר Hebraeo.

Erana, vicus Eleutherocilicum in Amani vertice. Num forte explicandum הר ענא, *mons fontis?*

Erebidae et *Eropaei*, gentes regionis Syrticae, quarum nomina videntur descendere ab ערב. Optionem facere non ausim inter עֲרָבִי (عربي), *Arabs*, et עֲרָבִי, (غربي), *occidentalis*, *Africanus*, ab עֲרָב, *occidens*, unde *Africa*, ad normam Arabici الغرب, hoc nomine dicta est. Nam Arabes ab antiquissimis inde temporibus in Africam transiisse ex aliis indiciis colligitur.

Erysthia. Cf. *Hyle*.

Euphranta, secundum Stephanum est urbs Libyae, testibus Ptolemaeo et Strabone, turris in agri Cyrenaici confiniis. Fortasse locus ita dictus est ab hinnulorum, vel caprearum, frequentia. Nam עֹפֶר est *pullus cervi*, vel *dorcadis*, unde montem עֶפְרוֹן dictum putant in Judae et Benjaminis confiniis, et urbem ejusdem nominis in extremis Benjaminis finibus. Ab עֹפֶר commode duci potest adj. עֶפְרָן, fem. עֶפְרָנָה et in st. emph. עֶפְרָנְתָא.

Exilissa, urbs Mauretaniae Tingitanae. Est Hebr. הַשְּׁלִישָׁה, ut a triangulari forma nomen acceperit. Habemus in Palaestina etiam terram שָׁלִישָׁה, et urbem בַּעַל שָׁלִשָׁה, in Arabia ثليث, in via Tai (?) in Syriam, et ثلاث in regione مراد (?) ut Lex. Geogr. docet.

Galapha, oppidum Mauretaniae Tingitanae. Respondet accurate Syriacum ܡܫܠܦܐ, *mutatio*, (scil. sedium), ut hoc etiam nomen coloniam spectet. Comparetur חֵלֶף, urbs Naphthalitarum.

Galybe, locus regionis Syrticae, dictus, ut puto, a fertilitate et agri pinguedine. Nam חֲלִיבָה potuit esse *pinguis*, a חֵלֶב, *pinguedo*, cujus femin. חֶלְבָּה est nomen urbis tribus Ascher, forte non diversum a *Galybe*. Nam ut a חֶלְבּוֹן (Aleppo) factum est Graece Χαλυβὼν, sic a חֶלְבָּה oriri potuit *Galybe*. Ejusdem rationis sunt *Gilba* oppidum Numidiae et *Gilva* Mauretaniae Caesariensis, quae accuratius exprimunt חֶלְבָּה.

Garas, mons Mauretaniae Caesariensis, forte dictus ab asperitate. Nam Arabibus حَرَش, *asperitatem* notat, et حَرْشَة est *confragosa res*. Vide tamen quae de Aurasii nomine diximus in *Audos*.

Gar-

Garra, oppidum Mauretaniae Caesariensis, *Gerra* Syrticae, et *Gerra* Syriae, unius ejusdemque rationis sunt. Omnia ista loca nomen traxisse videntur a solo petroso et adusto. Nam حَرَّة est *terra petrosa et nigris adustisque lapillis plena:* quod viginti trium locorum in Arabia nomen est in Moschtareko enumeratorum. Vicinum est notum illud חָרָן, Arab. حَرَّان, cujus nominis par caussa esse videtur.

Gasaufula, locus Numidiae interioris. Facile discernis Hebraicum גֵּי שְׁפֵלָה, *vallis depressa*, *profunda*, quod Grammaticis regulis respondet. Nam גֵּי est communis generis.

Gausaphna, Numidiae locus. Ad literam responderet גו צְפָנָה, *penetrale occultationis*, vel ex potestate Arabici جَوّ, Hebraici גֵּי, etiam *vallis occultationis.*

Gerisa, regionis Syrticae locus. Variis respondere potest vocabulis Hebraicis, e quibus optionem facere nolim. Interim comparentur גְּרִיזָה, ἀπότομος, *praeceps*, *abruptus*. Cf. populus גִּרְזִי et mons גְּרִזִים in Palaestina, et גְּרִישָׁה, *expulsa*, vel *expulsio e sedibus*, ut sit colonia Canaänitarum sedibus ejectorum.

Gigarta, Phoeniciae urbs, ad cujus nominis explicationem viam aperit comparatio Graeci γίγαρτον, *uvae acinus*. Hoc enim ex forma manavit linguae Semiticae, in qua גַּרְגַּר, tam Hebraice, quam Chaldaice, est *bacca*, *granum*, vel *acinus*, Arabice جِرْجِر, *faba*, uti جَرْجَر, *mola lapidea*, quae omnia descendunt a *volvendi*, *circumvolvendi* notione, ut ostendit Chald. גַּלְגַּל, quod idem est ac גַּרְגַּר. Hujus simplex est גֵּרָה, quod primum *granum* notat, dein ut nostrum *grein*, de minutissimo pondere usurpatur. Jam quemadmodum pro גַּלְגַּל Syriace dicitur ܓܝܓܠܐ, sic pro גַּרְגַּר, dictum est גִּיגְרָא, et in st. emphat. fem. גִּיגַרְתָּא, ut dubium non sit, quin urbs, vel ab uvis, vel ab olivarum baccis, nomen traxerit. Hanc vero conjecturam nostram egregie tuetur analogia thematis שָׂרַר. Hinc enim primum descendit simplex שֵׂרָה, *catena*, unde Graecum σειρά, dein reduplicatum שַׂרְשְׂרָה, *catena* apud Hebraeos, שַׁלְשֶׁלֶת et שַׁלְשְׁלָה apud Chaldaeos, et سلسلة apud Arabes. Ut ab hoc descendit ܫܫܠܬܐ, sic ab illo ortum esse שִׁישְׁרָא et שִׁישַׁרְתָּא, ostendunt nomen pp. סִיסְרָא, et Syr. ܣܝܣܪܐ, *acies exercitus*, pp. *catena*, *concatenatio;* sive acies metaphorice comparetur cum catena, cujus singuli milites tamquam

 an-

annuli sunt, sive revera antiquitus mos obtinuerit militum agmina catenis, vel funibus, firmandi. Cimbros ut taceam, quos adversus Marium pugnantes hoc fecisse proditum est, luculentum hac de re testimonium nobis praebet Pseudo-Wakidaeus in فتوح الشام, p. 150, ubi de Graecis apud Yarmoukum pugnantibus sermo est, واقترن كل عشرة ملهم في سلسلة إلتماسا للحفظ حتي لا يفروا, *singulae decuriae eorum catena conjunctae erant, fugae evitandae studio.* Significationem *catenae* in voce סִיסְרָא, vel שִׂישְׂרָא, confirmat etiam comparatio fluminis *Sisaris* in Mauretania Caesariensi et paludis *Sisara* in Numidia, quae ambo a sinuoso flexu nomen traxisse videntur. Vide tamen Bochart. in *Canaän* L. I. c. 24, p. 484 sq. Quo fit ut سُلْسُل etiam et سلاسل fluviorum, vel torrentum, nomina pp. sint. Sic teste Lex. Geogr. سلسل est amnis in via Khorasanae, cui culta regio adjacet, haud procul Bagdado: et سلاسل aqua in terra Djodsam, unde expeditio quaedam Mohammedis غزوة ذات السلاسل appellatur. Eodem pertinet fluminis Mauretaniae Caesariensis, a Shawio T. I. p. 42 memorati, nomen hodieque usurpatum *Susellim*, quod Chaldaismo proximum est; Chaldaei enim שׁוּשְׁלָה, pro שַׁלְשֶׁלֶת usurpavere. Pluralem tamen masculinum, quem in hoc nomine cernimus, nec in ista dialecto, nec in reliquis reperimus. Ex ejusdem denique analogiae legibus explicanda censeo nomina urbium Byzacii et Zeugitanae *Sarsura* et *Sasura*, quorum illud mihi est שַׂרְשׁוּרָה, hoc שְׁשׁוּרָה, *catena*, sive ex continua serie aedificiorum, sive aliunde hoc nomen traxerint. Illud monendum *Sarsuram* ita dici potuisse ex continuata serie collium, cui subjacuisse videtur. Cf. Shaw. T. I. p. 194.

Gilba vide *Galybe*.

Gilda, urbs Tingitanae, cujus nomen derivari quidem poterit, vel a גלד, ut coll. Arab. جَلَد, *terra dura*, a soli natura dicta sit, vel a חלד, ut nomen חֻלְדָּה scribatur et *perennitatem* significet. Quod cum minus verosimile sit, hic forte eadem obtinet permutatio, quam in חֵלֶב nomine virili Hebraico cernimus, quod etiam חֵלֶד scribitur. Sic igitur haud differat a *Gilba* et *Gilva*, de quibus in *Galybe* egimus.

Gilva. Vide *Galybe*.

Girgiris, mons Libyae versus Cinyphi fontes. Ex iis quae paullo ante in voce *Gigarta* diximus, satis constat, eum vel a rotunda verticis forma, vel ab olivarum

rum uvarumque baccis גרגר dici potuisse. Certius est has originem dedisse nomini urbis Syrticae

Girgis, cum in vicinia jaceant loca, quorum nomina pariter ad olivarum vitiumve cultum spectent. In his est *Pontezita*, vel *Zitha*, quod vide inferius, et

Giti, vel *Gitti*, quod procul dubio adjectivum est גִּתִּי, a גַּת, *torcular*, ut supplendum sit subst. מָקוֹם, *locus*, vel חֵלֶק, *ager*, nisi ipsum illud sit גַּת, quod Philistaeorum urbes enumerans *Ant. Jud.* L. VI. c. 1, p. 312, et alibi passim, Γέττη, item Γίττα, vel Γέττα, extulit Josephus. Sola scriptione Graeca, non item Orientali, differt nomen Γύττη, quod loci est ad Oceani litus extra fretum Herculeum siti.

Hedaphtha, regionis Syrticae urbs. An fuit עֲרְפְּתָא in st. emph. ab abs. עֲרֶפֶת, *abundantia*, inf. verbi עָרַף, *abundantem esse?*

Herpis, oppidum Mauretaniae Tingitanae. An fuit עַרְבִּי, *occidentalis?*

Hyle, urbs Cypri, cujus nomen si Orientale sit, pronuntiari poterit הָעֵלִי, i. e. *altus*, nempe *locus*. Sed mihi longe verosimilius videtur, hanc Graecam nominis Cyprii, vel Phoenicii, versionem esse, et Meursium aliosque Geographos, praeeunte Stephano, perperam ex uno oppido tria fecisse, et distinxisse inter Hylen, Curium, vel Curiadem, et Erysthiam. Nam primum Strabo L. XIV. p. 683, Plinius *Hist. Nat.* L. V. c. 35, Hieronymus in *Vita Hilarionis Mon.* T. IV. P. II, p. 89, Ptolemaeus denique solam *Curium* memorant, vel *Curiadem*, adstipulante Herodoto, qui L. V. c. 113 incolas Κυριέας vocat; Dionysius Bassaricorum poëta solus nominat *Erysthiam*. Vide Steph. in v. Ἐρύσθεια, cui fortasse soli notitiam urbis *Hyles* debemus. Utrum enim huc referenda sint verba Scholiastae Lycophronis ad vs. 448, "Ὕλη γάρ ἐστι περὶ τὸ Κούριον (sic enim legendum esse jam supra observavimus) τόπον τῆς Κύπρου, ἱερὰ Ἀπόλλωνος, ἀφ' ἧς Ὑλάτην τὸν θεὸν προσαγορεύουσι, vehementer dubito, etsi Meursius ita sentiat in Cypro L. I. c. 12. Videtur potius ὕλη appellative de *sylva* isto loco sumendum esse, ut verus situs urbis Hyles inde non elucescat. Cum tamen Stephanus v. Ὕλη nomen Hylatae Apollinis ab ista urbe repetat, Scholiastes autem primariam illius Dei religionem apud Curium collocet, tum Strabo etiam l. l. urbi Curio adjungat promontorium, unde praecipitari solebant, qui Apollinis aram attigissent, et nomen denique oppidi, si, quod faciendum puto, duce Plinio *Curias* efferatur, respondeat Hebraeo חֹרֶשׁ, *sylva*, ut supra jam observatum est p. 104, haec eo conspirare videntur, ut *Hyle* et *Curias* eadem sit. Jam Erysthiae quo-

quoque nomen pariter, teste Stephano, Apollinis Hylatae religione nobilis, itidem ad *sylvae* significationem referri posse supra demonstratum est p. 94, et probabiliter חרשת, (vel, si mavis, חרשתיה), pronuntiandum esse, quod flexu, non origine, a חרש, i. e. *Curias*, differat. Quod si qui sint, qui objiciant plures urbes esse potuisse synonymas, et Apollinis Hylatae religiones ad alias quoque urbis Cypri pertinuisse, ut Tembrum et Amamassam, his respondeo, Erysthiam et Hylen, non soli Stephano notas fuisse futuras, sed Straboni etiam et reliquis Geographis, si a Curiade diversae fuissent. In hoc uno adhuc haeremus, utrum promontorio urbi vicino sit nomen *Curias*, an *Curium*. Quos laudavimus omnes praeferunt *Curias*, nisi ad promontorium, non ad urbem referas locum Schol. Lycophronis, non πόλιν, sed τόπον memorantis. Unus adest Servius ad Aeneid. L. III. vs. 111, qui Cypri montem aeris feracem *Corium* citet, ubi bene *Curium* repositum a Meursio. Tum igitur, ut ante diximus, v. *Coronea*, significaret *cavernosum*, (i. e. חרי), et mons illud nomen accepisset a fodinis et excavationibus, aeris extrahendi caussa factis. Nec *Curias* nomen, ut ante diximus, p. 104, a μεταλλουργίᾳ alienum, etsi aequo jure ad sylvam designandam spectare possit, et Apollinis Hylatae religionem, quam tamen Strabo potius diverso loco collocat. Nam primum Amathunte progressus inter alia Curiadem nominat, hinc Curium oppidum, et statim postea promontorium, e quo illos praecipitarent, qui aram Apollinis (Hylatae) attigissent. Inter hoc igitur, quod procul dubio non differt a Φρουρίου ἄκρου Ptolemaei, et Curium vel Curiadem promontorium, media urbs interjacebat. Quid vero de tota ista religione Apollinis Hylatae aestimandum, quae in aliis etiam Cypri locis vigebat, ut Tembri, item Amamassae, ubi Veneris simul cultus floruit? Vide Meursium I. I. L. I. c. 7, p. m. 20. Habuitne igitur revera nomen a *luco*, quasi ista res huic Deo peculiaris esset, non omnibus communis? Hoc neutiquam verosimile. Me judice etiam hic latet nomen illud celebratum חרם, Baälis-Solis, cum Venere, sive Astarta, Amamassae conjuncti, quod subinde, ut supra ostensum, p. 72, חרם, vel חרש, et quidni in alia quoque participii forma חרם, vel חרש? exaratum est, et inter alia Deum significabat μεταλλουργόν. (Vide ibidem disputata). Ex quo perspicitur quomodo illud cum חרש, *Sylva*, confundi et falso Ὑλάτης explicari potuerit, et simul manifestum est, cur Deus hoc nomine cultus sit in loco aerifodinis nobili. Quod vero et superiorem istam disputationem de חרם nomine solis sacro, et praesen-

sentem de ejusdem nominis in insula Cypro vestigiis luculenter confirmat, Etym. M. p. 516. vs. 16, docet Κίρρις Adonidis titulum fuisse apud Cyprios. Jam Κίρρις aperte est חרם, et Adonin *Solem* esse nemo harum rerum peritus dubitat.

Jagath, urbs Tingitanae, instar *Cotes*, et *Gitti* a torcularibus dicta. Nam יגת, est pro יגנת, eademque vox videtur, quae alias per aphaeresin גת efferri solet.

Jarsath, portus Mauretaniae Caesariensis et *Jarzetha* ad Oceanum Atlanticum ambo unam rationem sequuntur. Scriptio Phoenicia ירסת et in st. emph. ירסתא fuisse videtur. Mihi radix est רסה, Arab. رسي, *firmiter stetit ad anchoram navis*, unde مرسي, *portus*. Jod tamen praeposita utrum servilis sit, an radicalis, controversum existimari poterit, cum satis certa exempla vocum femininarum a litera Jod servili incipientium deficiant. Nam voces ירמות, ירימות et ירמות non minus apte derivari possunt a ירם, Arab. ورم, quam a רום et רמה. Quapropter ירסת, aut nomen simplex est formae פקרת, a them. ירם, synonym. τοῦ רמה, aut nomen auctum et contractum ex ירסאת a רסא, vel רסה. Utrique formae *portus* significationem tribuendam censeo.

Idicra, oppidum Numidiae, cujus nomen manifeste cognatum est *Idicarae* Babyloniae et *Adicarae* Arabiae desertae, quam nisi Ptolemaeus ad sinum Persicum collocasset, statim de Wadil-Kora (وادي القري) cogitarem, ad septentrionem Medinae sitam. Ergo equidem ἐπέχω, etsi Arabiae geographia tam parum Ptolemaeo cognita fuerit, ut in immanem istum errorem eum incidere potuisse vix mireris. Hoc certius, *Id* ex Syriasmo, *Ad* ex Samaritanismo et Aethiopismo, idem esse ac יד, quod inter alia etiam *locum* notet: atque igitur יד הקרה (يد القري) altera voce ex Arabismo collective sumta, esse posse *tractum vicorum*.

Igilgili, Mauretaniae Caesariensis oppidum, etiam *Gilgilis*, manifesto est גלגל, vel הגלגל, *rotundus*, *circulus*, *circuitus*, *rota aquaria*, *turbo* etc. quod nomen in Palaestina celebratissimum est, et latet etiam in Cyprio *Golgos*, ut Bochartus jam viderat.

Jol, caput Mauretaniae Caesariensis. An fuit יעל, inf. a יעל, *utilem esse*, *prodesse*, ut urbem designet in regione uberrima sitam?

Jomnium, municipium Mauretaniae Caesariensis. Nominis explicationem ducimus

mus ex comparatione oppidi Philistaei *Jamnia*, sive *Jamnea*, et sive hujus metropolis fuerit, sive minus, aperte idem nomen habet. Hebraice sonat יַבְנֶה, quod descendit a בָּנָה, et formam habet participii Aoristi II, sive futuri in Hiphil. Quod ad vocis potestatem attinet, sane assensum retinere malim, quam Gesenio duce (*Lehrgeb.* p. 501) explicare: *qui aedificari curat*, (*der aufbauen lässt*), quod urbi ineptum puto. Arabes, teste Lexico Geographico, illud efferunt يُبْنَى, quod et pressius respondet τῷ *Jomnium*, et sensum aptiorem haberet. Sic enim scribendum יִבָּנֶה, ut derivetur ab Hophal et reddatur *substructio*, pp. *exstructum*. Receptam tamen scripturam Hebraeam non tantum tuentur Graeca Ἰαμνία et Ἰάμνεια, sed comparatio quoque vici Galilaei Ἰαμνία, vel Ἰαμνίθ, item, ut videtur, Ἰαμβία apud Ptolemaeum in descriptione Arabiae felicis.

Irath, oppidum Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen accurate respondet nomini urbis Chaldaïcae حِيرَة, ab Arabibus, ut fama est, conditae. Interim nominis ratio obscura est: nec quidquam reperio, quod huc faciat praeter locum Lexici Geographici in v. وقيل سميت الحيرة لان تبعا (l. تبّعا) لما قصد خراسان خلف ضعفة جنده بذلك الموضع وقال لهم حيروا به اي اقيموا. *Fertur ea Hira hanc ob caussam sic appellata esse, quod Tobbaä* (Himyaritarum Rex) *cum Khorasanam peteret, eo loco milites suos infirmos reliquerit, iisque dixerit: hic* حيروا, i. e. *manete.* Fabula haec est, sed ex ea discimus tamen notionem *commorandi*, omnibus, quae vidi, Lexicis ignotam, ex qua حيرة, vel *Irath*, *mansionem* significet.

Labdia. Vide *Leptis.*

Lagnutum, urbs Mauretaniae Caesariensis. Nomen exemplum nobis offerre videtur articuli *al* inversi et mutati in *la*, de qua re nos dubitare non sinit aliud et certius exemplum *Lamasba*, de quo paullo post videbimus. *Gnutum* mihi est חֲנוֹת, *castra.* Sunt autem in eodem circiter terrae tractu alia quoque loca, quae a castris nomen duxere. Sic *castra Puerorum* et *castra Germanorum* ibi memorantur.

Lamasba, et *Lamasbua*, oppidum Numidiae. Nomen compositum ex art. et מַסְבֵּעַ, vel מִסְבּוּעַ, quod significat *locum feris*, vel *leonibus*, *frequentem*, Arabice مَسْبَع a سَبُع, *leo.* In eodem fere Numidiae tractu jacet

Lambese, quae ab eadem caussa nomen traxit. Nempe العنبسة est inter leonis Arabica nomina. Synonyma est לַיִשׁ, *leo*, urbs Danitica. In utroque nomine supplen-

plendum est בית, quod additur in בית לבאות, *domus leaenarum*, quae urbs Simeonitica est. Cf *Lissa.*

Lamida, urbs Mauretaniae Caesariensis. Vera scriptio mihi videtur esse אלאמיד, i. e. *terminalis.* Comparetur nomen urbis Mesopotamicae *Amida*, quod, ut puto, Syri recte ܐܡܝܕ efferunt, vel potius ܐܡܝܕ, quae participia sunt verbi أمد, unde apud Arabes est أمد, *terminus.* Eadem ratione L articuli loco praeposita est in nominibus *Lares*, *Lathon*, *Ledrum* etc.

Lapethus. Cf. *Leptis.*

Lares, oppidum Numidiae, cujus nomen quam arcte cohaereat cum Arab. العريش, unicuique in oculos incurrit. Illud العريش, quod *tabernaculum*, vel *tugurium ligneum*, notat, urbi Syriae et Aegypti confini et Meccae nomen commune fuit, et ut hic *Lares*, sic alias Graece sonat *Larissa*, quae ut multarum Graecarum, ab Orientalibus, ut puto, conditarum, ita Syriacae quoque et Assyriacae urbis fuit appellatio.

Lathon, vel *Lethon*, semel etiam *Ladon*, flumen Cyrenaicae in luci sacri vicinia, qui fortasse Adonidi dicatus erat. Nam *Ladon*, quae scribendi ratio mihi prae caeteris placeret, est אלאדון, ὁ Ἄδωνις, quod etiam fluminis Phoenicii nomen esse, nemo est qui ignoret. Exstat etiam amnis Ladon in Arcadia, Ismeni pater, (Apollod. *Bibl.* L. III. c. 12. §. 5.) quod Phoeniciam prodit nominis originem. Vide quae superius de *Ismenio*, *Ismeno* et *Ismene* animadvertimus p. 5 sqq.

Laud, fluvius Tingitanae. An fuit לות, hinc לות, *flexus*, *incurvatio*, a לוה, ex potestate Arabica? Cf. *Diur* et *Taluda.*

Laudia. Cf. *Leptis.*

Ledrum, urbs Cypri, alias *Leuteon* dicta. Utriusque vocabuli eadem fere ratio esse videtur. Nam illud respondet τῷ אלעדר, i. e. *grex*, hoc τῷ אלעטן, *gregum pascuum*, quod cum Arab. عطن, *locus ad aquam*, *ubi congregantur et recumbunt greges*, componendum et semel servatum est Job. c. XXI. vs. 24.

Leptis, nomen duarum urbium Africae notissimarum, quod affine est vocibus *Labdia*, vel, quae mollior pronuntiatio est, *Laudia*, et *Lapethus*, quorum illud est urbis Mauretaniae Caesariensis, hoc Cypriae. Senserat jam Bochartus cognationem aliquam intercedere inter Lapethum et Leptin, sed parum apte utrumque retulit ad Arab. لبث, *cunctatus est*, ut לבת scilicet *navium stationem* notet. Nobis

probabile videtur hic contractionem obtinere et לְבַת, vel לְבַת, sic enim scribimus, ortum esse ex לְבָנַת, i. e. *albedo*, vel *alba*, quod nomen multis locis commune fuit. Exemplorum copiam vide apud Simonem in *Onom. V. T.* p. 171, ad voces לְבָנָה et לִבְנַת, quae urbium Palaestinensium sunt nomina. Hoc igitur לְבַת est *Leptis*, illius status emphaticus לְבַתָּא, peperit *Lapethus*, adjectivum pp. sonabat לְבָתִי, at si, nominis origine obliterata, Tau feminina radicalis habita fuit, sicuti factum in דֶּלֶת et aliis compluribus vocibus, potuit inde formari לַבְתִּי, s. לַבְתִּיָה, scilicet עִיר, i e. *Labdia*. Ab eodem לִבְנַת, vel ex vicino לְבָנָה, *alba*, quod per ellipsin vocis אֶבֶן, *laterem* notat, similiter descendit Nun servatâ emphat. לִבְנְתָא; hinc *Lebinthus*, Sporadum insularum una. Viderat postremum hoc Bochartus *Canaän* L. I. c 7, p. 376.

Leucolla, portus Cypri, a forma sic dictus. Dubium tamen mihi est utrum אַלְעֲקוּלָה, vel אַלְעֲקֻדָּה, *incurva*, an אַלְעֲגֻלָּה, *rotunda*, efferendum sit.

Limenia, urbs Cypri mediterranea. An fuit לְאֹם עֵנַיָּא, *conjunctio fontium?* Cf. Arab. لَأَمَ, *conjuncta fuit res et apta rei*, *congruit*, hinc لِيَمٌ, *consensus*, et לְאֹם, *populus*. Si anomaliam non refugias articuli nomini regenti praepositi, Hebraeis quoque non ignotam (Gesen. in *Lehrgeb.* p. 657 sq.), explicare etiam poteris אַלְאֵם עֵנַיָּא, *mater fontium*.

Lissa, *Lix*, *Lixa* oppidum, et *Lixus*, flumen Mauretaniae Tingitanae ad Oceanum. Videtur hoc nomen comparandum cum לַיִשׁ, quod supra jam attigimus in *Lambesa*. Hoc in statu emphat. sonaret לַיְשָׁא, vel לִישָׁא. Ejusdem nominis et urbem et flumen in Phoenicia fuisse ostendit Leontis oppidum, a Plinio et aliis memoratum, et Λέων ποταμὸς ipsi vicinus apud Ptolemaeum occurrens.

Macomades, trium locorum Africanorum nomen, Syrticae, Byzacii et Numidiae. Macomades Byzacena etiam *Macodama* appellatur a Ptolemaeo, quod ex literarum transpositione ortum et corruptum est: Syrticam vero *Macomada* vocat Tab. Peutinger., quod non plane repudiem. Nam *Macomades* מְקוֹם חָדָשׁ apud Afros sonuisse videtur, uti *Macomada* מְקוֹם חֲדַת, ex Syriasmo, ad normam vocis *Carthada*, quod, Solino teste, Carthaginis nomen fuit, pro קֶרֶת חֲדָתָה. Eadem inter Hebraismum et Syriasmum variatio est, in duabus Judae urbibus, quarum altera

Jos.

Jos. c. XV. vs. 25, appellatur חֲצוֹר חֲדַתָּה, altera vs. 37, חֲדָשָׁה. Vide Simonis *Onom. V, T.* p. 99, alia loca synonyma recensentem, quibus ex Arabum Geographia addi possunt urbes الحديثة appellatae quatuor, quarum prima est حديثة الموصل, n orientali ripa Tigridis, et Iracae limite, altera حديثة النورة, Ambarae et Hitae (هيت) vicina et castellum habens in medio Euphrate munitissimum, tertia حديثة العرس, in valle Damascena Algoutha, quarta simpliciter dicta الحديثة, et incerti situs. His adde الحدث, (Syr. ܚܕܬ, Bar-Hebr. p. 133 sq. 159), castellum inter Melitenen, Samosatam et Marascham, الحدثة, vallem Hudeilitarum et Kenanitarum, et forte حدس, locum in Syria.

Macuma, locus extremus Syrtis majoris. Vox *stationem* notat, vel *diversorium*, ex potestate Arabici مقام. Forma Syra est emphat. מְקוּמָא, vel ܡܩܘܡܐ.

Madarsuma et *Madassuma*, urbs provinciae Byzacenae (Vide *Itiner. Anton.* p. 48 sq.), omissa a Cellario. Est composita vox prior ex מְדֹר, pro מָדוֹר, *habitaculum*, et שׁוֹמֵה forma Pohal a שָׁמָה, *altus fuit*, instar שׁוֹלֵל. Possis etiam comparare Arabica سمو, *altitudo*, et سماة, quod habetur quidem pl. fr. vocis سام, *altus*, sed revera est Inf. formae فعلة, vel nomen participale, significans *id quod altum est*, ut قعدة, *sedens*, et alia. Altera *Madassuma* videtur esse מוֹעֵד הַשּׁוֹמָה, *locus conventus excelsus*.

Madaura, urbs Numidiae, patria Appuleji. Si sit eadem ac *Madurus* Ptolemaei, equidem verosimile putem veram scriptionem esse מְדוּרָא. Vox plane Chaldaica foret in st. emph. et *mansionem* notaret, quo sensu hodieque superest מָדוֹר. Syri illud ignorant, si haberent, pronuntiaturi *Medauro* ܡܕܘܪܐ. Res vero magnam partem ex eo pendet, utrum *Oppidum Materense*, a solo Plinio L. V. c. 4 memoratum a Madaura, et Maduro differat, an minus. Affirmavit hoc Harduinus, eo argumento nixus, quod Madaura in Numidia, oppidum Materense in Zeugitana jaceat. Sed hoc inane est. Plinius enim l. l. oppida enumerat cis Ampsagam, i. e. in Numidia et in Provincia veteri sita. Nec meliore fundamento nititur Shawius pro eadem sententia pugnans T. I. p. 149. Utitur enim loco Augustini *Confess.* L. II. c. 3, qui Thagaste natus, primum se in *vicina urbe* Madauris literarum et artis oratoriae elementa didicisse, dein *longinquioris apud Carthaginem peregrinationis sumtus praeparatos fuisse* dicit, quae verba in oppidum Materense, si illud

 sit

sit hodiernum Matter, ad lacum Sisaram situm, nec tanto intervallo a Carthagine remotum, vix quadrare videatur. Quis vero nescit *longinquam peregrinationem* etiam esse posse *diuturnam*, non minus quam *remotam?* Quamobrem facile admittam hoc a Madaura, vel Madauris, non differre. Cum vero Matter fertilissima planitie circumdata sit, optime conveniret in eam nomen מעתר, vel *locus abundantiae et divitis proventus*, ab Aramaeo עתר, pro עשר, unde apud Hebraeos superest עתרת, *abundantia*, vel participium in Hiphil ab eodem verbo, ut esset *ditescere faciens*, *abundantiam praebens*, scil. *locus*, vel *mansio*. At haec si probentur, etiam *Madaurus* et *Madaura* ab eadem radice repetenda videntur, T in D mutata, vel scribendum מערדה ex explicandum de *loco culto*, *arabili*, cum ܡܪܕܐ apud Syros sit nomen *vomeris*. Potest vero etiam מעדרה de *gregum caulibus et stabulis* accipi, ut sit synonymum τοῦ *Ammedara*, quod vide superius suo loco.

Magura, oppidum interioris Libyae, a spelunca dictum fuisse censeo, Arab. مغارة, Hebr. מערה, quod nomen loci esse videtur Jos. c. XIII. vs. 4.

Malacath, oppidum Melanogetulorum, manifesto Semitici nominis, quod Arab. ملكة, i. e. *possessio*, Hebr. מלאכה, esse conjicio.

Malethubalus, mons Mauretaniae Caesariensis, a Cellario omissus et apud Ptolemaeum occurrens, cujus nomen sine ulla dubitatione Hebraice sonat מעלת הבעל, *adscensus*, vel *clivus Baälis*, i. e. *altissimus*.

Malum, urbs Cypri, videtur esse מעלי, *locus altus*, *adscensus*, *clivus*.

Malva. Vide *Chylemath*.

Mampsarus, mons Zeugitanae, dictus, ut puto, מבצר, *munimentum*, quod sive natura, sive arte, munitus esset, et superatu difficilis. Litera M inserta est, sicuti in *Memphis* et *Moph*, et in *Membressa*, pro *Mebressa*, quod vide inferius. Vocalis eadem variatio est in Μάψαρ Τύρου, quod pro מבצר צר Alexandrini scribunt II Sam. c. XXIV. vs. 7, et *Mapsara* quod, testibus Eusebio et Hieronymo in Libro *de situ et nominibus locorum Hebb.* (T. II. *Opp. Hieron.* p. m. 462), ad Petrae ditionem pertinet.

Mandracium, nomen portus Carthaginis Romanae, quod memorat Procopius *de Bello Vand.* L. I. c. 20, p. 223. Graecum, vel Latinum, vocabulum vix esse poterit: nam μανδράκιον, diminitivum a μάνδρα, *stabulum*, vel *claustrum*, huc nemo re-

referet. Ego certe de Orientali vocis origine non dubito, etsi mihi admodum difficile dictu videatur, quaenam sit explicatio maxime probabilis. Si simplex sit vocabulum, necessario cogitandum erit de forma participiali Sp. VII Arabicae, sive Niphal Hebraeorum, et de verbo דרג, vel درج, eum verba דרח et דרך nullam aptam notionem offerant. At haud ineptum foret part. مندرج, i. e. *comprehendens*, *continens*, scil. aquas, (Belg. *kom*, Germ. *Wasserbehalter*), ut respondeat Hebraico מִקְוֶה. Si composita vox sit, ejusdem verbi דרג derivatum forte in censum venire poterit, ut tota vox sonet מָעֹן דרג, *refugium portus*, pp. *scalae*, vel *gradus*. Vox *scala*, quam hodieque Itali et Graeci de *portu* usurpant, uti Gallo-Franci *échelle* de portubus Maris Aegei aliisque in Oriente sitis, quando primum hoc usu frequentari coeperit, nescimus: synonymum vero *gradus* jam *portus* notione posuisse volunt Valerium Maximum L. III. c. 6. *Publ. Scipio*, *cum in Sicilia*, *augendo trajiciendoque in Africam exercitu opportunum quaerendo gradum*, *Carthaginis ruinam animo volveret.* Quod ego prudens in medio relinquam, de *scala* et *gradus* autem hac notione positis, praeter glossaria Du Cangii et Carpentierii, item Meursii, conferri velim notas Cangianas ad Alexiadem p. 312 sqq. De origine notionis sic censeo, loca illa sic dicta esse, quod ibi escensus esset in litus, et per gradus maxime, (nostrates *stijger* appellant) ad quos naves appellere solent. Quodsi certis exemplis mihi constaret, ut Graecis et Latinis medii aevi, ita Orientalibus hanc loquendi formam placuisse, eam explicationem reliquis praeferrem. Nunc adhuc ἐπέχω, praesertim cum aliae rationes supersint, si terminatio ad ipsam vocem pertinere existimetur. Posset enim efferri מָעֹן דארחים, *refugium hospitum*, vel מחנת ארחים, *portus*, vel *statio hospitum*, vel *peregrinorum*, quod parum abest quin prae caeteris placeat. Nam primum מַחֲנֶה, vel fem. מחנה, Hebraeis in solo plurali מַחֲנֹת servatum, apud Poenos usurpatum fuisse, nummi ostendunt, a Koppio post Barthelemyum recte Panormo tributi (*Bild. und Schr. der Vorz.* T. II. p. 189 sqq.), in quibus מַחֲנֹת est pluralis intensivus, et *magnum portum* designat, a Graecis non male redditus πάνορμος, et comparandus cum בהמות, *magnum animal*. Quod si statuere mavis etiam Phoenicibus in singulari placuisse מחנה, nihil prohibet quominus pronunties מַחְנֶה דארחים, quod quam apte respondeat τῷ *Mandracium*, ex comparatione Graecae versionis Alexandrinorum perspicies, in qua Jos. c. XIII. vs. 26 et 30, c. XXI. vs. 34, II Sam.

 c.

c. II. vs. 8, 12, 29, c. XVII. vs. 24, 27, I Reg. c. IV. vs. 14, מַחֲנַיִם urbis nomen, Μαὶν, Μαναΐμ, Μαναίμ, Μαναείμ redditur, Cheth semper neglecta. Jam vide quam prope *Manedarechim* accedat ad *Mandracium.* Chaldaismus post tot illius exempla neminem offendet. Praetulimus autem punctationem Aramaeam אַרְחִים Hebraeae אֹרְחִים, vel אֹרָחִים, ut scriptioni Μανδράκων propiorem.

Maranthis, vicus Cyrenaicae, cujus nomen scribendum arbitror מַאֲרֶנֶת, i. e. *locus arborum specie abundans*, *quae* אֹרֶן *appellatur*, quaecumque tandem sit, *ornus*, aut *frutex*, ab Arabibus اران vocata. Erit igitur nomen locale, ad normam Arabici مَأْسَدَةٌ et aliorum, quod superest etiam in

Marathus, urbe Phoeniciae, cujus verum nomen in nummis servatum non מרתע, ut Koppio visum, sed מרת esse Gesenius in operis Mionnetiani censura recte ostendit. Hoc autem מרת vix comparari poterit cum מָרָה, *amara*, loco deserti, ab amaris aquis sic dicto. Nam in isto tractu litorali magna bonae aquae fluminumque copia est et in ipsa vicinia urbis est fons egregius, *serpentis scaturigo* dictus. Cf. Maundrell p. 32 *vers. Gall.* et Shaw. T. II. p. 9. Ergo malim statuere vocem מָרַת per Syriasmum contractam esse ex מַאֲרַת, hoc autem ortum ex מַאֲרֶנֶת, qua ratione מַתַּת ex מַתֶּנֶת exstitit et לֶבֶת ex לְבֶנֶת factum esse supra diximus.

Marazana, urbs Byzacii, sic dicta, ut videtur, quod in montis cacumine sita esset. Habemus inter urbes tribus Judae munitas *Marescham*, מָרֵאשָׁה, Graece Μαρησά, Μαρισὰ et Μαρισσά. Videtur illa vox significare *locum capitis*, hinc *cacumen.* Ab ejus masculino מָרֵאשׁ formari potuit adject. מָרֵאשָׁן, fem. מָרֵאשָׁנָה, scil. עִיר, i. e. *urbs in cacumine sita.*

Margarum. Vide *Naraggara*,

Masadalis, locus Marmaricae, sive Cyrenaicae. Aperte est מְצַד עֶלִי, *arx montana*, *alta:* vel, quod eodem redit מִצְעַד אֵל, *adscensus*, vel *clivus Dei*, i. e. *altus*, ut plane synonymum sit τῷ *Malethubalus.*

Mascula, urbs Numidiae, cujus nomen מִשְׁכּוֹלָה sonat *locus uvarum*, sive contractum sit ex מַאֲשְׁכּוֹלָה, et derivatum ab אֶשְׁכּוֹל, sive repetatur a deperdito שְׁכוֹל, quod non differt a Chald. סְגוֹל, et Syr. ܣܓܘܠܐ, *botrus.* Eandem significationem ha-

habere videntur nomina *Maxala* et *Maxula*, quorum illud oppidi interioris Africae, hoc duarum urbium Zeugitanae nomen est.

Masitholus, fluvius exterioris Africae, in Oceanum Atlanticum se effundens. Nomen Hebraicum est מַשְׂאַת אֵל, i. e. *donum Dei*. Ejusdem est rationis nomen *Muthal* inferius explicandum et sequens

Massa, quod pariter *donum* notat: haec enim una ex pluribus significatio est Hebraei מַשָּׂא.

Masuchis, urbs Marmaricae interioris. An fuit מְסוּכָה, *septa*, *munita*, coll. Syr. ܣܝܓ, Chald. סְיַג et Hebr. סוּג, vel שׂוּג, *sepire*.

Maxala et *Maxula*. Vide *Mascula*.

Mediccara, oppidum Zeugitanae. An fuit מוֹעֵד הַקְּרִי, Arab. موعد القري, *conventus*, vel *locus conventus pagorum*, vel מְעַד הַקְּרִי, Arab. معاد القري, quod *locum quo solenniter se conferunt pagani*, significare possit?

Meïonis, nomen Cypri, ut *Miones* Cypriorum. Ortum esse potuit ex colonia τῶν מְעוּנִים, quam tribum ab austro Palaestinae habitasse ex I Chr. c. IV. vs. 41 constat, ubi a Simeonitis Hiskiae tempore sedibus exterminati esse feruntur. Vide et Jud. c. X. vs. 12, II Chr. c. XXVI. vs. 7, et Gr. vers. II Chron. c. XX. vs. 1, ubi appellantur Μιναῖοι, qua voce Graeci reddere solent מְעוּנִים, vel potius מְעִינִים, quod in Kethib legitur I Chron. c. IV. vs. 41. Num ab his antiquis colonis, ut Gaza, quam *Minoam* appellatam testatur Stephanus, ut Gaza igitur מְעִינָאָה Chaldaico more, a masc. מְעִינִי, ita Cyprus Hebraice מְעוּנִית, scil. אֶרֶץ, dicta est? Gazam, et urbem ipsi vicinam, quae Μινῴα, vel Μινῷα, vel Μινωΐς, dicta sit, a Μιναίοις, vel מְעִינִים nomen traxisse, hoc etiam verosimile facit, quod eosdem verso nomine Μινωΐτας appellare videatur Steph. in Μινῴα.

Meldita, urbs Zeugitanae haud procul Hippone. Verum nomen fuisse videtur מֵילְדִיתָא, quod potest esse nomen femin. *generatio*, in statu emph. descendens a מֵילַד, quod aequo jure ac מוֹלֵד, part. fuit Chald. in Aphel a ילד et origine non minus, quam significatione, accurate conspirat cum nominibus תּוֹלֵד et תּוֹלַת, quae superiore dissertatione nostra Poenis vindicavimus. Quemadmodum igitur Tholad et Molada (מוֹלָדָה, Μώλαδα), urbes Simeonitis adjudicatae, a cultu Baälis et Astartes nomen traxere, sic etiam nostra Meldita a Mylittae religione dicta est.

Membressa, urbs distans stadia 350 a Carthagine circa Bagradam. Vide Wessel.

sel. ad *Itiner. Anton.* p. 45. Est nomen locale מִבְרְשָׁה, vel potius מִבְּרֹשָׁה; nam *Membrasa* quoque inter alia scribitur, i. e. *pinetum.* Quippe בְּרוֹשׁ est *pinus.* Litera M inserta est sicuti in *Mampsarus.*

Membro, locus a Cellario omissus et in *Itiner. Anton.* p. 22 memoratus, sex millia passuum ab Utica aberat. Mira est hujus nominis conspiratio cum *Mamre* (מַמְרֵא) loco circa Hebronem notissimo, ubi Abrahamus magnam vitae partem transegit, quem Alexandrinus et Vulgatus, pariter inserta B, Μαμβρῆ, et *Mambre* appellant. Significatio nominis dubia est. Nam מַמְרֵא potest esse nomen locale, ut dicatur a *solo pingui*, vel part. in Hiph. *saginans*, *pabulum praebens amplum.* Nam מְרִיא est *saginatus.* Cum vero Mamre etiam nomen viri sit, vel potius tribus Amorrhaeae, aut Canaäniticae, haec loci appellatio etiam ex deducta colonia oriri potuit.

Meneggere, statio Byzacii inter Sufetulam et Theuesten, a Cellario neglecta. An fuit מְעַן הַגֵּר, *statio*, vel *diversorium peregrinantium*, מְעַן est Arab. معان, Hebr. מָעוֹן, *habitaculum.* Vide *Itiner. Anton.* p. 54.

Metagonium, regio litoralis Mauretaniae, Carthaginensibus parens, quam Strabo L. XVII. p. 827, τόπον ἄνυδρον καὶ λυπρὸν appellavit. Ergo aptum nomen fuerit מַתְּהָעֳנִי, vel contracte מַתְּעָנִי, i. e. *donum miseriae*, vel *calamitatis.* Sic igitur Ain a Graecis hic G pronuntiata fuerit, ut in *Gomorrha* et aliis.

Michera, locus Marmaricae, alias *Helena* dictus. Exstat in *Itiner. Anton.* p. 69, apud Cellarium desideratur. Duo nomina eandem rationem sequuntur. Prius videtur esse מִכְרָה deperditum, a masc. מִכְרֶה, *fossa*, *fodina*, a כָּרָה, *fodere*, coll. כּוּר, unde derivandam censeo vocem ejusdem, ut videtur, potestatis מְכֻרָה, cujus gentile מְכֵרָתִי exstat I Chron. c. XI. vs. 36. Cf. quoque Μαχαιροῦς castellum celebratissimum in confiniis Peraeae. Alterum nomen *Helena* Syriacum esse poterit ܚܠܢܐ, *rima*, *fissura*, *foramen*, quod cum a חלל, *perforare* derivetur, efferri quoque potuit ad scriptionem *Helena* convenientius הֶלֶנָא, ܚܠܢܐ.

Mileum, vel *Milevum*, oppidum Mauretaniae Caesariensis, hodieque ob frugum, fructuumque copiam, aquarumque abundantiam celeberrimum (Shaw. T. I. p. 89) Unde etiam nomen repetitum est מְלֵאָה, *abundantia*, imprimis *frumenti* et *vini.*

Al-

Alterum *Milevum* spectat fortasse Syriacum ܡܠܟܘܬܐ, quod de *plenis copiis* et *opibus* solenne est.

Misua, vel *Missua*, urbs Zeugitanae, vicina promontorio Mercurii, forte a loco edito, ubi sita erat, dicta. Nam מַשּׂוּאָה posset significare *elationem* a נָשָׂא, uti *Nisua*, quae altera scriptio est, נְשׂוּאָה, i. e. *elatum*. Exstat tamen alia derivatio, quae forte naturae locorum aptior sit. Nempe נסע notat *evellere*, *extrahere*, hinc מַסָּע, *locus unde evelluntur lapides*, *latomia:* quod etiam ex linguae legibus significare potuerunt formae נְסוּעָה et מַסּוּעָה, accurate respondentes nominibus *Nisua* et *Missua*. Jam ex Shawio l. l. p. 140, novimus circa ista loca esse latomias vetustas, quae ab ipso nulla de caussa in veteris Aquilariae vicinia collocatae, nobis verum Misuae situm indicare videntur. Confirmat conjecturam Strabo L. XVII. p. 834, καὶ λατομίαι τινὲς καὶ ἐπ' αὐτὴν (l. ἐπ' αὐτῶν cum Casaub.) πόλις ὁμώνυμος, εἶθ' ἡ Ἑρμαία ἄκρα τραχεῖα. Locum, quem Latinus interpres male transposuit, Casaubonus, uti par est, de urbe Latomiis cognomine cepit, laudavitque locum Diodori Siculi L. XX. T. II. p. 410, ubi Agathocles in Africam escensionem fecisse dicitur πρὸς τὰς καλουμένας Λατομίας, ex quibus verbis tamen vix efficias, ibi urbem illius nominis fuisse.

Molochath et *Mulucha*. Vide *Chylemath*.

Musse et *Musti* urbes Byzacii, item *Musta*, Syrticae, unum idemque nomen habere videntur, respondens Hebraeo מֹצָה, quae urbis Benjaminiticae appellatio est, repetita a Pohal verbi מצה, *exprimere humorem*, et orta procul dubio a vindemiis et torcularibus vino exprimendo destinatis.

Muthul, nomen fluminis Numidici, plane synonymum τῷ *Masitholus*. Est enim מת אל; pro מתת אל, *donum Dei*.

Mylychath. Vide *Chylemath*.

Mysocaras, portus Tingitanae, ab aquis nigris et turbidis sic dictus. Videtur enim esse מֵי שַׁחֹרֶת, *aquae nigredinis*, vel מֵי שְׁחֹרָה. Exstat apud Syros vox fere similis ܫܘܚܪܐ, *denigratio*. Thema est שחר, *nigrum esse*, unde שִׁיחוֹר, Nili nomen, Graecis etiam Μέλας dicti, a limosae aquae colore. Eadem ratio est nominis rivuli קִדְרוֹן, a קדר, *turbidum esse*. Caeterum nihil obstat quominus etiam ipsa urbs portui adjacens *Mysocaras* appellata sit, etsi urbis nullam mentionem faciat

Pto-

Ptolemaeus. Sic enim habemus מֵי הַיַּרְקוֹן, *aquae viriditatis*, quod urbis Daniticae nomen est Jos. c. XIX. vs. 46.

Nababurum, oppidum Mauretaniae Caesariensis, quod a soli fertilitate nomen traxit. Est enim נוֹב הַבַּר, *proventus frumenti*. De בַּר, pro בָּר, jam supra vidimus in *Emporia*. Vox נוֹב apud Hebraeos tantum servata in Kethib Jes. c. LVII. vs. 19, ubi Kri habet נִיב, frequentius aliquanto usurpata Chaldaeis, apud Talmudicos in plur. נבי effertur, a deperd. נֵב part. formae קָם, cujus vestigia etiam cernuntur in nostro *Nababurum*.

Nagidus, urbs Ciliciae Tracheae. Si nomen Orientale sit, ut puto, (nam tametsi oppidum a Samiis fundatum esse dicitur, Graecam formam non habet), si igitur Orientale sit: ad literam respondebit Hebr. נָגִיד, *princeps*, *praefectus*, et etiam neutro sensu *nobile*, *honestum*, Prov. c. VIII. vs. 6. Malim tamen conferre Arab. نَجْد, quod de *terra eminenti et patenti* dicitur et hinc multorum locorum nomen pp. est. Est etiam urbs ejusdem nominis in Cypro, si Casauboni emendationem amplectaris, apud Strab. L. XIV. p. 682 pro καθ' ἣν ἦν Ἄγιδος rescribentis καθ' ἣν ἡ Νάγιδος, quam egregie confirmat aliorum locorum Cypri et Ciliciae ὁμωνυμία. Sic utrobique *Soli*, in Cypro *Malus*, in Cilicia *Mallus* est. Haud diversa ratio esse videtur urbis Zeugitanae *Negita*, נגידתא, ut conjicio, appellatae.

Naraggara, nomen oppidi Numidici, flumini, vel fonti, propinqui, ut ex Livio L. XXX. c. 29 constat. Scriptio *Naraggara*, quae imprimis bonam explicationem admittere videatur, ab aliis in *Nadaggara*, ab aliis in *Margarum* mutata est. Si constaret Arab. حَجَر, (coll. أَحْجُر, أَحْجَار, حِجَار, حِجَارَة), *lapis*, in aliis quoque dialectis usurpatum fuisse, haud inepte conferri posset *Naraggara*, i. e. נְהַר הַחֲגָרָה, (نهر الحِجَارَة) cum وادي الحجارة, hodie *Guadalaxara*, quod provinciae et urbis Hispanicae nomen est. Verosimilius existimo hic latere formam veterem נְהַר הֻגָּרָה, *fluvius τῆς καταῤῥήξεως*. Illud הֻגָּרָה mihi est Inf. Speciei Hophal a verbo נגר, *fluere*, *defluere*, ductae, et semel servatae apud Micham c. I. vs. 4, ubi de aquis sermo est ex praecipiti loco defluentibus. Si mavis, possis etiam scribere in Kal הַגָּרָה, ut גָּרָה sit Inf. aphaeresin passus pro נְגֹרָה, quae vox si quando plene exarata fuerit, etiam tueatur scriptionem Ptolemaei *Narangara*, i. e. נְהַר הַנְּגֹרָה.

Na-

Nasamones, populus regionis Syrticae, qui utrum Semiticae stirpis an Libycae sit, nescio, quo fit ut ne de nominis quidem origine certi quidquam definire ausim. At nihilominus admodum probabiliter statui posse existimo illud nomen נשמון apud Phoenices, vel Carthaginenses, sonuisse, et hinc aliquos illud a נשם, *flavit*, repetendum existimasse. Hoc enim intelligitur ex absurda quadam fabula, quam nobis conservavit Herodotus L. IV. c. 173. Νασαμῶσι δὲ, inquit προσόμουροί εισι Ψύλλοι. οὗτοι ἐξαπολώλασι τρόπῳ τοιῷδε. ὁ νότος σφι πνέων ἄνεμος τὰ ἔλυτρα τῶν ὑδάτων ἐξήυηνε· ἡ δὲ χώρη σφι πᾶσα ἐντὸς ἐοῦσα τῆς Σύρτιος, ἦν ἄνυδρος. οἱ δὲ, βουλευσάμενοι, κοινῷ λόγῳ ἐστρατεύοντο ἐπὶ τὸν νότον (λέγω δὲ ταῦτα τὰ λέγουσι Λίβυες) καὶ ἐπεί τε ἐγίνοντο ἐν τῇ ψάμμῳ, πνεύσας ὁ νότος κατέχωσέ σφεας· ἐξαπολομένων δὲ τούτων, ἔχουσι τὴν χώρην οἱ Νασαμῶνες. Herodoti locum, quem de industria integrum descripsi, interpretatione sua sic obscuravit Heerenius *Ideën über die Politik* etc. T. II. Sect. I, p. 52, ed. IV. (Opp. T. XIII). *Der Südwind hätte ihre Brunnen ausgetrocknet; und so fassten sie den Entschluss nach Süden zu ziehn; da sie aber in den Sand kamen, wurden sie von dem Südwind verschüttet.* Tum addit hoc egregie in locorum convenire naturam: nam austrum (Della Cella teste, cujus caeteroquin auctoritate in re notissima opus non erat) austrum igitur saepe totas viatorum catervas sub concitatis pulveris nubibus sepelire. Quod ut non infitior, ita in Herodotea narratione caussam saltem aliquam profectionis, quamvis absurdam, notatam reperio, in Heereniana nullam. Quis enim existimet Psyllos ventis australibus omnia exsiccantibus et comburentibus vexatos, sedibus relictis in ea ipsa loca profectos esse, unde maxima mali vis in ipsos ingruisset? Servemus igitur potius simplicem Herodoti fidem et integritatem, illiusque explicandi viam et rationem aliquam circumspiciamus. Hanc vero nobis offert Plinius *H. N.* L. VII. c. 2. *Haec gens* (Psyllorum) *ipsa quidem*, inquit, *prope internecione sublata est a Nasamonibus, qui nunc eas tenent sedes; genus tamen hominem ex iis qui profugerant, aut, quum pugnatum, abfuerant, hodie remanet in paucis.* Vides hoc Plinium Nasamonibus tribuere, quod Herodotus austro. Sententiarum discrepantia facile in concordiam redigetur, si, quemadmodum ante significavimus, Nasamones נשמונים a Poenis appellati fuerint. Subst. deperd. נשמון, *ventus*, est formae דאבון, a נשם, cujus fem. נשמה, *flatus*, superest, a נשם, *spiravit*, derivatum. Jam Nasamones non tantum litora tenuisse, quae postea demum deletis Psyllis occupasse videntur, sed interiorem quoque regionem incoluisse, atque adeo ab austro Psyllorum habitavisse

 ces;

certum est ex Herodoti testimonio, qui eos ab occidente collocat Auschiseorum supra Barcam sedes habentium, et eos aestate ad Augila adscendisse affirmat, ad palmarum racemos colligendos l. l. c. 172. Hi Nasamones australes forte haud diversi erant a Nigbenis (i. e. נִגְבִּים a נֶגֶב, *meridies*) quos in ipsis his tractibus circa Cinyphum flumen ponit Ptolemaeus. Jam si ab altera parte teneas Nasamones Psyllos delevisse, ab altera vocis נשמונים נגבים, de *ventis australibus* etiam explicari posse, habebis fontem et caussam erroris Herodoti, et simul agnosces, quod haud levis momenti est, ea quae historiae veteris princeps de Libyae gentibus memoriae prodidit, ex parte saltem fluxisse ex Poenorum libris, vel narrationibus. Simplex vero historiae ratio haec est: Nasamones invidia motos et caussam belli quaerentes Psyllorum puteos arena opplevisse, hos majorem irae, quam virium rationem habentes, expeditionem contra Nasamones suscipiendam decrevisse, et cum in eorum regionem pervenissent, ab hostilibus copiis circumventos et internecione caesos esse. Quae res quam facile narrationis formam induere potuerit, ab Herodoto memoriae proditam, jam cuivis in promptu est. Error vel iis debetur, qui in Herodoti gratiam Phoenicum monumenta interpretati sunt, vel quod vero propius existimem, ex traditione fluxit poëtarumque commentis, qui ut universe apud populos stirpis Semiticae lusum in verbis ambiguum amant, ita tanto libentius ludendi et fingendi opportunitatem hic amplexi sunt, quod fabula cum ipsa locorum natura maximopere conjuncta esset.

Nasaba, flumen, quod Jubae regnum Mauretanicum a Romana provincia disterminabat, possit esse נֹשְׁבָה, vel נֹסְבָה, *auferens*, *abripiens*, ut celer cursus et impetus fluminis designetur. Verbum נסב h. s. Aramaeum est. Posset etiam Νασαία Hebraice scribi נְשׂוּאָה, i. e. *quod affertur*, hinc forte *donum*; qua ratione vidimus ante *Massa*, *donum*, et *Masitholus*, *donum Dei*, pariter fluminum esse nomina, ab eadem radice derivata.

Nemebus, urbs Cypri. An verum nomen est נֹעַם בּוֹ, vel נֹעַם בָּהּ, vel, quod pressius etiam respondet נַעֲמָה בָהּ, *gratia*, vel *amoenitas in eo*, aut *ea*. Ambo nomina נֹעַם et נַעֲמָה in appellativis Hebb. deperdita, in propriis servata sunt, illud ut nomen viri, hoc ut mulierum et urbis appellatio.

Nepheris, urbs Byzacii munita et in rupe sita, unde nomen adepta est. Videtur enim ortum ex נִפְרָץ, alias נִפְרָץ, *abruptum*, *abscissum*, *praeruptum*, part. in Niphal a פָּרַץ, *abrupit*.

Ni-

Nisua. Cf. *Misua*.

(*Nuroli*,) Zeugitanae oppidum, quod Hebraicis literis fortasse scribendum est נור עלי, *lux elata*, vel נור אל, *lux dei*.

Oppinum, vel *Opinam*, urbs Mauretaniae Tingitanae. Num fuit חפין, *tutamina*, *munimenta*, a חפף, *tegere*, *tueri*? Eadem vox, sed cum Hebr. terminatione חפים, apud Hebraeos nomen viri est.

Orthosia, urbs Phoenices septentrionalis, quae etsi Graecam formam nominis habere videatur, nihilominus, ne una quidem litera mutata in Hebraicam linguam transferri potest, ut sit אור תושיה, *lux salutis*. (Vide paullo ante *Nouroli*), vel אור תושיה, *urbs*, vel *pagus salutis*, ut אור Indo-germanicum sit, quemadmodum in אור כשדים. Posterius etiam efferri possit עִר תושיה, eodem sensu. Synonymum est مدينة السلام, *urbs pacis*, vel *salutis*, titulus Bagdadi.

Parada, urbs inter Uticam et Thapsum, quam nonnulli haud diversam existimant a *Phara*, memorata Straboni L. XVII. p. 831, cum illam Hirtius, hanc Strabo, a Scipionis equitibus incensam esse narret. Si nominativus sit *Pharas*, (quod ignoramus; nam Strabo accus. Φάρον habet), duarum vocum significatio eadem esse possit: nam *Parada* scribi posset פרדה, i. e. *separata*, *solitaria*, ex neutra potestate verbi Arabici فرد; *Pharas* (vel *Pharax*, quod oppidi regionis Syrticae nomen est) potest descendere a verbo פרש, *separare*, *distinguere*.

Pedaeus. Vid. *Phthia*.

Perdices, oppidum Mauretaniae Caesariensis, et *Pertusa* haud procul Carthagine, idem nomen habere videntur פרדס, i. e. παράδεισος, quod oppido Syriaco quoque proprium fuit.

Pesside, interioris Libyae oppidum, synonymum *Fisidae* Syrticae. Apud Aramaeos פצידא, *fossa*, *rivus*, vel *alveus* est, sic igitur comparari possint urbes חפר et חפרים, a *fossis*, *puteisve* appellatae. Cf. Simon. *Onom*. p. 185 sq.

Phocra, mons Tingitanae, ab ariditate, ut videtur, dictus. Nam ܦܩܪܐ, vel ܦܩܪܐ, est *aridus* et *durus*.

Phthia, portus Marmaricae, vel Cyrenaicae, qui nomen accepisse videtur a latitudine et amplitudine. Nam פתיה potest esse partic. fem. a mascul. פתי a verbo פתה, quod apud Syros maxime valet *latum et amplum esse*. Videndum an ejus-

dem

dem originis sit nomen Phthiae Thessalicae, cujus certe Graecum nomen non est. Quo accedit, quod Homerus Helladem, cujus pars Phthia est, εὐρύχορον (i. e. פְּתוּחָה) appellaverit Iliad. Lib. IX. vs. 474. Vix dubito, quin ejusdem sit originis nomen fluminis Cyprii *Pedaeus*. Respondet Syriacum ܦܬܝܐ, *latus*, si Hebraicis literis et vocalibus efferas פְּתָיָא, admodum accurate Graecae scriptioni Πεδαῖος. Idem forte existimandum de nomine fluvii Mauretaniae Tingitanae

Phthut, i. e. פְּתוּת, ad normam τῶν זְנוּת et aliorum ejusdem generis nominum formato. Sic scribitur in Agathodaemonis tabula, in ipso Ptolemaeo est Θεύθ.

Pinarus, flumen Ciliciae. An fuit פִּי נָהָר, i. e. *os fluvii?*

Pindenissus, oppidum Eleutherocilicum primarium, ex solo Cicerone cognitum. Nomen responderet paene ad literam Arabicis نَدّ النّاس, *conventus hominum*, vel *gentium*. Possit etiam admitti, ut nomen traxerit ab edito loco Tauri, ubi situm erat. Certe نَدّ etiam est *mons magnus*, (quod forte est ipsum Pindi Thessalici nomen), et נִשָּׂא posset esse part. in Niphal a נָשָׂא, ut פִּנְרָא נִשָּׂא, sit *mons elatus*.

Pisidon, portus ad Syrtin parvam. Sunt qui existiment illum non diversum esse a *Fisida*, de cujus nominis significatione supra in *Pesside* actum est. Scriptio *Pisidon* posset explicari פִּי צִידוֹן, *os piscationis*, vel *latus piscationis*.

Pontezita, locus regionis Syrticae, ab olei abundantia appellatus, ut terminatio *Zita*, cum *Zetta* et *Uzita* urbibus Byzacenis comparanda, satis ostendit. Verum nomen esse videtur פְּנוֹת זֵיתָא, *tractus olei*, vel *plaga olei*. Vox פְּנוֹת potest esse plurale fem. illius participii, cujus masc. est פֹּנִים, vel Inf. fem. a פָּנָה, cujus alia forma פְּנִית apud Syros exstat eodem sensu.

Putput, alias *Pudput*, vel *Puppui*, oppidum, vel locus, Zeugitanae, formam habet verbi reduplicati Semitici. E formis, quae sonum fere similem habent, sola huc referri possunt Aeth. פרפר, *abundavit*, et Arab. فضفاض et فضفضة, *ampla et commoda vita* et *vitae commoditas*.

Quina, oppidum Numidiae ad Ampsagam. An fuit קִינָא, *nidus*, in forma emphatica? קֵן dicitur de *habitaculo*, *sede*, ut وَكْر apud Arabes, imprimis vero de *sede alta*, *edita*, quia nidi plerique sublimes sunt. Hinc Bileamus Num. c. XXIV. vs.

vs. 28 ושים בסלע קנך, *et positus est tutus nidus in rupe.* Eadem origo est nominis urbis Syriacae Kinnisrin, i. e. קן נשרין, *nidus aquilarum.* Arabes, qui illud nobis conservarunt, scribunt قنسرين, et قنّسرين; sed posteriorem rationem unice veram esse ostendit nominis explicatio. In omnibus enim dialectis vox est formae פקר.

Quiza, oppidum Numidiae. Nomen esse קְצָה, *terminus*, a masc. קָצֶה, quod Hebraismus servat, verosimile fit ex ipso situ. Nam extrema urbs est Numidiae, cis veterem illius et Mauretaniae terminum Mulucham.

Rubricatus, fluvius Numidiae, quem Bochartus dictum esse existimavit a rubrica, cujus speciem Africanam, vel Carthaginensem, veteres memorant. Nobis magis arridet, ut nomen sit Hebraicum רי ברכות, *irrigatio benedictionum*, vel, posteriore vocabulo ad Chaldaismum accommodato, רי ברכתא.

Rusadir, *Rusaddir* et *Ryssadir*, oppidum et portus Mauretaniae Tingitanae, item apud Afros hodiernos nomen promontorii Mercurii ab oriente Carthaginis. Punice sonabat ראש אדיר, *promontorium*, vel *caput magnum*, quod jam suspicabatur Shawius l. l. T. I. p. 7. Synonymum est

Rusazus, Mauretaniae Caesariensis, i. e. ראש עזיז, vel ex alia forma participii ראש עוזז, quod equidem ad *Aschoune-Monkar*, ubi magnum promontorium est, quaerere malim, haud procul a Nasavae fluminis ostio, quam cum Shawio l. l. p. 72 sq. aliquanto magis ad occidentem apud *Mers al fahm*, ubi nihil ejusmodi cernitur.

Ruscinona, promontorium e regione Carthaginis, memoratum a Livio Lib. XXX. c. 10. Situm recte definivisse videtur Shaw. l. l. p. 128, nomen male explicuisse, quasi esset ראש אנונא, *promontorium farinae*, vel *annonae*. Verior explicatio est ראש שנין, *promontorium acutum*, *acutis rupibus horridum*. Similiter שן est *rupes acuta* Hebraeis, I Sam. c. XIV. vs. 4. Job. c. XXXIX. vs. 28.

Rusconia, *Rusconium*, vel *Rusgonia* et *Rusgunia*. Promontorium et colonia Mauretaniae Caesariensis, quem locum si recte quaesivit Shawius l. l. p. 56, in hodierno Temendfuse ab oriente urbis Al-Djazaïr (sive *Algiers*), ubi terrae in angulum acutum longe in mare excurrunt, si hoc igitur recte fecerit, tenemus forte nominis *Rusguniae*, quae reliquis scribendi rationibus certior est, significationem. Nam ראש גוניא, foret *promontorium anguli*, vel etiam *lapis angula-*

ris,

ris, ex Syriasmo, qui ipsis his vocibus (ܪܫ ܙܘܝܬܐ) ad eam rem significandam utitur Marc. c. XII. vs. 10. Fateor vocem ܙܘܝܬܐ, vel ܙܘܝܐ, multis ex Graeco γωνία ortam esse videri et γῶνος; quo admisso minus probabile sit, vocem illam exoticam in nomine Africano quaerendam esse; at probabilior est contraria ratio, ut voces vere Orientales sint. Alias enim exspectares ܓܘܢܝܬܐ, non ܙܘܝܬܐ, dicendum fuisse: tum et hoc, et alterum ܙܘܝܐ, haud inepte derivari possunt a ܙܘܐ, quod in Kal habet significationem *delitescendi* (ut ex part. pass. ܙܘܝܐ, *occultus*, *abditus*, apparet), in Ethpahhal eâdem, in Aphel *abscondendi*, notione gaudet. Sic igitur a potestate *latibuli*, illa *anguli* orta sit. Porro conjecturam nostram luculenter confirmat synonyma alius promontorii in Byzacio inter Adrumetum et Leptin siti appellatio *Ruspina*, in qua quis tandem non agnoscat ראש פִּנָּה, *caput anguli*? Hoc vero adeo accurate respondet τῷ ܪܫ ܙܘܝܬܐ, ut nihil magis. Nam in Psalm. CXVIII. vs. 22, quem l. l. Marcus respexit, ipsum illud ראש פנה exstat. Quae nominis indubitata explicatio erroris arguit Shawium p. 174, Ruspinam ad collium radicem in ipsa planitie collocantem apud Sahaleel, quae unius milliarii Anglici spatio a litore distat. Decepit Virum Doctissimum in alienum sensum detorta Hirtii narratio. Nam tametsi is (*de bello Africano* c. 9) tradit Ruspinae portum duo millia passuum ab urbe abfuisse, item (c. 20) Caesarem vallum a Ruspina ad mare (i. e. portum) duxisse; inde neutiquam efficitur oppidum a mari fuisse remotius. Si hoc enim, quae mea sententia est, in extremo promontorio vicino, ubi nunc jacet urbs Monastir, quaerendum sit, atque adeo mari imminuerit, facile bina millia passuum interesse potuerunt inter urbem et navium stationem monti subjectam.

Rusibis, portus Tingitanae. An fuit רֵו שֶׁבֶת, *aspectus quietis*, vel potius רְוָח שֶׁבֶת, *amplitudo habitationis*, item *quies* (coll. Arab. رَوْح), *sedis*, i. e. *placida sedes*. Quod *Sibis* dictum sit pro *Sibeth*, vel *Sebeth*, id nemo mirabitur, qui sonos hos admodum vicinos esse meminerit et Schin et Tau solenniter permutari.

Rusicade, promontorium et colonia celebris in sinu Numidico. Nomen aperte est ראש יְקֵדָה, *caput ardoris*, vel *ignis*, i. e. *pharus*. Cf. *Dinaretum*. Posterior pars vocis *Icade*, vel Syriasmum sapit, ex quo Jod initiale scheatum in quietem mittitur, vel Arabismum, ex quo Inf. Speciei IV sonat إيقاد, et *ignis accensionem* si-

significat. Hebraice nomen efferretur ראש יקוד. Scriptio *Rusiccade*, quae in *Itinerario Antonini* bis exstat p. 5 et 19, derivata est a verbali Pihhelico יִקֵּד, vel יְקֵדָה. Comparetur Arab. وقّاد, *lucidus*, *ardens*.

Rusicibar, locus a Ptolemaeo positus inter Rustonium, vel Rusguniam, et Serbetis fluminis ostia, est *Rusubbicar* in *Itinerario Anton.* p. 16, quod locorum in utrobique scriptore successio extra controversiam ponit. Alterutra scribendi ratio falsa est. Si *Rusicibar* praeferatur, vel ראש כַּבִּיר, *promontorium magnum*, vel ex Arabismo راس الكبار, *promontorium magnorum*, sive *Cabirorum*, efferendum est, quorum posterius, etiam voce كبار singulari numero accepta, significare possit *promontorium magnitudinis*, et Graecae scriptioni Ρουσσίβαρ proximum est. Neutrum vero admodum placet, quia ab oriente Rusgoniae nullum promontorium est, quod *magni* nomine insigniri possit, tum quoque multis parum verosimile videbitur, in Africanis nominibus pluralium Arabicorum collectivorum exempla quaerenda esse. Quamobrem mihi assentientur praeferenti *Rusibbicar*, i. e. ראש הַבָּקָר, *promontorium armentorum*, *in quo armenta pascunt.*

Ruspae, oppidum Byzacii, cujus nomen Arabicum superius jam attigimus p. 29. Incertum tamen adhuc est, utrum رصّفة sonum, an veram scriptionem quoque, veteris nominis *Ruspae* exprimat, item an satis accurate respondeat locorum ratio: cum رصفة in Lexico Geographico non urbs, sed tractus Africae litoralis appelletur (كورة علي ساحل البحر بافريقية). Si رصفة antiqua est scriptio, comparari poterit Hebraicum רִצְפָּה, *pavimentum*, quod nomen, est urbis Syriacae, vel Mesopotamicae. Eadem ratio est locorum novem, quos Arabes رصافة appellavere, pariter a *pavimentis*, vel *stratis viis*. Interim non minus probabile est vetus nomen fuisse ראש שְׁפִי, *caput*, vel *promontorium calvum*, vel *collis calvi*. Tum Ruspae quaerendae sunt in promontorio vicino, ubi postea Caput Vada fuit a Justiniano condita.

Rusubeser, vel *Rusippisir*, locus ad mare in Mauretania Caesariensi. Videtur dictus esse inter Poenos ראש בְּצִיר, *promontorium parvum*, vel ראש הַבֶּצֶר, *cacumen fodinae auri*, vel *argenti.*

Ryssadium, promontorium Libyae ad Oceanum. Veram nominis scriptionem esse puto ראש חַד, *caput*, vel *promontorium*, *acutum.* Comparetur *Ras al Had* promontorium Omanae.

Rusuccurum, vel *Rusucurium*, promontorium et oppidum Mauretaniae Caesarien-

riensis, videtur pronuntiandum esse Hebraicis literis רֹאשׁ הַקְּרָא, ex Arabismo, i. e. *caput pagorum*, sive urbs ita appellata sit vicinis pagis praefecta, sive mons vicatim inhabitatus. Posset tamen efferri etiam רֹאשׁ עָקוֹר, *promontorium sterile.*

Sabaratha, *Sabathra*, utrum unius oppidi sit nomen, an duorum, incertum est. Itinerarium Antonini, Plinius, Procopius etc. solius Sabathrae, vel Sabarathae mentionem faciunt, apud Syrtin minorem quaerendae. Ptolemaeus solus ad hanc ponit *Sabathram*, inter duas Syrtes *Sabratam.* Utut est, utrumque nomen aptam explicationem habet et coloniae exulum convenientem. Alterum quippe est סַבְרָאתָא, *spes venit*, quod Syriacum, alterum שְׁבַת רַע, *quies a malo*, quod Hebraicum est.

Sacazama, sic enim habet Ptolemaeus, non *Sacamaza*, ut Cellarius tradit, vicus regionis Syrticae est, nomen ab edito situ adeptus. Nam שָׂקָא שָׁמָא, *vicus altus*, *forum elatum*, appellatum fuisse conjicio. Prius שָׂקָא, est Syriacum ܫܘܩܐ, posterius derivo ab Arabico سما, *altus esse*, in forma participiali פָּקֵד.

Sagapola, mons Libyae, unde oriuntur fluvii Salathus et Subus in Oceanum se effundentes, unde nomen trahere potuit שֶׁכֶב אֵלָא, *effusio divina*, coll. Arab. سكب, *effudit aquam:* cujus etiam in Hebraismo vestigia supersunt, etsi probabilior explicatio sit שְׂגַב אֵלָא, *elatio*, vel *cacumen Dei.* Radix שׂגב apud Hebraeos synonyma est thematis notioris רוּם, *altum* et *elevatum esse.* Vox שָׂגָב deperdita synonyma esse debuit ת״ק מִשְׂגָּב, *locus editus*, *clivus*, *rupes*, quod nomen pp. est loci Moabitici Jes. c. XLVIII. vs. 1. Ad sensum confer *Malethubalus.*

Sala, urbs Tingitanae in *Itiner. Anton.* p. 7 *Sala conia*, i. e. per compendium scripturae, *Sala colonia.* Hodierna scribendi ratio Arabica سلا admodum verosimile facit nomen *quietem* significare et a verbo שׁלה Hebr. *quietum esse*, *quieta et beata sorte frui*, quod in reliquis quoque dialectis superest, derivandum esse. Synonymum est Hebr. דוּמָה, *quies*, quod urbis est nomen in tribu Juda sitae Jos. c. XV. vs. 52.

Salamis, urbs nota Cypri. Nomen eandem fere rationem habet quam praecedens *Sala.* Quippe manifesto derivandum est a radice שׁלם, *quiete et pace frui.* Si terminatio est Graeca, erit ipsum Chald. שְׁלָם, Hebr. שָׁלוֹם, vel Arab. سلام, *pax*, *quies et beata conditio;* si orientalis, erit adjectivum fem. שְׁלֵמִית, quod apud Hebraeos inter nomina pp. fem. servatum est, vel potius שְׁלָמִית, *quieta*

ta et *beata*, scil. *urbs*. Cum tamen *Salamis* aliquando nomen viri sit et urbs etiam in nomin. casu *Salamina* appelletur, apud Hieronymum in Vita Monachi Hilarionis, satius est fortasse neutram probare sententiam et sic statuere, a substantivo שָׁלֹם, factum esse adjectivum שַׁלְמָן, *quietus*, cujus Hebraica forma שַׁלְמָן peperit Graecam Σαλομών, apud Alexandrinos synonymae Hebraicae שְׁלֹמֹה respondentem. Illud שַׁלְמָן, fem. שַׁלְמָנָה, Graeci extulerint Σαλαμίς, pro Σαλαμίν, ut genitivi terminatio ostendit, item si Hieronymo l. l. fides est, Σαλαμῖνα. Quatenus vero illud שַׁלְמָן nomen pp. viri est, ortum dare potuit diminutivo Arabico سُلَيْمَان, cujus usus adeo invaluit, ut primitivi sui locum et jura penitus occupaverit, sive illud fuerit, quod modo diximus, sive Arabico-Persicum سَلْمَان, quod inter alios gessit Persa quidam, Mohammedis socius celebratissimus, quodque forte latet in nomine regis Assyriaci שַׁלְמַן, sive שַׁלְמַן אֶסֶר. Quod vero reticendum non est, سلمان, i. e. שָׁלְמָן, quod Lexica vulgo tantum inter appellativa censent arboris, Golio et Djeuhario praeeuntibus, nomen quoque pp. viri esse, cum obscurius in Kamouso traditur, tum disertius testatur Meidanius, prov. 84 memorans aliquem Arabem سبرة بن عرفت بن سلمان.

Salathus, oppidum et fluvius Mauretaniae Tingitanae ad Oceanum, et

Salde vel *Saldae*, colonia ad Nasabam fluvium, nomina habere videntur ab una eademque origine repetenda, et dicta esse a duritie soli salebrosi et lapidibus repleti, in quo istae urbes conditae erant. Fluvius autem *Salathus* appellari potuit, vel ab urbe cognomine et vicina, vel a lapidibus, duris et laevibus, quos secum volvebat. Nam صَلْد est *durus*, imprimis *durus et laevis lapis*, et صَلَادَا et صَلْدَاءَة est *terra dura et salebrosa*.

Saluce, oppidum interioris Africae, manifesto est שְׁלוּחָה, *emissum*, i. e. *colonia*. Eadem fere ratio esse videtur nominis *Sullucum*, quod in Tab. Peut. corrupte *Sublucu* dicitur, et haud procul Hippone Regio in Numidia jacet, nisi hoc potius efferendum sit שִׁלּוּחָה, in Pihhel. (Cf. שִׁלּוּחִים et n. pp. שִׁלְחִים, urbis in tribu Juda sitae), vel שֻׁלּוּחָה, in Puhhal, quae scribendi diversitates ad significationem perinde sunt. Utrique nomini fortasse affine est *Silice*, quod ad Bagradae fontes ponit Ptolemaeus, quodque respondere potest Hebraeo שְׁלִיחָה. Reticendum tamen

non

non est derivari quoque posse a סלך, Arab. سلك, *ligavit firmiter*, unde repetitur nomen סַלְכָה urbis Basaniticae, vel a סלק, ܣܠܩ, *adscendit.*

Sardabal, nomen fluvii Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen solus Plinius nobis conservavit, et quod fortasse explicandum est שֵׁרֶת הַבַּעַל, *catena Baälis.* Rem illustrat comparatio aliorum fluviorum, ob sinuosum flexum pariter cum catenis comparatorum, de quibus superius actum est in voce *Gigarta.*

Sarsura et *Sasura.* Cf. *Gigarta.*

Satafis et *Sitifis*, vel *Sitipha*, duo oppida Mauretaniae Caesariensis, item campus Sittaphius, Numidiae, a palmis nomen trahere potuerunt. Nam شُطُب et شَطْبَة, usurpatur de *virentibus palmae ramis*, a quibus vocibus oriri potuerunt שַׁטְבִי et שְׁטִבִי, item שְׁטָבִי, vel שְׁטָבִי, quae omnia respondere possint Latino *palmifer.* Convenit fortasse Hispanica urbs *Satabis*, Arabice شاطبة, hodie *Xativa.* Nec illud mirum, quod in *Satafis* et reliquis nominibus F pro B substitutum sit. Cujus permutationis stabiliendae caussa duo exempla afferam hucusque a viris doctis neglecta. Videmus nempe auctorem libri primi Maccabaeorum c. V. vs. 36, in urbibus Gileaditicis numerare Χασφὼν, quam eodem capite vs. 26 male in Χασφὼρ corrupit librariorum stupor. Quis vero neget hic latere Chesbonam (חֶשְׁבּוֹן) urbem in V. T. nobilissimam? Verum jam viderat magnus Relandus in *Palaest.* p. 719. Alterum exemplum ex eadem Gileaditica provincia repetitum est. Idem quippe scriptor *Ephronem*, magnam urbem, ponit media via inter Carnain, i. e. Aschtaroth Karnaim et Bethsanem, ut ex illius narratione l. l. vs. 43—52 constare videtur. Jam haec urbs forte diversa non est ab עָפְרָה, Gideonis patria, quem Manassitam fuisse testatur nomen gentilitium viri אֲבִיעֶזְרִי, (vide Jos. c. XVII. vs. 2, coll. Num. c. XXVI. vs. 30). Dimidia autem tribus Manassis, ut notum est, vetus regnum Ogi Transjordanense tenebat. Illud igitur Ophra, (quod Josephus *Ant. Jud.* L. V. c. 6 bis Ἐφρὼν appellat indeclinabili nomine, LXX in Bibliis Complut. ter, in MS Oxon. et edit. Aldina semel, Ἐφρὰ (quod Hieronymus quoque sequitur), secundum codicem Vat. et Alex. Ἐφραθὰ, vel etiam Ἐφραΐμ, vocant) videtur quaerendum esse in vico Hebras (حبراس), quem Burckhardtus *Trav. in Syria* p. 269 medium reperit inter Mesareib (*Astharoth*) et Beisan (*Bethsan*). Terminatio difficultatem objicit, sed haec procul dubio corrupta est et orta ex permutatione literarum שׂ, שׁ et ת, ut vera fuerit scriptio עָפְרַת, quae in Ἐφραθὰ conser-

servata est. Fatendum est τῷ Ἑβρῶν accuratius respondere *Hebran* (حبران), nomen alius vici Transjordanensis, pariter a Burckhardto memorati p. 89, sed hic jacet in extremitate Basanis, sive Hauranis orientalis, et ab Jordane et Bethsane longissime distat.

Satrachus. Vide *Sirachus.*

Sava, municipium Mauretaniae Caesariensis, videtur esse Hebraeum שָׁוֶה, *planum*, *aequor*, *planities*, cujus mascul. שָׁוֵה ut nomen pp. vallis superest.

Savus, fluvius Mauretaniae Caesariensis, qui forte dictus est a *murmure* et *strepitu*. Nam שָׁוְא, vel שָׁאָה, unde *Savus*, sub forma שָׁוְא, vel שָׁאָה, derivari poterit, habuisse illam significationem *soni vehementioris*, ex Niphal verbi שאה perspicimus, quod de *aquis murmurantibus* ponitur Jes. c. XVII. vs. 12, 13, item ex derivatis, שָׁאוֹן, *strepitus*, *murmur aquae*, et תְּשֻׁאוֹת, *murmur concionis*, vel *strepitus*, universe.

Seggera, locus haud procul a Lepti Magna dissitus in *Itiner. Ant.* p. 63. Videtur esse Arab. صغيرة, *parva*, vel forma inde non multum discrepans. Alia quoque loca complura a *parvitate* dicta esse nomen צֹעַר et alia demonstrant. Inter Africana huc pertinent *Zigera* Zeugitanae, *Zugar* (quod ipsum est צֹעַר) Byzacii, *Zygris* Marmaricae.

Semeros, locus Cyrenaicae, et *Simyra*, vel *Symira* Phoeniciae, synonyma esse videntur. Nomen Phoenicium forte sonabat שָׁמִיר, quae duarum urbium Palaestinae, in tribu Judae et Ephraïmi sitarum, fuit appellatio, sive vox illa notet *sentes spinasque*, sive sit participium proprio sensu, et significet *urbem bene custoditam*, ut apud Arabes المحروسة.

Sepyra, vicus Ciliciae. Accurate respondet שָׁפִיר, urbs ignoti situs memorata Mich. c. I. vs. 11. Procul dubio et haec et שְׁפִירָה, *Sepyra*, dictae sunt a *situs amoenitate*.

Serbes, vel *Serpetes*, fluvius Mauretaniae Caesariensis, forte ab aquae ad potum invitantis dulcedine dictus. Vox enim Arab. شُرْبَة *potationem* designat. Exstant varii loci Arabiae a radice شرب nomen trahentes, in his شَرِب, Meccae vicinus, شَرْبَة, torrens qui se exonerat in بطن الرمة, inter Basram et Medinam etc. Fieri tamen potest ut comparanda sint nomina *Zerbis* et *Serbis*, quorum prius est fluvii Assyriaci a Bo-

 char-

charto *Phal.* L. IV. c. 19, p. 245, a זרב, *fluere*, *effluere*, derivatum, unde est زرب, *decursus aquae*, posterius est amnis Lyciae, a Graecis Ξάνθος appellati, quamobrem comparatur ab eodem Boch. *Canaän* L. I. c. 6, p. 363, زربي, quod de *herbis flavescentibus et rubescentibus* ponit Giggeyus, etsi زربي, praeeuntibus Arabum Lexicographis, praestitisset.

Sestiarium, promontorium Mauretaniae Tingitanae, a Ptolemaeo medio loco positum inter Taeniam longam et Russadirum. An in *Itinerario Antonini* p. 11 huic loco respondent *Sex Insulae?* Nam in *Sestiarium* videtur latere שׁשׁת עָרִים, *sex urbes*. Insulae, quod sciam, in ea litoris parte nullae sunt, ut parum absit quin eo nomine hic designari putem separatos vicos unius ejusdemque urbis, qui singuli per se oppidi formam habent. Sic igitur שׁשׁת ערים, i. e. Ἑξάπολις, Latino nomini bene respondebit.

Serachus, *Satrechus* et *Setrechus*, nomen fluvii Cyprii et urbis, quae ab eo nomen traxisse videtur. Nam significatio vocis in solum amnem quadrat, flexu et anfractibus impeditum, et repetendum videtur ab Hebr. שׂרג, vel שׂרך, *perplexum*, *impeditum*, *intricatum esse*. *Serachus* descendit a Kal et est שְׂרַךְ, vel שְׂרַג, reliquae duae formae fluxerunt ex Ethpehel אֶשְׁתְּרַךְ, vel אֶשְׁתְּרַג, litera Aleph neglecta, ut in *Staan*, *Stachir* et *Stoborrum*.

Siagul, locus Byzacii, sic dictus, ut videtur, ab uvarum abundantia, ut verum nomen שִׂכוֹל, alias אֶשְׁכֹּל, vel סְגוֹל potius, uti Chaldaei efferunt, sonuerit. Hae enim voces *racemum uvarum* designant. Synonymum est *Mascula*, superius a nobis illustratum.

Sicapha, locus Syrticae, qui nomen traxit ab edito situ. Nempe שקף apud Hebraeos in Niphal dicitur de *monte elato et in inferiora loca imminente*. Hinc שקיף, et ܫܩܦܐ, *rupes*, et شقيف, nonnullorum locorum in rupibus sitorum nomen proprium, quocum forte significatione sua conveniebat שְׁקָפָא, i. e. *Sicapha*, deperditum.

Sicilibba, alias corruptius *Sicilibra*, urbs Zeugitanae, haud procul remota Carthagine. An fuit שְׁקִי לִבָּא, *irrigatio*, i. e. *recreatio cordis*, ut locus ab amoenitate appellatus sit?

Si-

Sigus, vel *Sugus*, oppidum Numidiae, vel est סכות, *tuguria*, nomen oppidi Gaditici et loci, ubi Israëlitae, Aegypto egredientes, prima castra habuere, vel סכות, Chald. *specula*. Cf. שכו, I Sam. c. XIX. vs. 22.

Silice. Vide *Saluce*.

Simittu, in *Itiner. Ant.* p. 43, oppidum Numidiae, quod haud diversum videtur a *Simisthu* Ptolemaei. Scribendi rationem priorem confirmat urbis Mauretanicae nomen *Symitha*. Hebraeum שמט notat inter alia *agrum incultum relinquere*. Hinc שמיטה, vel שמטה foret *terra inculta*, et שמטו, Inf. femin. Aramaeus, ab eodem verbo repetitus.

Simyra. Cf. *Semeros*.

Sisar et *Sisara*. Cf. *Gigarta*.

Siur, portus Numidiae, ut Ptolemaeus affirmat, inter Collopa parvum, et Hippi promontorium situs. At reliquorum locorum hinc a Ptolemaeo, illinc a Shawio, inter Ampsagam flumen et Hippi promontorium positorum, comparatio et litorum contemplatio satis ostendit, eo quidem loco portum nullum fuisse, cum inter Tagodeite, ubi recte Collopa parvum ponit Shawius T. I. p. 78, et Hippi promontorium, nonnisi scopuli sint, et praecipitia, quae versus occidentem Tacatuam usque se extendunt. Contra in occidentali limite sinus Numidici inter Ampsagam et Collopa magnum in mare defluit amnis *Zhoore*, cujus nomen adeo respondet τῷ *Siur*, ut vix dubitem illud hic quaerendum esse, sive revera ibi portus fuerit, sive, quod malim, Ptolemaeus, haec admodum negligenter describens, et complurium fluviorum nullam rationem habens, ostium fluminis portum esse existimaverit. Nomen certe Siur (Σιώρ) potius ad amnem pertinere videtur, quam ad portum. Illud enim fluxisse ab Hebr. שיחור, quod Nilum designat, ab aquis turbidis et lutosis sic dictum, item Belum flumen, admodum verosimile facit ratio, qua Graeci illud suis literis expressere, Cheth prorsus negligentes. Nam Jos. c. XIX. vs. 26 habet Cod. Alex. Σειώρ, Complut. ed. Συώρ, Ald. Σειώρ. In Jerem., c. II. vs. 19, ὁ Ἑβραϊκὸς habet Σιώρ. In reliquis locis Jos. c. XIII, vs. 3, I Chron. c. XIII, vs. 5, et Jes. c. XXIII, vs. 3, Hebr. שחור minus accurate reddiderunt. Idem illud vocabulum in Hispani fluminis nomine *Sicoris* jam recte agnovisse videtur Grotius ad Josuae l. l. Vide etiam *Tasaccora*.

Soli, urbs Cypri, quae antea a situ Αἴπεια dicta est, et Graecis testibus a Demophoonte Thesei filio, vel ab Acamante et Phalero, condita, deinceps a rege Philocy-

cypro, vel Cypranore, Solonis suasu, in planitiem translata est, et ab illius nomine Σόλοι appellata. Auctorum testimonia vide apud Meursium in *Cypro* L. I. c. 7, et 25, quibus quam parum tribuendum sit, hinc apparet, quod alia ejusdem nominis urbs sit in Cilicia, quam pariter a Solonis nomine dictam fabulatur Diogenes Laërtius; tum quod linguae leges vetent ut alterum nomen ab altero derivetur. Sic enim foret Σολωνεῖς. Videmus hic eandem Ciliciae et Cypriae urbis ὁμωνυμίαν, quam in *Malus* et *Nagidus* reperimus, nec improbabile est alterum oppidum alterius esse μητρόπολιν. Porro nomini nihil commune est cum mutato situ, sed si recte conjicio, est Phoenicium illud, quod Graece translatum Αἴπεια sonabat. Nempe *Soli* fluxit ex Hebraeo סֶלַע, *rupes*, vel plurali illius סְלָעִים, terminatione mutata, quod latere jam suspicabatur Bochartus in nomine urbis Siculae *Solus*, vel Σολόεις, et in ejusdem nominis promontorio Africano. Vide *Canaän* L. I. c. 27, p. 514, et c. 37, p. 641. Magis etiam placet adjectivum סַלְעִי, vel Syriaco more pronuntiatum ܣܠܥܝ, i. e. αἴπεινός.

Sophanis. Vide *Sophonisba*.

Sphecia (Σφήκεια), vetus Cypri nomen, quod Etymol. M. repetit a Σφήξιν, incolis. Cum vero insula imprimis ob fertilitatem celebretur, comparari poterit Hebraeum סֵפֶק, vel שֶׂפֶק, *sufficientia*, *abundantia*, a ספק, *abundare*, unde adjectivum participiale סֹפֵק, vel סַפְקִיָּה, significaverit *abundans*, *exuberans*. Si quis Etymologi rationem malit, moneo etiam a Stephano memorari populum Cypri Ἄσφαξ, quod nomen forte conflatum sit ex articulo et Σφὰξ, cujus plur. Σφᾶκες cohaereat cum Σφήξιν Etymologi. Potuit illud Σφὰξ designare *famulum*, *servum*, שִׁפַּח, cujus fem. adhuc superest in שִׁפְחָה, *ancilla*, et tota Cyprus a Phoenicibus שִׁפְחִיָּה, quasi *famulans*, *servituti addicta*, dici. Tyriorum enim provinciam aliquando fuisse Cyprum colligi potest ex iis quae refert Joseph. *Ant. Jud.* L. IX. c. 14. p. 507.

Stachir, fluvius Libyae ad Oceanum in extremis fere terminis Africae a Poenis exploratae, unde fortasse nomen traxit. Nam *Stachir* potuit esse Inf. in Eschtaphal pro *Estachir*, neglecto Aleph: ut fit in dialecto Melitensi. Arabes إستئخار, Chaldaei אִשְׁתְּאַחֲרָא efferrent. Possit significare *moram*, *reditum*, vel *redire retro*, item *postremum esse*.

Stoborrum, promontorium Numidiae, in occidentali parte sinus Hipponis Regii. Nomen procul dubio eandem Grammaticam rationem sequitur ac praecedens, etsi de

de significatione minus certi sumus. Nam a variis verbis derivari poterit, ut אבר, באר, בור, ביר, חבר et עבר. Interim de solis duobus postremis videtur cogitari posse, cum reliquorum significationes huc non conveniant. Si erit אשתחבר, استخبار, ex Arabismo *explorationem*, i. e. ut puto, *speculam*, significare poterit. Si vero אשתעבר, استعبار, efferre mavis et speciem Eschtaphal synonymum τῇ Ettaphal, ut saepe, existimas, erit promontorium *trajectus*, ex eo forte dictum, quod inde, evitato totius sinus Hipponensis circuitu, trajicere solebant in proximum promontorium, quod nunc *Rosa* dicitur.

Subur, fluvius magnus et navigabilis in extrema Tingitana. Hebr. שבר est *frangere*, unde משבר, *fluctus*, pp. *undarum confractio* (*branding.*) An synonymum fuit שבר, vel שבור, ut amnis a fluctuum collisione dictus sit.

Subus, fluvius Libyae exterioris ad Oceanum. An fuit כשש, *implicans*, nempe *cursum*, ut amnis significetur vario circuitu et anfractu aquarum insignis? Comparari possunt nomina fluviorum *Sisara*, *Susellim*, alia, de quibus in *Gigarta* videndum.

Succabar, alias *municipium Sugabarritanum* et *Zuchabar*, oppidum Mauretaniae Caesariensis. Nomen compositum esse videtur ut apud Afros sonuerit סך הבר, i. e. *Soch*, vel *Succa frumenti*, quo cognomine scil. illud סך (*tugurium*, *habitaculum*), distinguatur a *Sicca Veneria* ad Bagradam. Vide infra *Tubursicca* et *Tucca*.

Sufasar, locus Mauretaniae Caesariensis, a Cellario neglectus, at memoratus in *Itinerario Antonini* p. 38, et in Notitiis Ecclesiasticis. Facilior explicatio foret, si scriberes זו פשר, *rupibus et saxis horrida*. Nam זו, vel ذو, ex Arabismo notare poterit *praeditus*, et פשר, a Castello in Lexico Chaldaico exponitur *rupes*, *mons praeruptus*. Desideratur tamen apud Buxtorfium, quo fit ut prorsus ignorem, quid de voce statuendum sit.

Sufetula, urbs Byzacena. Verum nomen esse videtur שפי תעלה, *collis elationis*, ut תעלה idem sit quod Arab. تعالي, vel etiam efferri poterit שפית עלה, *altus collis*, ut שפית sit fem. deperd. a שפי. Nomen in situm bene quadrat: nam jacent reliquiae Sufetulae in solo acclivi. Cf. Shaw. T. I. p. 188.

 Su-

Sufis, vel in pl. *Sufes*, oppidum passuum millia XXV a praecedenti remotum, pariter nomen accepisse videtur a 'שְׁפִ, sive *colli*.

Sugabarritanum municipium. Vide *Succabar*.

Sullucu et *Sublucu*. Vide *Salluce*.

Sumucis, locus regionis Syrticae. Nomen descendit vel a סמך, vel a שׂמח, Si prius praeferas, esse poterit ܣܡܟܐ, *cubile*, vel ܡܣܡܟܐ, *munita*, si posterius, fuerit שמוחה, *laeta*.

Suptu, locus Mauretaniae Caesariensis. Poterit haberi Inf. fem. Chald. absol. שְׁבְתוּ, vel שִׁבְתוּ, *quies*, a שְׁבַת, *quievit*.

Suriga, oppidum Mauretaniae Tingitanae. Comparari poterit Hebr. שָׂרִיגִים, *palmites*, vel ejus deperd. f. s. שׂריגה.

Suthul, oppidum Numidiae, cujus nomen esse videtur Hebr. שָׁתוּל, *plantatum*, *consitum*, *plantationibus ornatum*.

Sydidenis, locus regionis Syrticae supra Leptin. An fuit שָׂרִיד עַיִן, vel עֵינָא, *fontibus excellens*, vel *potens*.

Sydra, oppidum Ciliciae, etiam *Syedra*. Respondet Chald. סִדְרָא, *ordo*, *acies*, *schola*, *academia*.

Synicense castellum, in Numidia. Comparatur Hebr. צִינֹק, *carcer*.

Tabalta, locus Byzacii, qui si a *Tasbalte* distinguendus erit, de quo non una omnium sententia est, nomen *terra proventu ferax* explicari poterit, ut derivetur a יבל, quod in Hiphil est *ferre*, *proferre*, et *proventus* significatione propagines habet בּוּל, יְבוּל, et fortasse etiam תֵּבֵל, quod nunc *terram*, *orbemve* notat, proprie vero, ut Gesenio quoque placere video, fuit ζείδωρος ἄρουρα. Hoc ipsum תֵּבֵל, vel illius fem. תֵּבֵלָה deperditum, aut denique vicina forma תֵּבֶלֶת, in statu emphatico תֵּבַלְתָּא, potuit esse nostrum *Tabalte:* ad cujus scriptionem tamen pressius accedere fateor aliam conjecturam, nempe Punice exaratum fuisse תְּאַבַּלְתָּא, cum Aleph emphatico a תְּאַבֶּלֶת, formae תִּפְקֶדֶת: vel, quod etiam ferri poterit, תְּאַבַּלְתָּא ex תְּאַבֶּלֶת, ut *ta* praepositum fuerit voci אֲבֶלֶת, a masculino אָבֵל derivatae. Hoc אָבֵל cum Kamets impuro est participium formae Chaldaicae, et in sex nominibus pp. locorum Veteris Testamenti servatum est. Respondet Arabico آبل pro أأبل, quod

Ya-

Yakoutus in Moschtareko trium pagorum nomen esse testatur, quorum primus est الابل الزيت, in orientali parte Syriae; secundus الابل السُّوق in valle Goutha apud Damascum; tertius الابل القمح in tractu Paneadis: quibus quartus adjicitur in margine الابل العمدة in regione السواد, quintum Emisae vicinum et simpliciter الابل dictum, addit Lexicon Geographicum, sextum Firouzabadius in Kamouso, in agro Neapolitano, i. e. Sichemensi, situm, unde apparet haud diversum esse ab אָבֵל־מְחוֹלָה, inter Neapolin et Scythopolin sito. Gesenius illud אָבֵל contulit haud inepte cum أَبِلٌ, *humidus*, *humida herba*; nobis vero reputantibus, hinc apud Hebraeos occurrere אָבֵל כְּרָמִים, *Abel vitium*, et אָבֵל שִׁטִּים, *Abel arborum Schittim*, illinc apud Arabes الابل الزيت, *Abel olei*, et الابل القمح, *Abel frumenti*, et comparantibus illa باجة الزيت et باجة القمح, de quibus supra p. 29 actum est, admodum probabile videtur, has voces significasse *agrum irriguum*, *arvum*, *pratum*, praesertim cum ex verbis Yakouti in Moschtareko paene suspicer الابل الزيت potius ut appellativum, quam illius et Firuzabadii exemplo, ut propium sumendum esse. جهّز النبي صلعم قبل وفاته جيشا امّر عليهم اسامة بن زيد وامره ان يوطئ خيله آابل الزيت (inquit) من مشارق الشام من ناحية الاردن, *Instruxit Propheta*, *c. d. b. v. ante mortem suam exercitum*, *cui praefecit Osamam ben Zeid*, *imperans ut equis suis conculcanda daret Abel az zeit*, *ab orientali parte Syriae e tractu Jordanis.* Cui loco quanto aptior sit arvorum olivetis consitorum, quam nominis pp. mentio, lectores, ut puto, sponte intelligent. Quapropter vix dubito, quin voci etiam *Tabalte* eadem significatio *arvi irrigui et fertilis* tribui queat. Hoc malim, quam quae tertia explicandi ratio foret, comparare ܐܶܒ݂ܠܳܐ, *grex camelorum*, quod *ta* particula praeposita in adjectivum vertatur, ut locum *camelis divitem* notet. Denique poteris etiam efferre ex Syriasmo טַב עֲלַלְתָּא, i. e. *proventu felix*, cujus pluralis latere videtur in alius urbis nomine *Tabalati* ad Syrtin sitae (*Itiner. Anton.* p. 75): id enim est טַב עֲלָלֹת

Tabidium, oppidum Libyae interioris, alias *Thabudis*, circa fontes Bagradae a Ptolemaeo positum, forte est תַּעֲבַד, vel תַּעֲבוֹד. *locus cultus*, ab Aram עֲבַד, *terram colere*.

Tabraca. Vide quae de hoc nomine supra notavimus p. 24, de nummo hujus urbis Numidicae agentes et conjicientes thema vocis esse בּרק, cui signum femi-

 ni-

nini generis praepositum fuerit Numidicum. Nunc hoc adjicimus, formam בְּרְקָה, vel ברקא praeferendam videri, cum scriptione Latina, tum praefixo Numidico illam terminationem femininam postulantibus, et eodem forte spectare scripturam צברקין ibid. p. 25, in qua Ain pro Aleph substituta sit, locum vero sic dictum esse videri a solo silicibus repleto, quod Arabice برقة appelletur. Caeterum obiter observo eandem syllabam Numidicam initialem forsitan latere in aliis multis nominibus Africanis a *ta*, vel *tha*, vel a simplici *t* et *th* incipientibus, quae deinceps in hoc catalogo occurrent, ut *Tacapa*, *Tacaphuris*, *Tachorsa*, *Tasbalte*, *Telepte*, *Tenissa*, *Theudale* etc. etc. Etsi nos quidem pleraque a radicibus Semiticis repetere malumus, Tau, quam Heëmanticam vocant, auctis. Superest etiam tertia interpretandi ratio, quae particulâ תא, a nobis in Inscriptione Cyrenaica repertâ, nititur. Nempe hoc תא, vel تا, synonymum cum sit Arabicorum ذي, ذا, Hebr. זה, Chald. די, vel דְ, significare etiam poterit *praeditum*, vel *possessorem*, ut ذو et די in די־זהב, Deut. c. 1. vs. 1. et ex substantivis adjectiva facere, ut v. g. *Tasbalte*, תשבלת, notet locum *spicis frequentem et frumento*. Sed de hoc utrum praestet alii videant, et considerent num forte primae, vel tertiae, interpretationi faveat gemina quorumdam nominum forma, ut *Tacape* et *Capе*, *Tasimyra* et *Simyra*, *Thicath* et *Oecath*, et quae sunt hujus generis alia.

Tabunagdi, urbs regionis Syrticae. An fuit טב הנגדין, *fluentis uber et abundans*, ex Chaldaismo, ex quo נגדין, vel *rivi*, sunt, vel *colles?* Exstat in *Itiner.* p. 76.

Tacapa, extrema urbs regionis Tripolitanae, sive Syrticae, unde fortasse ipsi nomen adhaesit. Nam עָקֵב est *finis*, *terminus*. Quopropter תעקבה *finium determinationem* explicare malim, quam cum Bocharto in *Canaän* Lib. I. c. 25, p. 493 sq., huc referre Rabb. טחב, *humidum*, quod *Tacapa* in irriguo solo sita esset.

Tacaphuris, locus Marmaricae, vel Cyrenaicae, vero nomine הכפירה, appellatus, et synonymus fere urbi Benjaminitis attributae כפירה, quod nomen *pagum* explicant, alias כפר dictum.

Tacatua, urbs Numidiae maritimae, cujus nomen Punicum fuisse videtur תקטועה, i. e. τέμενος, a קטע, apud Arabes, Syros, Chaldaeos, Samaritanos, *abscidit*, *amputavit*, hinc قطيعة, *portio terrae vel agri*, *alicui assignata*, *fundus*, quod multorum

rum locorum in Orientali Geographia nomen est, unde in Sp. IV. Arab. *assignavit alicui fundum.* Comparetur synonymum חֶלְקַת urbis Aseritarum nomen. Fortasse tamen vero propior est alia ratio, ut *Catua*, קְטוּעָה verum nomen sit, junctum תָּ֫ *ta* et *locus* designetur *abruptus et praeceps.* Hic enim incipiunt scopuli et praecipitia usque ad Ras el Hamra decurrentia. Cf. *Siur.*

Tachorsa, nomen loci Marmaricae, qui a sylva nomen traxisse videtur; quam חֹרֶשׁ, Hebraei חוּרְשָׁא Chaldaei appellavere, ut תְּחֹרְשָׁה adjectivum sit *silvestris.*

Tagaste, oppidum Numidiae, alias *Thagaste.* Videtur esse synonymum nominis *Tigisis*, quod supra a תְּגִישׁ, verbali radicis Syriacae ܓܘܫ, Arab. غاث, *confugit*, unde ܓܘܣܐ, *refugium*, derivavimus. Ab eodem quippe verbo eademque potestate descendere potest תְּגֶשֶׁת, vel תְּגֶשְׁתָּא.

Tagora, vel *Thagura*, oppidum Mauretaniae, vel Numidiae, de quo incertum est, utrum nomen traxerit a *mercatura*, haec enim Syriace et Chaldaice est תְּגוּרָא, vel, ut illi emphatice efferunt תְּגוּרְתָּא, an a גּוּר, *diversari*, ut sub eadem forma *diversorium* notet. Interim conferatur *Artagira*, quod supra *montem mercaturae* explicuimus.

Talubath, oppidum Getuliae, cujus nomen superius jam attigimus p. 33, dubitantes utrum nummus Africanus quidam ad hanc an ad *Telepte* Byzacii referendus esset. Utriusque nominis eadem forte est ratio. *Talubath* תְּלוּבַת contractam formam esse censeo ex תְּלְאוּבַת, *sitis*, *siccitas.* Vox adhuc exstat in plurali apud Hoseam c. XIII. vs. 5, ubi legitur תַּלְאֻבוֹת הָאָרֶץ, *siccitates terrae;* i. e. *terra sicca*, *sterilis.* Radix apud Hebraeos deficit; apud Arabes vero exstat لاب, *sitivit*, unde elucescit vocem תלובת etiam citra contractionem explicari posse. Idem censemus de *Telepte*, quod vel fuerit תְּלֵבָה et תְּלֶבֶת, emphat. תְּלַבְתָּא, a לוּב, vel contractum sit ex תְּלְאֵבָה et תְּלְאֶבֶת, a לָאַב. Quodsi Shawius T. I. p. 196 sqq. recte quaesiverit Telepten ubi nunc Ferriana jacet, nomen *siccitatis* et *sterilitatis* opportunissimum est: nulla enim potest esse tetrior regio aut sterilior, quam quae Ferrianam circumjacet. At reticendum non est Shawio *Telepten* ejusdem urbis nomen recentius videri, quam vetustiores *Thalam* appellavere. Hoc si verum sit, aliquam inter haec nomina concordiam significationis fuisse verosimile est, ut si *Te-*

 le-

lepte recte explicuimus, *Thala* sit Hebr., תלאה, *molestia*, *labor*. Hoc praeplacet, praesertim cum hoc in nummum quadret, quam Teleptae potius, quam Talubathae, adscribendum esse dixi, etsi ab altera parte concedendum sit *Thala* Hebraicis literis etiam תעלה, *canalem* scribi posse, quod haud ineptum: nam in summa adjacentis tractus siccitate urbs ipsa largo torrente et fontibus rigatur. Praeterea *Thala* etiam *collis* explicari potest (vide infra in *Thalalati*), quod si admittas, *Telepte* interpretari ex Aramaeismo poteris תל עבדא, *collis cultoris* nempe *Dei*, vel etiam ex Arabismo تل عبدة, *collis cultus*, vel *religionis*, quod teste Lexico Geographico etiam nomen est pagi agri Harranensis, in via Rakkae.

Taluda, fluvius Tingitanae, quam Ptolemaeus vocat Θαλοῦδα, Plinius, si recte conjicio, *Laud*, quod derivem a לות, inf. verbi לוה, *flexit*. Poterit pari jure repeti ab Arab. لاذ, *inclinavit*, *inflexit*, in Sp. II. *flexuosus*, *sinuosus fuit*, unde لواذ, est *flexus*, vel *anfractus fluvii*, quae vox prope accedit ad *Laud*, propius etiam لوذ, qui est Inf. Sp. I. Vox *Taluda* igitur efferenda est תלודה eadem notione, ad normam Hebraicorum תבונה et תעודה, vel תלדה, ut adjectivum sit compositum cum תא, *flexuosus*. Erravit autem insigniter hac in re Cellarius *Geogr. Antiq.* T. II. p. 930, existimans *Laud* a nemine praeter Plinium memorari, Taludam vero non differre a sequenti *Tamuda*.

Tamaricetum praesidium, locus Mauretaniae Caesariensis inter Calamam et Rusuccurum, omissus a Cellario (vid. *Itiner. Anton.* p. 38). Videtur illis vocibus nomen annumerandum esse, quae *ta* particulam praefixam habeant, ut verum nomen sit *Maricet*, מראשת, i. e. *capitalis*, *principalis locus*. Etiam Hebraeis fuit urbs מראשה, Gr. Μαρισά, in tribu Juda. Idem illud *ta* radicali formae praemittere videntur aliquot nomina quae sequuntur, quorum primum est

Tamascaltis, locus quem non memoravit Cellarius, in regione Syrtica quaerendus (vid. *Itiner. Anton.* p. 76) ab uvarum proventu sic dictus. Nam in *Mascaltis*, quod cum *Mascula*, *Maxala* et *Maxula*, de quibus superius egimus, comparandum est, latere videtur מאשכלת nomen locale ab אשכל, *racemus*.

Tamuda, quod flumen Laudo proximum facit Plinius. Est hoc procul dubio Hebr. תמיד, vel quod olim fortasse exstitit, certe existere potuit, תמוד, *perennitas*, hinc per ellipsin vocis נהר, *fluvius perennitatis*, i. e. *perennis*. Solet enim illa

illa vox aliis nominibus in statu constr. adjuncta periphrasin facere adjectivi. Sic exstant עֹלַת תָּמִיד, לֶחֶם תָּמִיד et alia.

Tamugadi, locus Numidiae, alias *Thamugadi*, nomen habere videtur a capris. Nam גְּדִי est *hoedus*, unde oriri potuit nomen locale מְגָדִי (*magadi*, vel *mugadi*): nisi forte hic lateat Hebr. מִגְדּוֹ.

Tamusida, locus Tingitanae mediterraneae. Latet hic post part. *ta*, Semiticum מְצִידָה, i. e. vel *venandi locus*, vel i. q. מְצוּדָה, *vertex montis*, *arx montana*. Cf. Ptolemaeum et *Itiner*. p. 7, item inferius *Tocolosida*.

Tamusiga, locus Tingitanae. *Musiga* fortasse respondet formae מְצִיחָא, *locus aridus*, *siticulosus*, a צִיחָא, Chald. *sitis*.

Tamyras, fluvius Phoeniciae, haud procul Beryto in mare decurrens. Rosenmullerus in *Handbuch der Bibl. Alterthumskunde* T. II. P. I. p. 38, n. 18, nomen Arabice scribit دامر, nixus, ut puto, testimonio de la Roquii, *Voyage de Syrie* T. I. p. 283, apud accolas fluvium *Nahr Damer* appellari, magnoque eum impetu, transeuntibus haud raro exitiali, ferri perhibentis: quapropter Rosenmullero visum est nomen repeti posse a دمر, *perdidit*, quod etsi tanto minus negem, quanto mihi videtur esse probabilius, verbum דמר potestate sua Arabica Phoenicibus notum fuisse (vide supra p. 132) hucusque tamen nulla nominis, Arabicis literis scripti, vestigia reperire potui. Nec id melius cessisse videtur Burckhardto, sagacissimo harum rerum investigatori, qui simpliciter affirmat (*Trav. in Syria* p. 192) *Nahr al Kadhi* (sic enim vulgo flumen appellant) ab Europaeis litus illud frequentantibus vocari *Damour*, nec illud nomen indigenis ignotum esse. Fieri igitur potest ut hic alia radix lateat, nempe צמר, et nomen fluvii sit צָמִיר. Nomen illud significaret *occultus* (cf. ضمر in Sp. IV. *occultavit*) et aptum foret flumini per angustam vallem et celsis rupibus clausam decurrenti. Admitti quoque poterit alia vocis notio ab eo repetita, quod fruticibus et arboribus ejus ripae, ut hodie, sic olim vestitae fuere. Nam a צֶמֶר, *lana*, Hebraei derivant vocem צַמֶּרֶת, de *arborum frondibus* usurpatam. An igitur illis נהר צמיר significare potuit ποταμὸς ἀμφιλαφής? Aliam conjecturam addo. Num forte his in locis quaerendae sunt sedes tribus Canaaniticae, quae Gen. c. X. vs. 18 memoratur, צְמָרִי, ut a flumine dicta sit, et צְמָרִי formetur a צָמִיר, quemadmodum مَدَنِيّ, a مدينة? Quod enim alii illam ulterius versus septentrionem removent, et cum Zemaritis conferunt *Simyra*,

ra, vel *Tasimyra*, urbem in extremo fere Phoeniciae limite boreali sitam, id quamvis speciosum sit, at nullo tamen nititur argumento, nisi nominis similitudine, cui hic tanto minus fidendum est, quod haud pauca pro explicatione שמירה pugnent, supra a nobis proposita in *Semeros*.

Tanaramusa, locus Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen fortasse compositum est ex *ta* et *Naramusa*, i. e. נהר המוצא, *fluvius scaturiginis*, i. e. *scaturiens*.

Taphrure, vel *Taparura* et *Taphra*, urbs Byzacii. Videtur dicta esse a puteis, vel cisternis, quae circa ista loca visuntur, ab incolis nulla de caussa, ut puto, Aglabitis attributa. Vide Shawium T. I. p. 180. Quippe תחפרה, i. e. *Taphra*, cujus masculinum תחפר forsan pepererit Graecum τάφρος, est nomen auctum descendens a חפר, *fodit*, *effodit*, imprimis *puteum*, unde חפר, גת חפר et חפרים, nomina locorum, descendunt. Ejusdem radicis propago est reduplicatum תחפרורה, quod idem significare puto.

Tarrum, oppidum Mauretaniae Caesariensis, potest esse תערה, synonym. τοῦ מערה, *locus nudus*, *planus*, *arboribus destitutus*, vel ערה, quod idem notat, cum *ta* praefixo.

Taruda, ejusdem regionis urbs, composita vox ex *ta* et *aruda*, quod Hebraicis literis scribendum videtur ערוד, vel ערודה, quod praefero. Cum עריד Hebr., ערד Chald. designet *onagrum*; urbem *Arouda* Africae et *Arad*, ערד, Palaestinae synonymas esse conjicio, et ab onagrorum frequentia dictas. Confirmat quodammodo conjecturam *Arudes* urbis Syriae nomen ad Euphraten prope Zeugma. Quam frequentes vero in ripis Euphratis sint dorcades ex Xenophontis oculati testis Anabasi constat.

Tarsus, urbs celeberrima Ciliciae, quam תרז, vel תרץ appellatam fuisse nummi verosimile faciunt. Posterius praefero, quia תרז, sive a תרז, *riguit*, sive a רזה, *macer fuit*, derivetur, haud satis aptam habere videtur significationem. Contra תרץ poterit esse pro תרצה, ob Resch, pro תרצה, *amoenitas*, a רצה. *Thirza* autem nota urbs est, et aliquo tempore regum Israëlitarum sedes. In תרץ vero eadem obtinet apocope, quae cernitur in תער, *novacula*, ex תערה. Porro palaeographicis argumentis nondum satis demonstratum esse puto literam vocis extremam necessario esse Zain, nec igitur תרץ legi posse.

Ta-

Tasaccora, civitas Mauretaniae Caesariensis, sive Numidiae, inter Calamum et Rusuccurum, vel Rusucurium, posita in *Itinerario Anton.* p. 37, at omissa a Cellario. Anonymus Ravennas, qui *Tasacora* scribit, eandem male ponit in Mauretania Tingitana, fluvium vero memorat *Tasagoram* in Caesariensi, non distinguendum, ut puto, a *Zhoore*, de quo vide in *Siur*. Verum enim nomen *Sacora* esse videtur, i. e. שְׁחוֹר, alias שִׁיחֹר, de quo isto loco, quantum satis est, diximus. Urbs procul dubio a flumine nomen traxit.

Tasbalte. Locus Byzacii situs incerti, cujus nomen Punicis literis scribendum videtur תַּשְׁבַּלְתָּא in statu emphatico, a תַּשְׁבֶּלֶת, quod descendere videtur a שֵׁבֶל, *palmes* imprimis *oleae*, cujus pluralis, ἀνεμάλως scriptus שִׁבְּלֵי, semel servatus est Zach. c. IV. vs. 12. Vox significaret locum *palmitibus frequentem;* nisi שִׁבֹּלֶת idem sit, quod שִׁבֹּלֶת, *spica*, ut *locus frumenti ferax* designetur; nam Dagesch forte hic non esse necessarium ostendit forma Chaldaica שׁוּבַל, vel שׁוּבְלָא, Hebraico שִׁבֹּלֶת respondens.

Tege, in regione Syrtica, et *Tegea* in Byzacio, idem fortasse nomen habent, ex praefixa *te* et גַּיְא, *vallis*, et femin. גֵּיאָה, quod in Arabico جِيَّة, *locus*, *in quo colligitur et restagnat aqua*, servatum est et peperit pluralem גֵּיאוֹת Hebraicum. Nomen saltem bene quadrat in *Tegeam*, quae, quantum ex Hirtio *de Bello Africano* c. 78, intelligitur, in campo vel valle jacuit.

Tegessus, urbs et promontorium Cypri, vel *Tigisus* (Τεγησσός, vel Τιγισός), urbs Cypri. Nominis procul dubio eadem ratio est, quae cernitur in *Tigisis* et *Tagaste*, superius explicatis.

Telepte. Cf. *Talubath*.

Tembros, urbs Cypri, quam nomen a palmis accepisse reor, quas in insula quoque Cypro indigenas esse pluribus docent Plinius et Theophrastus laudati a Meursio in *Cypro* L. II. c. 6, p. 97. Vulgare palmae nomen est תָּמָר, sed potuit etiam alia forma תִּמְרוֹת, vel תִּימְרוֹת, quae nunc Hebraice et Chaldaice de fumi columnis tantum usurpata reperitur, antiquitus de palmis frequentari, cum procul dubio palmae, propter trunci proceritatem et rectitudinem, prima aedium columina et fulcra fuerint, et deinceps ea de caussa nomen suum cum alius materiei columnis communicaverint. Hinc factum est *Temros*, mox *Tembros*, inserta B, ut in *Mambre* et *Membro*. Cf. *Thamarita*.

Tenissa, oppidum Mauretaniae Caesariensis, et *Thinissa*, vel *Tuniza*, aliud Zeugitaniae, celeberrimum denique *Tunes*, quod tamen hodie تونس effertur, a florum luxurie dicta, quippe נִצָּה, *flos* est: unde תְּנִצָּה forma auctior.

Tetius, fluvius Cypri. An ita dictus a sinuoso flexu et veluti errore aquarum? Nam תעה est *errare* Hebraeis, uti טעה, quod reliquis dialectis tantum non omnibus commune est. Hinc formae oriri potuere תְּעַת et תְּעַת, item טְעַת et טְעַת, *erroris* significatione, ad normam τοῦ כְּכַת et קֶרֶת, et addita litera Jod relativa תְּעָתִי, *errans*.

Thabba, locus Byzacii mediterranei in confiniis deserti, et ripa lacus Tritonidis, vel Boheireh Faroun, ubi nunc *Ebba* jacet. Vide Shaw. T. I. p. 200. Vix dubito quin *Ebba* idem sit quod *Hippo*, a Bocharto in *Canaän* L. I. c. 24, p. 475, cum Syriaco et Chaldaico עוּבָא et עֻבָּא, et Arabico غُبّ, *sinus*, *stagnum*, collatum, quibus adde Samarit. עב. Hoc עבא praefixum תא in adjectivum vertisse videtur, ut vocis sensus fuerit, *ad lacum adjacens*, vel *pertinens*, scil. *locus*.

Thabudis, locus circa fontes Bagradae fluminis, a Ptolemaeo memoratus, quem scriptorem hic in errorem incidisse existimo, jam superius semel iterumque a nobis notatum, ut nempe ex uno loco duos faceret. Memorat enim in eodem tractu *Thabudin* et *Capsam*, quarum vocum posterior prioris interpretatio Latina esse videtur. Nam illa respondet accurate Arabico تابوت, *arca*, quod ab Aramaeo תֵּיבוּתָא diversum non est et Hebraeo תֵּבָה. Hoc servat nomen *Thebe*, sive *Thebae*, quod pluribus urbibus commune fuit, a Phoenicibus conditis; hoc cernitur in Graeco nomine Κιβωτὸς, quod cognomen est Apameae Phrygiae et loci ad sinum Nicomedensem siti appellatio. Scio Bochartum in *Thebis* תֵּבֵץ quaesivisse, nomen urbis Palaestinensis, quod Alexandrinus Θήβην, Josephus Θήβας reddidit, at conspiratio nominum *Thabudis*, *Capsa*, *Thebae* et *Cibotos*, meae conjecturae plus favere videtur. Porro idem Ptolemaeus memorat oppidum *Thubutin*, in tractu Siccae Veneriae, atque adeo haud longe a Bagrada flumine. Nomen procul dubio idem est. An urbs diversa sit ipse locorum situs dubium facit.

Thagulis, locus inter duas Syrtes situs. Radix vocis videtur esse עָגֹל, *rotundus*, unde תְּעָגֹל. Diversa situ, nomine eadem, est *Tagulis*, vel *Tugulus*, ad magnam Syrtin. Cf. *Leucolla*.

Tha-

Thalalati, locus regionis Syrticae. An fuit תל עללת, quod Syris sonaret *collis proventuum*?

Thamarita, oppidum Mauretaniae Caesariensis, quod a palmarum frequentia dictum est. Nam תמרית, scil. ארץ, est *terra palmifera*. Cf. *Tembros*.

Thambes, nomen montis Numidiae, fortasse corruptum ex תנבא, *elatio*, a נבא, *elatus fuit*, quam significationem sola Arabica radix servavit.

Thamusida, oppidum Mauretaniae Tingitanae. Radix vocis esse videtur מצודה, vel quod aequale jus habere potuit, מציּדה, *arx montana*, vel *ipse montis vertex inaccessus*. Syllaba *tha* de more praefixa est.

Thanuthis, oppidum Marmaricae, vel Cyrenaicae. Apud Hebraeos תנות sunt *habitacula*, vel *mansiones*, ex תנאות, ut videtur, contracta, et a נאה, *habitavit*, derivanda.

Thapsus, urbs celebris Byzacii, in extrema lingua, vel isthmo, terrae in mare excurrentis et depressae sita. Hinc ortum nomen תאפס, contr. תפס, in st. emph. תפסא, *finis*, *extremitas*. Vide tamen Bochartum in *Canaän* L. I. c. 28, p. 539 de Sicula Thapso, quae haud procul Syracusis abest, agentem, et illud nomen aliter explicantem. Nobis hoc imprimis memorabile videtur, hujus Thapsi situm atque Africanae prorsus eundem esse. Nam illa quoque peninsula est, angusto collo cum continenti cohaerens, et fluctibus parum superior, ut ex collatis Thucydidis, Stephani et Servii locis, a Bocharto laudatis, efficitur. Quapropter admodum probabile est ambo loca ab eadem caussa, nempe a situ naturali, nomen traxisse; idque ab una eademque gente, nempe a Phoenicibus, utrique esse inditum.

Thasarte, oppidum regionis Syrticae, omissum a Cellario. Vide *Itiner. Anton.* p. 78. An fuit תחשרתא, *congregatio*, *conventus*, ab Arab. حشر?

Thebunte. Vide *Thibinis*.

Themissua. Etiam hoc nomen loci in Zeugitana mediterranea siti, videtur compositum esse cum *the* illo, de quo jam saepenumero egimus. Nam exstat etiam *Missua* in urbibus ejusdem provinciae maritimis, de cujus vocis significatione probabili superius suo loco disputavimus.

Thenae, etiam *Thaena*, vel *Thaenae* et *Theaenae*, urbs Byzacii maritima. An fuit תאנה, *ficus*. Ejusdem fortasse significationis est *Thentis*, i. e. תאנתי deri-

vatum a cognato, sed deperdito תאנת, ut sit *ad ficus pertinens*, *ficuum ferax*. Est urbs regionis Syrticae. Genitivus, ut videtur, *Thenteos* exstat in *Itiner. Anton.* p. 76.

Thenadassa, locus regionis Syrticae. Cf. *Itiner. Anton.* p. 77. Respondet accurate Syriaco-Hebraeum טען הדסה, i. e. *myrtifer*. Comparetur verbum Syr. ܛܥܢ, cujus participium ܛܥܢ imprimis de *agro* dicitur *fruges et fructus ferente*; et nomen pp. הדסה, quod Esthera adhuc virgo gessit. Nam ut appellativum tantum exstat הדם in masculino.

Thermida, oppidum Numidiae, ejusdem videtur originis, ac *Tremithus*, *Trimethus*, vel *Trimythus*, oppidum Cypri, quod Stephanus a terebinthorum frequentia repetit; has enim τρεμίθους a Cypriis appellari. Quod non repudicm, ex variis autem vocis scriptionibus proximam vero existimem *Trimythus*, i. e. תרימות, *elevatio*, a רום, vel רים, *efferri se*, *altum esse*. Nam terebinthus alta arbor est.

Thestes, fons agri Cyrenaici apud Herod. L. IV. c. 159. An fuit verum nomen חשתה, *potatio*, *irrigatio*?

Theudale, urbs Zeugitanae, cujus reliquias collocat Shawius T. I. p. 149. ad eum locum paludis, cui Hippo Diarrhytus adjacet, ubi ripae adeo coarctantur, ut lacus in duas partes prope aequales dividatur. Hinc forte nomen oppido, ut Hebraice scribendum sit תעודל, i. e. *aequatio*. Infin. hic foret Sp. VI. Arab. تعادل, sive Hithpohel Hebraeorum. Primaria potestas verbi עדל est in *aequando*; hinc عدل est *coaequatio duarum sarcinarum*, et عدل, *res aequalis et similis*, in Sp. III *aequivaluit*, *par et aequalis fuit*. Hujus passiva est sexta, cujus Infinitivum *aequationis* potestate affert Castellus.

Thubelis, oppidum Numidiae, forte dictum a soli fertilitate. Nam תבל, quod apud Hebraeos *terram*, *orbemve* notat, pp. est *terra foecunda* a יבל. Potuit etiam efferri תביל. Exstat certe, teste Lexico Geogr., oppidum تبيل inter Rakkam et Balis ab oriente Euphratis.

Thibinis, oppidum Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen utrum *substructionem* notet, ut derivetur a בנה, et scribatur תבני, an potius *locum lapidosum et confragosum*, ut repetatur ab אבן et exaretur תאבן, pro תאבן, non definio; prius tamen praefero. Nam in eadem provincia memoratur urbs *Thubuna*, vel *Tubunae*, quam utrum recte Ptolemaeus a *Thibini* distinxerit, nescio: hanc si recte

quae-

quaesivit Shawius in *Thabnah* p. 97, radix בנה fuisse videtur, forma תִּבְנָה. Ejusdem fortasse est originis nomen urbis *Thebunte*, vel *Tabinite*, i. e. תְּבֻנַת, in regione Syrtica. Cf. *Itiner. Anton.* p. 64.

Thicath, locus Mauretaniae Tingitanae ad Oceanum. Obscura et incerta est nominis ratio. Varia huc trahi possent. Proxime accedit תְּקִעַת, *erectio tentorii*, *commoratio*. Sed alterum nomen *Oecath* suadet, ut de formis וְקָעַת (وقة) et תִּיקְעַת cogitemus, sensu non multum diverso. Vide *Tucca*.

Thizibi, mons regionis Syrticae, sic dictus videtur a luporum frequentia. Nam דִּי זְאֵב notat *praeditus lupis*.

Throni, urbs Cypri et promontorium. Locus nomen traxisse videtur a *pinubus*, vel *abietibus*. Arboris nomen Hebraicum תֹּרֶן, etiam תְּרֹן sonare potuit, per vocalis transpositionem.

Thubuna. Vide *Thibinis*.

Thuburnica. Nomen oppidi Numidiae, quod aperte est Hebr. טַבּוּר נִיחָה, *clivus*, vel *collis*, *quietis*. Hodieque appellatur *Tubernoke*, quod accuratius responderet Hebraismo. Nam נֹחַ adhuc exstat, נִיחָה deperditum est. Cf. Shaw. T. I. p. 168, qui docet illud duobus montium amoenissimorum jugis esse interpositum. Num igitur forsitan praeplaceat טַבּוּר נִיחוֹת, *collis delectationis*. *Tuburnica* sine aspiratione scriptum fuisse Plinius et veterum Episcopatuum Notitia docent.

Thubursicca, vel *Tubursica*, urbs Numidiae, quae nomen suum adepta est ab eo, quod in colli sita et fontibus irrigua esset. Nempe Punice sonat טַבּוּר שִׁקָּה, *clivus irrigationis*. Explicationis probabilitatem tuetur situs alius urbis cognominis *Thibursica bure*, vel *Tubursica bur* Zeugitanae, quae teste Shawio p. 157, in aclivitate collis jacet, et uberrimo fonte medio ex oppido erumpente irrigatur. Nomen divisim scribendum esse, uti nos fecimus, docet duplex inscriptio ibi reperta, in quarum altera ibid. p. 158, THIBVRSICENSIVM BVRE, in altera THIB. BVRE legitur; at Notitia Episcopatuum conjunctim affert *Tubursicuburensis*. Illud *bure* hanc *Tubursicam* ab illa Numidiae distinguit. Videtur esse בֻּר, بر, Hebr. בַּר, *triticum*, quo loca illa ad Bagradam imprimis abundabant et טַבּוּר שִׁקָּה בֻּרָא, *Thubursica frumenti*, eadem ratione dictum est, qua *Badja frumenti* (vide supra p. 29 sq.) et آابل القمح, *Abel frumenti*, laud. in v. *Tabalte*. Unde elucet Shawium nulla

de

de caussa reprehendisse auctorem, vel librarios, Notitiae Episcopatuum, ob Thubursiccam in Numidia positam. Hanc scilicet ipse cum altera confuderat Shawius.

Thubuscum, oppidum, ut puto, Mauretaniae, soli Tacito *Ann.* L. IV, c. 24 memoratum. An fuit טב השקה, *bonus irrigationis*.

Thubutis. Cf. *Thabudis*.

Thuelath, oppidum Libyae interioris ad Chusarin amnem. Respondet ad literam Chald. תועלת, *lucrum*, *utilitas*, a יעל. Malim tamen comparare תעלת formam pl. fem. Aramaeam a תעלה, *canalis*.

Thumelitha, pariter oppidum interioris Libyae. An fuit תמליטה, *effugium*, *salus*, a מלט, quod in Pihhel et Hiphil *servandi* notione superest.

Thunuba, urbs Zeugitanae. Est deperditum תנובה, *proventus*, *fructus*, a נוב, *germinare*, *pullulare*.

Thunudromum, alias oppidum *Tynidrumense* in Zeugitana. Verum situm ignoramus; quod enim de ea re in medium profert Shawius p. 185, prorsus conjecturale est. Quapropter dijudicare non possumus, utrum locorum naturae respondeat explicatio תנת רמה, *habitationes altitudinis*, vel *collis editi*.

Thunusda. vel *Thunusida*, Numidiae oppidum inter Hipponem regium et Tabracam. Accurate convenit forma deperdita תנוסתא, vel תנוסיתא, i. e. *refugium*, a נוס, *fugere*.

Thuspa, oppidum Getuliae. An fuit תשפע, *affluentia*, *ubertas*.

Thuzicath, oppidum Numidiae. Inter nomina Hebb. urbium habemus עזקה, i. e. *fossa*, *septum*, ab עזק, quod in Pihhel est *fossam circumducere; agrum fodiendo culturae aptum reddere*, unde formari תעזיקת potuit Infinitivus. Forsitan tamen aptius existimetur תחזיקת, *munimentum*, a חזק, quod inter alia notat *aggere munire*.

Thycimath, oppidum Getuliae. Vox *stationem* significare videtur et efferenda esse הקימת, a קום, quod, etiam in IV. Sp. apud Arabes, i. e. Hiphil, notat *consistere* et *morari*, quod quare monendum sit, ex iis quae de analogia Speciei Taphel cum Hiphil ante observavimus p. 14, satis perspicies. Ejusdem originis esse videtur nomen urbis *Tucma*, in Zeugitana sitae, ut scriptum sit pro *Tcuma*, תקומה, nisi placeat efferre תחמה, i. e. *aestus* a חם.

Thys-

Thysdrus, *Tisdrus*, *Tisdra*, vel *Tysdrus*, urbs Byzacii, sic dicta quod eo coloniam misere Poeni. Nam תשדר, vel תשדרא, *emissio*, *ablegatio*, *colonia*, potuit descendere a Chald. שדר, *misit*.

Ticelia, oppidum Zeugitanae. An fuit תכיליה, *speratum*, *illud*, *in quo spem et fiduciam reponimus*, a תכל Aram. *confisus est*.

Tichasa, oppidum Zeugitanae. Forte explicandum per תחצה, *septum*, *paries*, ut synonymum sit גדר גדרה. Nam سيج et حاط est, *septo*, *macerie includere*.

Tillabari, locus regionis Syrticae. Forte est תלא בריא, *collis pinguis*.

Timice, oppidum Mauretaniae. Num forte est תמיכה, *sustentata* (divinitus).

Tingis, celeberrima urbs Mauretaniae exterioris. Bocharti conatum hodierni nominis *Tanger* rationem habentis, idque a תגר, *negotiatus est*, derivantis, non moror. (Vide *Canaän* L. I. c. 24, p. 476). Mihi abjecta terminatione bene respondere videtur תינה, *quies*, a ינח. Comparetur tamen nomen urbis תענך, de quo egimus in *Pharnace*.

Tisurus, urbs Byzacii. Nomen accurate refert Hebr. תשורה, *donum*.

Tocolosida, oppidum interioris Tingitanae. An fuit תכול הצידה, *spes venationis*. Vide *Thamusida*.

Toemphoembios (Τεμφαίμβες), fluvius Mauretaniae Caesariensis. Si recte conjeci, ipsum nomen ostendit flumen salsum fuisse, uti in istis terris ex natura soli plura sunt, ut Mulucha, et Molochath, hinc nomen ducentia. Videtur enim vera scriptura esse טעם פום באוש, quod ad literam Chaldaice sonat *sapor oris malus*.

Tramusdusim, locus regionis Syrticae, omissus a Cellario. Vide *Itiner. Anton.* p. 76, ubi in alio libro est *Tharama*. Hoc תרמה, *collis* esse potuit, et a רום, *elatum esse*, derivari, illud explicari תרמת דשים, *colles triturantium*. Quodsi hic templum fuerit ab accolis summa religione cultum, quod hodieque ignoramus, malim explicare *dona*, vel *sacrificia triturantium*, ex *frugum* nempe *primitiis* data. Hoc ipsum enim notat Hebr. תרומות.

Treta, urbs Cypri, item *Tretum*, vel *Tritum*, promontorium Numidiae, nomen acceperunt, vel ab *amoeno situ*, vel *a pascuis*, prouti תרעת, vel תרעיתא (hanc enim veram vocis scripturam existimo, dudum a Bocharto in *Canaän* L. I. c. 24, p 486,

p. 486, in voce *Triton* quaesitam) referatur ad רעה, *pascere*, vel רעה, *delectari aliqua re*. Cognatum est nomen deperditum loci Hebr. תִּרְעָה, cujus gent. תִּרְעָתִים superest I Chron. c. II. vs. 55.

Trieres, locus Phoeniciae juxta promontorium Θεοῦ πρόσωπον. Nomen fortasse fluxit ex תְּרַע חֶרֶס, *porta*, vel *aula solis*, quod sensu respondet τῷ בָּב בֵּל, *porta Beli*, unde ex nonnullorum sententia בָּבֶל contractum est.

Trisarchis, pagus Marmaricae, cujus nomen regioni ἱπποτρόφῳ aptissimum, sonasse videtur תִּרְעִית הָרֶכֶשׁ, *pascuum equorum*.

Tuburbo, urbs duplex Zeugitanae, ab uberrimo agri proventu sic dicta. Etenim טוֹב הָרְבָא sonare potest *bonorum copia insignis*. Nam رِبا, *copiam bonorum et opum* notat.

Tubusuptus, oppidum Mauretaniae Caesariensis, טוֹב הַשֶּׁבֶת, *bonum sede*, vel *bonum ad incolendum*, ab egregio situ appellatum.

Tucabath, oppidum Getuliae. An fuit תּוֹקֶבֶת, i. q. יֶקֶב, *torcular*. Vide quae superius notavimus ad *Cote*.

Tucca. Complures hujus nominis urbes in Africa fuerunt, ad minimum quatuor. Nominis explicatio, etiam minus bene *Thugga* scripti, quaerenda est in תּוֹקַע a יָקַע, vel وقع, derivato, cum potestate *sedis* et *coloniae*. Accurate respondet Germ. *Niederlassung*, nam verbum وقع inter alia usurpatur de ave post volatum se alicubi demittente, quod nostrates *strijken* vocant. Idem tamen verbum notat quoque *firmum et stabilem esse*, unde תּוֹקַע posset esse *firma sedes*. Nonnullis fortasse magis arridet ut תּוֹקַע, vel תְּקַע referatur ad תקע, unde nom. pp. תְּקוֹעַ, quod ad sensum fere perinde est. Notat enim תקע, *tentorium*, *sedem figere*. Jam ex diversis illis locis homonymis duo, perperam a nonnullis confusi, peculiari cognomine distinguuntur: *Tucca Terebinthina* et *Tuccabori*, quorum alter in Byzacio, alter in Zeugitana jacuit. Posterior plane ut *Succabar* et *Thubursica bure* a frumenti copia illud cognomen traxit. Eodem forsitan pertineat nomen oppidi alius Zeugitanici *Tuccubis*, quod scribi potest תּוֹקַע בְּאִישׁ, *mala sedes*.

Tuccabori, *Tucca Terebinthina*. Vide *Tucca*.

Tuccitora, oppidum Marmaricae. An fuit תּוֹךְ קִטְרָא, *medium petrae*, vel *rupis*, ex Chaldaismo?

Tuc-

Tuccubis. Vide *Tucca*.

Turzo. Oppidum agri Carthaginensis, cujus nomen non videtur differre a *Thirza*, (vel *Tarsus*), nisi forte תרצה pro תרצה scribendum sit. Sensus idem futurus est, et vox loci amoenitatem designabit.

Tusiagath, oppidum Mauretaniae. An verum nomen est תשגת, *oberratio* a שגה, *erravit*, ut urbs illud acceperit, quod ab exulibus et erronibus condita esset.

Vabar, a Shawio p. 73 collocatur, ubi nunc jacet promontorium Mauretaniae *Ashoune Monkar*, in extremo sinus Budjiensis fine sinistro, cui in dextro ejusdem termino respondet urbs Igilgili. Quod si recte statuit vir peritissimus, nomen *Vabar* (Οὔαβαρ) haud ineptum est. Videtur enim efferendum esse העבר, vel עבר, *transitus*, qui Infinitivus est deperd. et synonymus τοῦ עבר, vel *finis*, *extremitas*, ad normam Syriaci ܥܒܪܐ, ut *Vabar* ita dictum sit, vel quia in extremo sinu jacebat, vel quod inde trajectus erat in oppositam urbem Igilgili, eam ob caussam institutus, ne viatores ingentem sinus illius circuitum emetiri cogerentur. Sic igitur hujus nominis et *Stoborri* superius explicati eadem ratio erit. Quod vero literas Graecae vocis initiales Ουα hic et alibi cum Ain, nonnullis vero in locis cum aliis literis gutturalibus et Beth composuimus, id nemo mirabitur, qui vagam indolem Graeci Ου et literarum אהחע perspexerit et meminerit literam Ain Omicro Graecorum originem dedisse.

Vala (Οὔαλα), urbs Mauretaniae Tingitanae, a situ עלה, i. e. *excelsa*, dicta.

Valon, fluvius ejusdem Mauretaniae. Graecum Οὐάλων bene respondit τῷ החלון, *dulcis*, *suavis*, a verbo Aramaeo et Arabico חלי, ܚܠܐ et حلا, *dulcem esse*.

Vamicela, oppidum Mauretaniae Caesariensis. An fuit בם יחלה, *collis spei*. Vox בם est Syr. ܒܡܬܐ, Hebr. במה, et יחלה, est synon. τοῦ תוחלת, a יחל.

Vasana (Οὐάσανα), urbs Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen esse videtur ipsum בשן Hebraeorum, quod componendum videtur cum Arab. بثنة, *solum planum et molle*.

Vasbaria, locus Mauretaniae Caesariensis. An verum nomen fuit עז בריה, *munimentum campi*, sive *deserti*, ut עז hic idem sit, quod Hebraeis עֹז, illud de *munimento*, *arce*, *refugii loco*, frequentantibus.

Vazagada (Οὐαζαγάδα), oppidum Mauretaniae Caesariensis. Num forte vera scri-

 ptio

ptio est Οὐαζαργάδα, i. e. חֲצַר גַּדָּה, quod nomen est urbis in tribu Judae, a Simone explicatum, *villa turmae*, i. e. *locus populosus*. Ferri etiam poterit עֻז הַגְּדָה, *munimentum turmae*. Etsi mihi quidem Simoniana interpretatio haud satis placet, potestatem *turmae* minus firmam putanti. Utrobique in nomine Palaestinensi et Africano potius latere videtur nomen Deae גַּדָּה, a masc. גַּד, quam *Fortunae Virilis* appellationem Babylonicam nobis conservavit Jes. c. LXV. vs. 11. Haec igitur fuerit *Fortuna muliebris*, alias מְנִי, i. e. *Venus*, a cujus cultu ista loca nomen traxere. Ipsa nominum analogia explicationem tuetur. Nam Baäl et Astarte, qui, ut bonae sortis numina, alias אָשֵׁר et אֲשֵׁרָה, *felices*, dicti sunt, eodem sensu etiam גַּד et גַּדָּה cognominatos fuisse admodum verosimile est.

Vazua (Οὐάζουα), mons Zeugitanae. Vox significare videtur ἀπότομον, et scribenda esse בְּצוּעָה, a radice בצע, *abscidit*.

Ubrix, locus Africae interioris. An fuit עָב רֵישׁ, quod Syriace sonaret *lustrum*, *latibulum cacuminis*, i. e. *in summo monte situm*. Eaedem voces latent in *Vobrix*, quod oppidi Tingitanae nomen est.

Ucibi, oppidum Numidiae interioris. Puto verum nomen esse עֲקֻבִי, i. e. *terminalis*, quia fortasse jacebat in limite cultae regionis et deserti. Descendit vox ab Hebr. עָקֵב, Arab. عَقِبٌ, *finis*, *extremum*.

Vegisela, locus duplex, alter Numidiae, alter Byzacii, ut videtur Wesselingio ad *Itiner. Anton.* p. 33 et 46. An Punice sonuit בְּנָא צְלַח, vel בַּג הַצְּלַח, *hortus*, vel *ager*, *pacis et quietis*, vel *boni proventus*. Nam צלח, cujus n. act. deperditum est צֶלַח, vicinum صَلُحَ, etiam de plantis dicitur feliciter succrescentibus. De Bagae nomine pluribus Africae urbibus communi vide p. 29 sq.

Vescether (Οὐεσκεθήρ), oppidum Mauretaniae Caesariensis. Illud in rupe situm fuisse, nomen probabile facit, quod explico עֻז קֶתֶר, *munimentum rupis*. Vide supra *Tuccitora*.

Vitaca (Οὐίτακα), locus Mauretaniae Caesariensis. Est tantum variatio nominis Uticae, nempe הָעַתִּקָה, *vetus*. Aliis forte lubebit comparare nomen urbis Palaestinensis עֶתֶךְ, cujus significationem ignoro.

Ulizibirra, nomen loci Zeugitanae. An fuit עָלִיז הַבְּרָא, *deliciens agro*, vel *laeta hor-*

hortis, nam بُر, quod accuratius respondet τῷ *birra*, inter alia *hortus* est.

Una, fluvius Tingitanae, dictus fortasse ab affluentia rerum et agrorum ubertate, quam accolae ipsi acceptam referebant. Nam און, vel הון, de *divitiis bonisque vitae quietae et securae* solenne est.

Unuca, vel *Inuca*. (Vide Wess. ad *Itiner. Anton.* p. 25) singularem habet convenientiam cum nomine urbis Siculae Ἴνυκον, quam Bochartus in *Canaän* L. I. c. 29, p. 557, a יְנִיקָה, alias יוֹנֶקֶת, *surculo*, *vitis palmite*, dictam conjecit, cum locus vini ferax sit. Conferendae imprimis formae Arameae יָנוּק et ܝܢܘܩܐ, *lactens*.

Vobrix. Vide *Ubrix*.

Urbara, oppidum Mauretaniae Caesariensis. An fuit אוּר בָּרָא, *oppidum campi*.

Uscita. Vide *Uzecia*.

Usilla et *Usula*, oppidum Byzacii, quod teste Shawio T. I. p. 178 est hodiernum *Inshilla*, adjacens promontorio pharoque. Hic locus si olim pariter iisdem usibus inservierit, nomen haud incommode explicari poterit אֵשׁ אֱלֹהַּ, *ignis Dei*. Vide *Zella*.

Ussara, oppidum Mauretaniae Caesariensis, cujus nomen sonuisse videtur חֲשֻׁרָה, *congregatio*, *conventus*. Verbum חשר ejusque derivata jam attigimus supra p. 171.

Uthina, oppidum Zeugitanae. Respondet Hebr. עֵטָן, *aquarium et pascuum pecudum*, coll. عطن, quod de camelis usurpatur circa puteum decumbentibus, uti عطن et معطن est *ejusmodi decubationis locus*.

Uticna, oppidum Zeugitanae, cujus nomen explico עוּת כְּנַעַן, *auxilium Canaänaeorum*. De עות vidimus superius in *Automala*; in *cna* autem latet Χνᾶ, quod veteres pro *Canaän* dixisse ex Sanchoniathonis fragmentis perspicitur.

Uzan, oppidum Zeugitanae, quod quomodo Hebraicis literis scribendum sit definire non ausim. Hoc vero monendum est, vocem haud dissimilem אֹזֶן, sive hoc, ut Simonis existimat, *promtuarium* significet, sive aliam potestatem habeat, hoc igitur ut nomen loci reperiri in אֻזֵּן שֶׁאֱרָה, quod oppidum est, memoratum I Chron. c. VII. vs. 24.

Uzecia, oppidum Byzacii, quod haud diversum existimant ab *Uscita*. Verbum חזק certe utrique voci originem dare potuit, ut *Uzecia* sit חֻזְקִיָּה et *Uscita* חֻזְקִית. Nomen *firmum munitumque locum* designat.

Zagylis, vicus Marmaricae. An fuit סְגִילָא, vulgo Chald. סְגוּלָא, *botrys*?

Zalacus, mons Mauretaniae Caesariensis. Comparandum videtur Aramaeum סלק, *adscendit*, unde descendere potuit Inf. סִלְקָא, *adscensus*.

Zalapa, oppidum Byzacii, quod nomen traxisse videtur ab eo vulpium, sive luporum genere, quod Hebraei שׁוּעָל, Arabes ثعلب appellant, ut vera scriptio sit שַׁעַלְבָא, respondens Hebraicis שַׁעַלְבִּים et שַׁעַלְבִין, quae nomina sunt oppidi in tribu Danis siti.

Zama, urbs Numidiae campestris, et fonte suo celebris. Cf. Plin. L. XXXI. c. 11, et Vitruv. L. VIII. c. 4, qui tradunt illius potu voces canoras fieri, unde ansam sumsit Bochartus in *Canaän* L. I. c. 24, p. 484 illud nomen a זָמַר, *canere*, derivandi, haud satis memor scilicet alias quoque urbes esse in Mesopotamia et Cappodocia *Zama* appellatas, item *Zamamizon*, Ζαμαμίζων, in Zeugitana, quae certe non omnes tali fonte insignes essent. Ego nihil adhucdum reperi, quod mihi satisfaciat, praeter ذا ماء regularius ذو ماء, (*Suma*, quod nomen loci est Mesopotamiae), i. e. *aquis praedita*, *abundans*. Altera Zama Africana distinguebatur nomine מָזוֹן, sive *horrei* (id enim videtur esse μίζων), quia eo fortasse circumjacentium agrorum frumentum in horrea publica comportari solebat. In Mauretania Caesariensi alius locus erat eandem ob caussam *horrea* appellatus. Vide *Itiner. Anton.* p. 31, et ad eum locum eruditam notam Wesselingii.

Zarath et *Zarattha*, oppidum Mauretaniae Caesariensis, vel comparandum est cum צֶרֶת, quod occurrit in nomine urbis Rubeniticae צֶרֶת הַשַּׁחַר, ubi forte *splendorem* notat, decurtatum ex נִצֶּרֶת, vel explicandum ex nomine צְרֵדָה, vel צָרְתָן, urbis tribus Manassis, quod Gesenius *frigidum* interpretatur a صرد, *frigidum esse*.

Zelis, *Zilis* et *Zilia*, nomina urbis Mauretaniae Tingitanae, a qua etiam fluvius vicinus est dictus *Zelia*. Verosimile est oppidum in rupe situm et סַלְעִית, vel בַּלְעִית a סֶלַע dictum fuisse.

Zella, oppidum Byzacii, quod Strabo L. XVII. p. 1188, in vicinia Achollae, Thapsi et Ruspinae collocat. Nonnulli a Zetha Hirtii haud diversum putant. Probabilius est illud ab *Usilla* Ptolemaei non differre. Nomen *Zella* fateor satis apte explicari posse סֶלָא, i. e. *via aggesta*, alias מְסִלָּה, quod nomen est loci in Hierosolymorum vicinia, uti سلا homonymum castellum in Yemama. At nihilominus situs Usillae, apud Ptolemaeum in serie locorum litoralium Rhuspinam, Leptin par-

parvam, Thapsum, Acholam, Rhuspas, excipientis; adeo quadrat in Zellam Strabonis, ut vix dubitem quin hoc nomen ex illo decurtatum sit.

Zetha (Ζεθα), promontorium regionis Syrticae, procul dubio ab olei proventu dictum. Nam זית est *olea*. Eadem ratio est nominis *Zethae*, quod oppidum in Byzacio jacet olei feracissimo, et nobis eo loco quaerendum videtur, quo nunc jacet *Kasr as Zeit* inter Neapolin et Aphrodisium. Vide Shawium p. 145, qui eo loco, sed quo fundamento nescimus, *Civitatem Siagitanam* quaesivit.

Zegera, *Zugar*. Cf. *Seggera*.

Zilia, *Zilis*. Cf. *Zelia*.

Zurmentum, oppidum Byzacii, sic dictum, ut puto, quod in munitissima et inaccessa rupe jaceret. Conjicio enim verum nomen fuisse צור מנעת, *rupes tutelae*, *munitionis*, coll. Arab. منع ejusque derivatis, quorum in arce ipso situ inexpugnabili significanda solennis usus est.

Zygris. Cf. *Seggera*.

Clausula hujus libri sexti et universae nostrae scriptionis futura est nonnullarum glossarum, Cypriarum maxime, explicatio, quas ex veteribus, et prae caeteris ex Hesychio, collegimus, posuimusque secundum ordinem alphabeti Graeci, quia, una voce *Mappa* excepta, omnes Graecis literis scriptae ad nos pervenerunt. Adjecimus praeterea binas Cretenses, manifesta Phoenicismi vestigia prae se ferentes. Nam in hanc quoque insulam colonias deduxisse, linguamque suam intulisse Canänaeos manifestum est. Earum igitur omnium prima se offert glossa Hesychiana

Ἀβαρταί. πτηναί. Κύπριοι. Vox manifesto cohaeret cum אֵבֶר Hebraeo, i. e. *ala*, cujus femininum אֶבְרָה, hodieque superstes, peperit adjectivum illud Cyprium אֶבְרָתִי, *alatus*.

Ἀγήτωρ. ὁ τῶν Ἀφροδίτης θυηλῶν ἡγούμενος ἱερεὺς ἐν Κύπρῳ. Hesych. Terminatio vocis videtur Graeca esse: at origo quaerenda in Hebraeo חָג, quod festum et caerimonias sacras notat.

Ἀγχών. Nomen carceris cujusdam Carthagine, a Procopio memorati, *de bello Vand.* L. I. c. 20, p. 221, quem excerpsit Suidas in v. Ἀγχών. Mignotius dissert.

sert. XVIII. (*Mém. de l'Acad.* etc. T. XL. p. 66) hoc nomen, quod haud male, ut puto, appellativum carceris, non unius loci proprium existimat, derivat ab אנק, *ingemiscere, ejulare cum gemitu*. Mihi verosimilius videtur illud repetendum esse a חנק in Ethpahal *detentus, impeditus fuit*, unde חֲנָקָא, Chald. et ܚܢܩܐ Syr., *vinculum*. An hinc ortum חֲנָקָן, *detentio in vinculis*, unde ἀγκών Poenis, et ἀνάκαιον Boeotis, Etymologo teste, *carceris* nomen.

'Αδαμιᾶν· τὸ ἀδικάστως φονεύειν. Κρῆτες. Hesych. Aperte cohaeret cum דָּם, *sanguis*, unde in Hiphil הדמי, vel הדמה, Arab. أدمى, potuit esse *sanguinem fundere, vulnerare, interficere*.

'Αδωνίς. 'Αφροδίτη ἐν Λιβύῃ. Hesych. Videtur esse nomen Punicum עָתִיק, vel עֲתִיקָה, *pulcer, pulcra*, quod epitheton Veneris facillime Graecam illam formam induere potuit.

Αἶλα. ἀντὶ τοῦ καλά. Κύπριοι. Etym. M. p. 34. Glossa haec ostendit eandem comparationem pulcrarum mulierum cum hinnulis et dorcadibus, quae Arabibus et Hebraeis (Prov. c. V. vs. 19) solennis est, etiam Phoenicibus, vel Cypriis placuisse. Nam αἶλα procul dubio est Hebraicum אַיָּלָה, i. e. *cerva, dorcas*, vel ut Cypri forsitan extulerint, אֵילָה; quam scribendi anomaliam quodammodo tuentur Hebraei in statu constructo plurali efferentes אַיְלוֹת et ostendentes illud Kamets non esse immotabile, licet Arabice ايّل exaretur.

'Αλαβή. λιγνύς. σποδός. καρκῖνος Κυπρίων. μαγίλη. Hesych. Locus varie tentatus a Viris doctis. Vide notas Albertii, qui Καρκῖνος Κυπρίῳ emendandum conjecit, cogitans de Tragico Carcino, cui drama Κύπριος a veteribus tribuatur, et testem hujus rei advocans in Bibliotheca Graeca Meursium. At hic Hesychium auctorem laudat, qui cum nusquam Carcini mentionem fecerit, constat Meursium hunc ipsum locum et emendationem Scaligeranam, Albertianae similem, respexisse, ut adeo Carcini *Cyprius*, donec certior auctoritas afferatur, inter commenta releganda sit. Mihi de reliquis minus laboranti hoc saltem verosimile videtur, καρκῖνος esse glossam Cypriorum, atque igitur Κύπριοι rescribendum esse. Jam sive καρκῖνος sit h. l. animal, sive forcipis genus, optime cum ἀλαβή in concordiam redigi poterit. Nempe ab Arab. خلب, *vulneravit unguibus*, est مخلب, *unguis, imprimis avis rapacis (serres)* unde خلابة, de *forcipibus* dicitur: hinc חִלְבִּי, i. e. aspiratione solenniter negle-

glecta ἀλαβή, foret *forcipibus praeditus*, hinc κατ' ἐξοχὴν *cancer*.

῎Αορον. μοχλόν. πυλῶνα. θυρωρόν. Κύπριοι. Hesych. An omnes vocis explicationes ad Cypriorum linguam pertineant, nescio; solius certe postremi rationem teneo. Nam ἄορος, vel potius demta terminatione αορ, mihi est הָעֹר, *vigilans*, part. cum art. conjunctum a verbo עוּר, *vigilare*, pro quo in usu sunt formae vicinae עֵר et עִיר. Ab eadem origine repetantur Graeca ὥρα, *cura*, cum derivatis ὡρέω, ὡρεύω, ὤρημα, θυρωρὸς et ὀλίγωρος.

῎Αριζος. τάφος. Κύπριοι. Hesych. An est pp. *effossus*, nempe חָרִיץ, part. a verbo חָרַץ, quod peperit חָרוּץ Hebraice, חֲרִיץ Chaldaice, *fossae*, vel *foveae* notione?

᾿Ασσύρ. κρατὴρ ὑπὸ Φοινίκων. Hesych. et Etym. M., qui tamen scribit ᾿Ασσύρ. Ex iis qui de hac voce conjecturas fecerunt, commemoratis ab Albertio in notis, proxime abfuit a vero Bochartus in *Canaän* L. II. c. 11, p. 738, docens Phoenices craterem sic appellasse ab orbiculari figura; Syris enim חזור, *hezur*, vel *hezzur*, *globum* esse, ubi Syrorum nomine Chaldaeos designavit, vocesque respexit חִזּוּר, vel חזוּר. Atqui ex Syriasmo multo opportunius laudare potuisset vocem [illegible], quod inter alia *scyphum* notare diserte testantur Lexicographi.

Βαθανίαν. νεοσσιάν. Κρῆτες. Hesych. p. 699 post vocem Βάσανος. Vossius eam ob caussam rescribendum putat Βασανίαν, quod ad nostram rem perinde est. Nam utrumque potest ortum duxisse a בֵּיצָנִי, i. e. *ovis praeditus*, *ovis plenus*, nempe *nidus*. Forma vocis Aramaeismum sapit. Nam Syri imprimis inter formam radicalem et Jod relativum Nun inserere amant, a ܦܓܪܐ, *corpus*, ex gr. derivantes ܦܓܪܢܝܐ, *corporeus*.

Βρίγες — ᾿Ιόβας δὲ ὑπὸ Λυδῶν φαίνεται Βρίγα λέγεσθαι τὸν ἐλεύθερον. Hesych. His in verbis ἀποφαίνεται pro φαίνεται legendum esse jam vidit Sorberius. Sed praeterea etiam Λυδῶν in Λιβύων refingendum esse verosimile est. Juba enim ipse Afer fuit, et nihil scripsit de Lydis, at ejus συγγράμματα περὶ Λιβύης a veteribus laudantur. Vide Voss. *de Hist. Gr.* L. II. c. 4; tum vox Βρίγα, vel Βριγ, commode explicari potest ex Hebraismo. Nam בֹּרִיחַ, est *fugiens*, nempe *captivitatem*, vel *hostes*, atque opponitur τῷ אָסִיר, *captus*. Potest ergo respondere τῷ ἐλεύθερος.

Βρούχετος — βάτραχον δὲ, Κύπριοι. Hesych. Num rana sic dicta est tamquam in stagno בְּרֵכָה) degens, ut verum nomen fuerit בְּרֵכָתִי, vel simile quid?

Γέν-

Γέννου. Κύπριοι. καὶ λάβε, καὶ κάθιζε. Hesych. Posterior *sedendi* significatio non Graeca esse videtur, sed Orientalis, et derivata a חנה, *inclinare se*, *sedem figere*, ut חֲנִי Cypriis fuerit *sedem capito*, quod deinceps Graecam terminationem acceperit, quasi a *γέννεσθαι* descenderet.

Γέργινοι. Athenaeus L. VI. p. 255 et 256 de adulatoribus agens, illud hominum genus imprimis in aula regum Salaminiorum floruisse dicit, bifariam distinctum in *Gerginos* et *Promalanges*. De his deinceps videbimus, illos autem sic describit: *οἱ μὲν Γέργινοι συνκαταμιγνύμενοι τοῖς κατὰ τὴν πόλιν ἔν τε τοῖς ἐργαστηρίοις καὶ ταῖς ἀγοραῖς ὠτακουστοῦσι, κατασκόπων ἔχοντες τάξιν. ὅ, τι δ᾽ ἂν ἀκούσωσιν, ἀναφέρουσιν ἑκάστης ἡμέρας πρὸς τοὺς καλουμένους ἄνακτας.* Hi ergo quia assidue rumorum captandorum caussa circuibant, Syriaca voce appellati sunt כַּרְכִּין, i. e. *circumforanei*.

Γρά. φάγε. Κύπριοι. Hesych. Vix Graecum. Num forte Cyprii verbo גרר quod in reliquis dialectis *ruminandi* notionem habet, generaliore sensu *edendi* usi sunt?

Ἔλφος. βούτυρον. Κύπριοι, coll. *Ἔλπος, ἔλαιον, στέαρ, εὐθηνία.* Hesych. Apertum est his vocibus originem dedisse Hebraeum חֵלֶב, *adeps*, *pinguedo*, cui subinde in Graeca versione respondet vox *στέαρ*. Nec minus opportuna est alia vox *εὐθηνία*, quam Hesychius usurpavit. Nam quemadmodum haec de agrorum fertilitate et felici proventu dicitur, sic חֵלֶב הָאָרֶץ eodem sensu Hebraei usurpant, qui tamen butyri significationem ignoraverunt. Cf. *Ὄλβη*.

Ἴσθμιον, nomen *calicis* Cyprium. Sic olim legebatur apud Athen. L. XI. p. 472, nunc editur ex aliis Codd. *Ἴσθμιον*, quod etiam Eustathius habet in Odyss. p. 1847, vs. 47. In priore syllaba mihi agnoscere videor vestigia verbi שָׁתָה, *bibere*, quod Aramaei cum Aleph prosthetico efferunt. Hinc forte adjuncta Mem servili ortum אִשְׁתִּם, vel in statu emph. אִשְׁתְּמָא, *potatio* et *poculum*.

Κέραμος, *carceris* nomen apud Cyprios, testibus variis Grammaticis laudd. a Meursio in *Cypro*, p. 153 sq. Exstat vox hoc sensu apud Homerum Iliad. Lib. V, vs. 387. Convenit Orientale حرم (quod Hebraeis חֶרֶם sonaret), i. e. *locus seclusus, cujus aditu prohibentur exteri*, unde non minus apte de *carcere* usurpari potuit, quam, ut nunc fit, de gynaeceo, quod ipsum carceris genus est.

Κίβισις. πήρα. Κύπριοι. Hesych. Descendit a verbo חבשׁ, *ligare*, *accingere*, unde חֲבִישׁ potuit notare *id quod circumligatur*, tum *zonam*, vel *saccum*, medio corpori cir-

circumligatur. Vox jam occurrit apud Hesiodum in *scuto Herculis* vs. 224, ubi de Medusae capite sermo est, a Perseo gestato,

> πᾶν δὲ μετάφρενον εἶχε κάρη δεινοῖο πελώρου
> Γοργοῦς, ἀμφὶ δέ μιν κίβισις θέε.

Quo loco etsi veteres et recentiores, praeeunte Apollodoro L. II. c. 4, §. 2, κίβισιν *peram* interpretantur, dubitare tamen licet, utrum ista notio satis cum verbo θέε conveniat, an potius de formis e ligno aliave materie factis (*lijsten*, *Einfassungen*) sermo sit, quibus aliqua res includitur, quae notio pariter a חביש repeti possit.

Λαίνα. ἔρια. Κύπριοι. An comparandum Arab. لين, *mollis*, vel لين, *mollities?* ut lanae notio translata sit?

Dracones a Phoenicibus culti. 99, draco Phoenicibus Agathodaemon. ibid. Draco coelestis an ab iisdem cultus? 100, Draconis historia in Apocryphis haud improbabilis. 99.
Dualistica religio Adonidis et Veneris. 128 sq. Beli et Beltidis. 129, Jovis et Junonis Hierapoli. 130, Jovis et Veneris Aeliae Capitolinae. 130.

E.

Ebed-Assehemon, nomen virile. 5 sq.
Ebed-Meni, nomen virile. 9.
Ebed-Susim, nomen viri. 97.
Ebed-Tannin, nom. pp. viri. 99.
Εἰλήτιος, vel Εἰλήτιος, *propitius*, Jupiter Cyprius. 309.
Elacogabalus Deus. Vide Elagabalus.
Elagabalus, Emisenorum Deus. Illius forma ab Herodiano et in nummis descripta. 119, fuit Sol, et pp. Gebalitarum, vel Bybliorum, Deus, i. e. Adonis, vel Tholad. 119, 125, 128, de nomine conjecturae. 119 sq. cum Venere Urania Carthaginis nuptiis ab Heliogabalo Imp. jungitur. 126, Vide Pallas. Illius religionis cum aliis syncretismus. 126, eidem et Veneri Uraniae templum splendidissimum aedificatum Romae, quo adulta aestate traduci solebat. 126, cujus rei caussa explicatur. 128.
Ἐλαφρὸς, cognomen Jovis Cretensis. 309.
Elif prostheticum in pronuntiando omissum in dialecto Melitensi. 189, futuri participio praefixum. 190.
Elles, nomen pp. viri, explicatur. 202.
Eleusis, Deceleae vicina, in religionibus et traditionibus varia servat originis Neptuniae indicia. 212, illius sacra cum Cabiricis cohaerent. 213, pertinebat ad tribum Hippothoöntidem. 212.
Ἐλινύμενος, *quietus*, *placidus*, Jupiter Cyrenaicus. 309.
Emphatica terminatio Phoenicibus cognita. 69.

Ena-

Enakitae, sedibus ejecti ad Philistaeos concesserunt. 221.
Enbaäl, nomen viri Zeugitani. 28, alias Inibalus effertur. 45, item nomen loci. ibid. quid significet. 48, 45.
Ennae Siculae nummi nonnulli. 157.
Enylus, Bybliorum rex. Illius nomen explicatur. 45, classem tradidit Alexandro. 122.
'Εώα, sacrificium Adonidi factum. 187.
'Ηοίης, pro 'Αοίης, Adonis dictus. 187.
'Επήκοος, *propitia*, titulus Veneris Carthaginensis. 309.
Ephron, urbs Transjordanensis, alias Ophra. 276.
Epigraphae variae nummorum Hebraeorum inter se comparantur et earum ratio expl. 159 sq.
Equi Soli sacri et a Phoenicibus culti. 97.
Erysthia, urbs Cypri. 94, haud diversa a Curiade et Hyle. 253 sq.
Esmunus, vel potius Esmunius quis? 6 sq.
Ethbaäl Tyri et Sidonis Rex. 147.
Ethpchel. Illius forma contracta. 144.
Ettaphal, species Poenis cognita. 17, sine contractione scripta. ibid.
Εὐθύνη et εὐθύνειν de justitia. 167.
Europae nomen Orientale. 312 sq. primum soli Hispaniae tributum. 313.
Eusebii dubia lectio. 207.

F.

Fabula Herodoti de Psyllorum interitu expl. 267.
Faradis, locus ditionis Halebensis. 223.
Farwarim, quaenam pars templi? 200 sq.
Figurae ejusdem in alphabeto Aegyptio et Phoenicio diversa potestas. 55.
Finium Numidiae et Mauretaniae vario tempore diversitas. 241 sq. 244 sq. quid hac de re existimandum sit docetur. 245.
Fisida, locus. Nominis ratio. 270.
Flamma, Phoenicum Deus. 63.
Futurum. Illius 3. p. pl. com. gen. 20.

G.

Gabala, alias Gebal Phoeniciae mediterraneae bene distinguenda a Gabala Laodicaeae vicina. 122, eadem quae Palaeobyblus, a quo eam distinguit Ptolemaeus. ibid. ejus nomen cum nova quoque Byblo communicatum. 123, 125, ejus cives dicti Γαβαλῖται. ibid. styrace et sacris Agrueri, sive Agrotae, nobilis. 124 sq.
Γαβαλεὺς, nomen gentile Gabalae Laodicensis. 124.
Γαβαλίτης, nomen gentile Gabalae Phoeniciae, et forte etiam Bybli novae. 124.
Gad et Gadda. Fortuna virilis et muliebris. 298, alias *Ascher* et *Aschera*. ibid.
Gades. Huic urbi falso nummi nonnulli tributi a Gesenio. 136 sq.
Gadium quale nomen in nummis. 85.
Gaditanorum nummi expl. 84 sq. illorum suffetes. 84.
Gaudos, hodie Gaudesch, verum nomen insulae, vulgo Gaulos appellatae. 141 sq. quid Punice significet. 142.
Gaulos, falsum nomen insulae Melitae vicinae. 141.
Gebal, eadem quae Byblus, vel potius Palaeobyblus. 120, coll. 123, nominis explicatio. 121, Gabala dicta a veteribus. 122, sita ad radices Libani. 123. Vide Gabala et Palaeobyblus.
Geographia Africae emendatur. 227, 232, 236, 279.
Geographorum Orientalium, in situ locorum

rum definiendo, negligentia. 123.
Gephyraei, Phoenices origine, in Atticam concesserunt. 213, unde dicti. ibid.
Gesenii sententia de lapidibus Humbertianis examinatur et refellitur. 105 sqq.
Giggejus corrigitur. 278.
Gosen Palaestinae dicta ab Aegyptia. 172.
Graeci ex uno Deo plures fecere. 71, Syriacas et Arabicas voces acceperunt a Phoenicibus. 112, illius rei exempla. 112 sq.
Guadalaxara, Hispanica urbs et provincia. 266, nominis origo. 266.
Gulussa, Masinissae filius. Vide Hiempsal.

H.

Hadas, locus in Syria. 259.
Haditsa. vel al Hadatsa. Quatuor loca hujus nominis. 259.
Hafr, locorum variorum Arabiae n. pp. 226.
Hamath, colonia Phoenicum, postea a Syris, vel Israëlitis, occupata. 224.
Hamilcaris et Imilconis nomina confusa. 189 sq.
Hapason, unum ex principiis mundi. Cf. Tauthe.
Harrah, nomen viginti trium locorum Arabiae. 251.
Hazir, castellum Yemanense. 229.
He geminata scribendo juncta. 93.
Hebran, oppidum transjordanense. 277.
Hebras vicus inter Mesareib et Baisan. 276.
Heliogabalus Deus. Vide Elagabalus.
Heliogabalus Imp. quid circa res sacras constituerit. 126, illius avaritia. 127.
Hellanicus. Vide Helladius. Quaenam scripserit. 41 sq.
Helladius et Hellanicus confusi. 42.
Herculis Tyrii itinera adumbrant colonias a Phoenicibus deductas. 140, 218 sq. coloniarum Deus. 224, cultus ab Amathusiis nomine Malik. 225, ejus filium Amathum nomen Amathunti dedisse fabulantur, et quare? 224.
Hermes, idem qui Monimus, laetitiae dator. 131, bonus genius solaris habetur, et hinc Veneri, vel Lunae, genitrici adjungitur. 132.
Hermon, pars Antilibani, sanctitate clarus, sedes posterorum Sethi, a Baäle quodam dictus. 165.
Herodiani locus explicatur. 127.
Herodotus explicatur. 53, 305, emend. 294, quae de Libya narrat, partim a Phoenicibus accepit. 268.
Heshon urbs, unde dicta. 139, etiam Chesfon appellata. 276.
Hesychius explicatur. 176, 185, 187, 211, 301 — 307.
Hevitae habitarunt usque ad Hamatham. 224, transisse videntur in Cyprum. ibid.
Hiarbas, Numidiae rex. Non constat an fuerit e Masinissae gente. 243, successor datus Hiempsali a Marianis, sed interfectus a Pompejo. 244.
Hiempsal, Numidiae rex, videtur fuisse ex Masinissae gente et successisse Jugurthae. 244, Gulussae filius esse non potuit. 243, regni illius fines. 244, quamdiu imperaverit. ibid. quali fortuna usus sit. ibid. Jubae I. pater. 243 sq. falso appellatus Mandrestal. 243.
Himera Siciliae, vicina Panormo et Solunti, thermis celebris, ab Hercule Tyrio primum inventis. 140, condita a Phoenicibus, colonis frequentata Zanclaeis, eversa a Poenis, et alio loco instaurata. 140.

140, illius nummus illustratur. 139 sq. Punicum nomen. ibid.
Himyaritae, Africam septentrionalem invaserunt. 111.
Hippothoöntis tribus, dicta ab Hippothoö Neptuni et Alopes filio. 212, Decelcam et Eleusin complectebatur. 212.
Hira urbs, a Tobbaa condita et unde nomen traxerit. 256.
Hiram Tyri et Sidonis Rex. 147, apud Graecos Siromus. 209, Hiram alter, Tyri rex, Cyri aequalis. ibid. ejus chronologia. ibid.
Hirtius explicatur. 36, emendatur. 310.
Hispaniae nomen explicatur. 313.
Homonymia locorum Cypri et Ciliciae. 228, 266.
Homoroca Dea unde dicta sit. 132.
Honoris titulus positus pro nom. pp. 8.
Hori litera Aegyptis, dicta ab Horo. 53.
Hospes Dei est cultor Numinis. 188.
Hylates Apollo, cultus Erysthiae, vel Curiade, item Amamassae et Tembri. 253 sq. et in Phrurio promontorio. 254, non dictus ab Hyle, nec a luco. ibid. est Baäl-Sol et Adonis. 254 sq.
Hypsuranius, Tyri conditor. 148.

I.

Jambia, oppidum Arabiae felicis. 256.
Jamnia urbs. De vera scriptione Hebraei nominis dubitatur. 256., est quoque vicus Galilaeae. 256.
Jannacus, nomen Alexandri Hebraeum, quid notet. 161.
Jaspis flava Munteri cum inscriptione Phoenicia et cancro. 163, inter telesmata referenda. ibid. de illius ratione conjecturae. 163 sq.
Ibn Beitaris locus explicatur. 229.
Ichnusa, Sardiniae nomen. 142.
Jehova habitus Ζεὺς ἀρότριος a Philistaeis et Phoenicibus. 169 sq. Cf. Agruerus. Jehovae nomen in nominibus ethnicis obvium. 174, 189 sq.
Idicara, oppidum Babyloniae. 255.
Ignis Phoenicum Deus. 63.
Indoles diversa Phoenicum et Aegyptiorum. 54.
Infinitivi in Pohel variae formae. 209 sq.
Inibal nomen viri, item loci. Vide Enbaäl. 45.
Inscriptio Carthaginensis explicatur. 1-9, Zeugitana prima. 11-21, secunda. 21-37, Melitensis restituta. 63 sqq., Aegyptiaca expl. 66-76, Carpentoractensis in Aegypto reperta. 66, bilinguis Leptitana explicatur. 76-79, Leptitana altera explic. 79-81, tentata a Gesenio. 79 sq., inscriptio vasis Panormitani tentatur. 93 sq., Oxoniensis explicatur. 94-97, Cyrenaicae bilinguis interpretatio novis argumentis stabilitur. 108-116, Phoenicia sigilli expl. 162, Phoenicia in Jaspide expl. 163, posita a Canaänaeis Josuam fugientibus apud Tigisin. 218, a viris doctis falso apud Tingin quaesita. ibid. Procopii ea de re narrationi multis de caussis fides habenda. 219, inscriptio, ut videtur, spuria Jubae II posita. 243, inscriptionum fragmenta expl. 10 sq. inscriptiones Melitenses explic. 38—65, Citienses undecim explic. 92-105.
Jod. Illius literae formae rariores. 27, 33, illius varietas explicatur. 33, 68, 83, cum Resch uno ductu juncta. 58, Jod peculiaris formae. 65, cum Tau confusa. 93, falso lecta pro Nun in Ennae nummis. 137, etiam cum He confusa. ibid. servilis an praefixa vocibus femininis? 255.
Jonathanis Maccabaei nummi duo explicantur. 160 sqq., Jonathan se dilectum Jehovae et regem et sacerdotem ma-

gnum in nummis appellat. 161, rex tamen non fuit, sed insigni et fere regio honore affectus est ab Alexandro Bala. 162..
Ischon-Kittin, nomen virile. 7 sq.
Isiris Phoenicis, sive Canaänis, frater, trium scribendi gemium inventor. 56.
Ismene, nomen Thebanum, quid notet. 6.
Ismenius, Apollo Thebanus. Nominis significatio. 5.
Itabyrium, sive Tabor mons, religione insignis. 165, alias Atabyrium. ibid. vide.
Juba I, Hiempsalis filius, qnam ditionem tenuerit. 244.
Juba II, Numidiae, tum Mauretaniis praefuit, sed non totis. 244 sq.
Jugurtha cum Boccho bellum gerens partem regni amisit. 242.
Julius Caesar bis a Boccho auxilia accepit. 154.
Jupiter Demarus, Astartes σύνεδρος, haud diversus ab Azizo. Nominis ratio. 131 sq. Atabyrius, cultus in monte Tabore, Rhodi, apud Agrigentum et in Chersoneso Taurica. 165 sq.
Jurisdictio, olim conventus dicta. 36.

K.

Kalamoun, oppidum Syriae. 235.
Kalemoni, hodiernum nomen Calami Phoeniciae. 235.
Kaphsa, oppidum in praefectura az Zaab. 236.
Karar, locus haud procul Medina. 236.
Karn, nomen duodecim locorum Arabiae. 236.
Khaschb, Khaschab et Khischb, loca Arabiae. 139.
Khaschba, mons in via Meccae. 139.
Κίβισις potius *forma lignea* (*lijst*) esse videtur, quam *pera*. 305.
Κιβωτὸς, alias Apamaea Phrygiae, vel locus ad sinum Nicomedensem. 290. Nomen redditum ex Thebarum nomine. 290.
Kinnisrin, non Kinnasrin, scribendum ex ratione nominis. 271.
Κίῤῥις, nomen Adonidis, i. e. Solis, apud Cyprios. 255, illius explicatio. ibid.
Koph et Tet dubiae. 18.
Koph et Resch uno ductae juncta. 102.

L.

Labda, Cypseli mater, unde appellata. 33.
Labranda, urbs Cariae. 45.
Ladon, i. e. Adonis, amnis Arcadiae, Ismeni pater. 257.
Λαῖφος, ex Arab. ليف. 112.
Lamed. Illius forma rarior exemplis probata. 32 sq. in caput versa. 44. Lamed et Nun ejusdem formae et solo sensu distinguendae 40 — 45 sqq. illius formae memorabiles. 53, 146, saepius omissa ex nomine Melech, vel Milch, apud veteres. 151.
Lapis Punicus a Muntero editus expl. 1 - 9. eundem ad Tyriam Carthaginem referendum esse probatur. 134, Humbertianus tertius. Illius interpretatio a Kopplo proposita refellitur. 90 sqq.
Lapidis Dresdani explicatio. 117 sq. lapides votivi Humbertiani Tyriae Carthaginis videntur reliquiae. 133 sq.
Laranda, urbs Lycaoniae. 44.
Larissa, multarum urbium nomen, ortum ex El Arisch. 257.
Latomia, an eadem urbs quae alias Misua et Nisua? 265.

Le-

Lectio בעל בנבלא, defensa et stabilita. 125.

Leptitani, Sidoniorum coloni. 79, eorum sermo corruptus. ibid.

Lexici Geographici insignis locus explic. 123.

Liberi a matribus cognominati. 166.

Literarum He, Cheth, Caph, item Beth, Daleth et Resch formae notabiles. 16, literae nonnullae a dextra in sinistram, in caput et in latus versae. 22, 45 sq. 27, 44, sibilantes confusae. 25, literarum in scribendo progressus quadruplex. 23, literae Beth, Daleth et Resch confusae. 43, literae אהוי femininum genus designant. 47, demoticae apud Phoenices mature in hieroglyphorum locum substitutae. 55, literarum Phoeniciarum varietas a diversis hieroglyphis repetenda. 55, literae Phoenicum Aegyptiorum quadratis persimiles. 66 sq., literae Beth, Daleth et Resch sibi invicem similes. 90, inversae complures in nummis Simonis Maccabaei. 158, litera S, pro aspiratione posita. 209, litera O apud veteres pro simplici schevate posita in Σοφονίας, Σολομὼν, Sophonis, Sophonisba et aliis. 211, litera M ante B et P inserta. 260, 263 sq., literae B et F permutantur. 276.

Λοξὸς et λοξίας, ex Arab. لغز 113.

Λυρόφοινιξ, idem instrumentum musicum ac sambuca. 305.

Lux Phoenicum Deus. 63.

M.

Malachbelus, Deus Palmyrenorum. 120.

Malua et Malvana idem flumen. 241 sq. 245, Malua, Malvana, Molochath, Mulucha et Mylychath, flumina Numidiae et Mauretaniae. 240, veterum loci de illis recensentur et explicantur. 240 sqq.

Malus Punica silvestris. Ejus optima species Aegyptiaca. 239 sq.

Mandrestal, nomen fictum Hiempsalis. 243.

Manus, apud Phoenices I, apud Aegyptios T signat. 55.

Mapsara, locus in Petrae ditione. 260.

Masinissa. Illius nomen explicatur. 312.

Mastanabal, Masinissae filius. Nominis ratio. 312.

Mauretania Caesariensis Bocchi, vel Bogudis, Tingitana Bogi, vel Bogonae regnum. 154 sqq. coll. 310, Mauretania Bocchi dicta a Boccho I. 156, Caesariensis dicta, quae antea Numidia fuerat, et quare. 244 sq.

Μέγα ἀκρωτήριον, Ptolemaei, i. q. Artisiga. 227.

Megessarus, Cinyrae avus. 198.

Melicarthus, Melicertes et Melkarth, qua ratione scribantur Punice. 142.

Melitensis linguae formae. 81.

Melites Punicum nomen quale. 46.

Μέλιτος, adject. a μελία. 47.

Memroumus, alias Hypsuranius. 166.

Meni, sive fatum, Phoenicum numen. 6.

Mercium permutatio tacita. 227.

Mesa, Moabitarum rex, gregum possessor. 310.

Meteuus nomen pp. explicatur. 194.

Mionnetus corrigitur. 24 sq. 155.

Mislachi, vel Mislecheth n. pp. 94.

Misor et Sydyc, juris et justitiae praesides. 167, an inventores salis? ibid. nomina expl. ibid.

Mochi Phoenicis mythologia expl. 171.

Molochath Strabonis et Ptolemaei unum idemque flumen. 241, diversum a Malua et Mulucha. ibid.

Monimos, σύνεδρος Solis, haud diversus ab Adodo. Nominis sensus. Est Hermes. 151.
Montes a Diis cognominati. 165.
Mulieres venustae cum dorcadibus comparantur. 302.
Mulucha, haud diversa a flumine salso et Chylemath. 241, 245.
Musti nomen nude. 25.
Mutines nomen pp. explicatur. 194.
Mygdalion, idem qui Pygmalion. 203 sq.
Mylitta Dea. Illius nominis vestigium in urbe Molada Palaestinae. 129, dicta etiam Meldita apud Zeugitanos. 263.

N.

Nahr al Kadhi, alias Tamyras. 287.
Nahr Damar, an fluvius Tamyras? 287.
Narmacha, pro Naarmalca. 151.
Nasamones Psyllos deleverunt eorumque regionem obtinuerunt. 267, antea habitaverunt ab austro Psyllorum. 267 sq. nominis ratio et absurda fabula hinc enata. 267 sq.
Nazal, mons Arabiae. 226.
Negita, urbs Zeugitanae. Nominis expl. 266.
Negus, rex apud Aethiopes. 171.
Nicopolis Ciliciae, secundum alios diversa ab Isso, secundum alios eadem. 146. Illius nomen Orient. 146.
Nidus, imago sedis altae et munitae. 270.
Nigbeni. An pars fuere Nasamonum? 268.
Nomen quando recens natis impositum apud Hebraeos, Arabes et Phoenices. 3, nomina plur. fem. viris tributa. 3, propria Poenorum Arabico more a בן incipientia. 5, eorum exigua varietas apud Poenos. 9, complura nnins ejusdemque urbis. 121, plura unius ejusdemque viri. 178 sqq. 181, 183 sqq. 186, 188 sq. 193 sq. 196, 203 sq. 206—209, gentilia a compositis primitivis et a pluralibus orta quomodo formentur. 146, Deorum in nomin. comp. nunc praeposita, nunc postposita. 181, duplex, Hebraeum et Graecum, aliquot Maccabaeorum. 161, nomina locorum difficilius explicantur, quam hominum et quare. 216, coloniarum saepius similia sunt nominibus locorum Biblicis. 217, nomina Semitica ipsa saepe forma distinguuntur a Graecis aliisque. 217, nonnumquam tamen Graecam formam mentiuntur. 217.
Numidae Massaesyli. Horum terminus flumen Molochath. 242.
Numidiam post Jugurthae mortem trifariam divisam fuisse, falso tradunt Viri docti. 242 sq.
Nummus Larandorum explicatur. 43 sq. nummus Himerae explic. 139 sq. nummus Panormitanus expl. ibid. nummus Sidoniorum male legitur a Koppio. 150, illius gemina lectio, aetas et interpretatio probabilis. 149 sqq. nummi Tabracenses. 24, Zeugitanae. 26, Teleptes, vel Talubathae. 33, Bullensium. 34, Berytiorum. 41, nummi male urbi Jol adscripti. 54, nummi Punici Sextorum an bene explicati. 84, nummorum Gaditanorum nova explicatio. 84 sq. nummi Emisenorum cum Dei Elagabali imagine conica. 119, nummi Gabalae Laodiceae. 124, Bostrensium cum Astartes imagine. 120, nummi nonnulli Veneris Uraniae religionem spectantes. 129, Aeliae Capitolinae ad religionem pertinentes Jovis et Veneris. 130, nummi secundum Gesenium in Alexandri M. honorem cusi. 145, nummi Cossurae tributi, recte a Koppio lecti. 146, nummi forte Nicopo-

poli Ciliciae tribuendi, caput galeatum habent idem, quod nummi Larandorum. 147, nummi Bocchi, regis Mauretanici. 152, 155, nummi Siculi varii explicantur. 137 — 142, nummi Melitenses. 141, nummi Ciliciac. 143 - 147, nummi Phoeniciac. 147 — 152, nummi Africani. 152 - 156, nummi Hasmonaeorum. 156 — 162, nummos Simonis Maccabaei in receptae Zionis memoriam cusos epigraphe ostendit. 158 sqq. nummi Jonathanis Maccabaei a Barthelemyo et aliis frustra tentati. 160 sq. ad Alexandrum Jannaeum, vel Alexandrum Antigoni fratrem, pertinere nequeunt. 161.

Nun formae rarioris, unde nata Graeco Latina. 15, vix a Tsade distinguenda. 24, aut a Zain. 34, cum Lamed confusa. 40 — 45 sq. inversa et in latus prostrata. 46, difficilioris formae. 48, 83, 146, Nun adjectivorum terminatio. 51, Nun terminatio fem. plur. an Phoenicibus cognita? 179.

O.

Obeliscus symbolum Amounis. 51, cur in locum conorum substituti obelisci. 52, varii generis inscriptionibus ornati. 52 sq. ab initio parvi et in adyto stantes, mox majores et ante templa positi. 53, Phoenicibus noti. ibid. et 'Αμμούνεοι appellati. 53 sq. literisque demoticis insigniti. 55.

Occidentem tenebris tectum putaverunt veteres. 313.

Octavianus Caesar a Boccho adjuvatur. 154, ei Tingitanam concedit. 154 sq. in illius nummis conspicitur. 155, Mauretaniam in provinciae formam redigit. ibid.

Odacon, monstrum ἰχθυόμορφον, hominum doctor apud Babylonios. Forte Dagon. 171.

Oea, vel Aea Africae. De nomine conjectura. 138.

Olba et Olbia urbes. Nominis origo. 306.

Ophra, vel Aphrata, patria Gideonis. 276.

Oppida Africae in ora maris medii et Oceani, quin omnia cis magnum desertum sita, non Mauri et Nomades, sed Phoenices, condidere. 217 sq. 220.

Oppidum Materense non differt a Madauris. 259.

Ὄρχος, unde derivandum. 27.

Ordo literarum qualis et unde. 57.

Os, apud Phoenices Ph, apud Aegyptios R signat. 55.

Osama ben Zeid quonam consilio a Mohammede in Orientalem Syriae partem missus. 283.

Οὐάγα et Οὐάγαι. Cf. Baga.

Oudendorpius reprehenditur. 310.

Ovium foetura brumalis. 117, vernali melior. 118, auctorum ea de re testimonia. 118, sub Baälis-Astartes tutela. 117 sq.

P.

Palaeobyblus, vulgare nomen Gabalae Phoeniciae apud veteres, a qua male eandem distinguit Ptolemaeus, vel illius librarius. 123 sq.

Pallas Romana confusa cum Minerva Belisama et Elagabalo Soli uxor destinata. 126.

Paltus eadem quae Baldus. 43 sq.

Piaculares nummi Baäli Taraz dicati. 144.

 Per-

Persae in Africam venerunt cum Hercule. 252.
Persicae linguae vestigia in Hebraismo. 199 sq. ejusdem linguae in voce Africana indicium. 252.
Persona tertia in inscriptt. frequentior prima. 10.
Φαχοῦσσαι, insulae quaedam ignotae. 142.
Pharaones secundum Arabes ex Amalekitis orti. 171.
Pharnace et Pharnaces nomina Persica. 199, Pharnaces tres, duo reges Pontici et tertius Artabazi pater. ibid.
Philaenorum fratrum absurda fabula. 202.
Philistaeis cur Aegyptia origo adscripta. 173, a Phoenicibus oriundi et quomodo. 173, eorum vetustae migrationes. 173, 221.
Philo Byblius reprehenditur. 167.
Phoenicum tribus ab initio cum Arabibus mixtae, tunc Syris contiguae, unde linguae ratio. 113, Phoenices Tigranen vocavere in Syriam. 149, illorum nummi nonnulli. 147, Phoenices antiquitus in Arabia viventes et cum Arabibus permixti, hinc Arabes appellati. 172, Thebas Aegyptias caput regni habuere. ibid. hinc rapuere sacerdotes Aegyptias. ibid. iidem qui Hyksos. ibid. ex Aegypto ejecti, partim ante, partim post Abrahami adventum Palaestinam insedere. 172 sq. Semitae fuere, sed falso Chamitae habiti, et quare. 173, vera eorum origo Arabibus innotuit. ibid. Phoenices in Attica sedem posuere apud Eleusin et Deceliam. 212, cum Phalerensibus de Neptuni sacerdotio contenderunt. 213. Vide Gephyraei. Phoenices saepe duo nomina habuere, Orientale et Graecum. 213, Phoenices oppida Africae condidere. 218, 220, multis ante Carthaginem conditam seculis oram Africae emporiis frequentavere. 218, Palaestina ab Israëlitis ejecti, in Tripolis Africanae regionem transierunt. ibid. secundum alios primum in Aegyptum descenderunt, dein reliquam occupaverunt Africam et Tigisin Numidiae, tum Achabi tempore Auzam Mauretaniae fundarunt. 218, 220, oram Oceani explorarunt. 220.
Phoenicia lingua Arabismis plena et Syriasmis. 112, unde hoc appareat. ibid. Phoenicia scriptura a Graeca Latinave nonnihil mutata. 115, illius rei indicia. ibid. Phoeniciae historiae auctores varii. 180.
Phoenicismus cur formarum varietate abundet. 62.
Phrurium promontorium Cypri, unde praecipitati, qui Apollinis aram attigissent. 254.
Phthiae Thessalicae nomen Orientale. 270.
Phygalion, idem qui alias Pygmalion. 203.
Phygmalion, idem qui Pygmalion. 203.
Physmanon, idem qui Pygmalion. 205 sq.
Pindi montis nomen Arabicum. 270.
Plinius. Illius duo loca conferuntur et explicantur. 122, 124, illius errores notantur. 156, 241.
Pluralia collectiva an Phoenicibus nota? 85.
Pompeji res gestae in Africa. 244.
Porphyrius explicatur. 170.
Procopii locus celeber de inscriptione Canaänaeorum expl. 218 sq.
Πρῶτα στοιχεῖα, elementa literarum. 56, 58.
Psylli, non ab austro vento, sed a Nasamonibus deleti. 267.
Ptolemaei errores varii ex una urbe duas facientis notantur. 123, 124, 232, 290. ejus-

ejusdem errores alii. 255, 279.
Punica lingua in Africa viguit adhuc tempore Procopii. 114, ab Arabismo deleta est seculo septimo. ibid.
Pupilla oculi de re cara et jucunda. 7 sq. vel principis emblema. 8.

R.

Rasain, urbs, eadem quae Ain al Wardah. 28.
Reduplicatae formae variae. 81.
Reges pastores, sive Hycsos, Phoenices. 172, de eorum nominibus plura. 177 sq. 183, 188 sq. 206.
Reimarus reprehenditur. 154.
Resch Latinae inversae similis. 78.
Rhoeci varii. 205 sq. an Graecum nomen? 206.
Ruspae, oppidum. Illius nomen Arabicum. 29, forsan tractum designet, non urbem. 273.
Ruspina, promontorium Africae. Nominis ratio. 272.

S.

Sabat ben Auf ben Selaman, Arabs. 275.
Sacerdotes apud Phoenices saepe e regia familia et ad regnum admissi. 188.
Sacerdotum minor apud Phoenices, quam Aegyptios, potestas. 55.
Sacrificia gemiuata et quare. 86.
Sadidus, filius Croni. 74, Solis epitheton. ibid. Graece ἔκαμας. ibid.
Salaph, nomen hodiernum fluminis Chinalaph. 237.
Salasel, aqua in terra Djodsam. 252.
Salatis, Pastorum Rex, alias Saites. 206.
Sallustius emendatur. 29, explic. 242.
Salsal, amnis prope Bagdadum. 252.
Samech. Illius forma obscurior. 23, 25 sq.
Sanchoniathon libri sui materiem hausit ex obeliscorum inscriptionibus hieroglyphicis. 53, 58, emendatur et explicatur. 52 sqq. 55 sqq. 165 sq.
Sanchoniathon, aequalis Semiramidis. 207, an Graece Φιλαλήθης. 207.
Σανδαλιῶτις et Σανδαλιώτη, nomina Sardiniae. 142.
Sardiniae varia nomina. 142.
Sardinia Ciceronis aetate multos colonos Afros habuit. 311.
Saredzer, vel Scharezer, nom. pp., Assyriis, Chaldaeis et Hebraeis commune, quid notet. 162.
Satabis, urbs Hispaniae. Nominis ratio. 276.
Scala apud Graecos et Italos *portus*. 261.
Schin et Samech permutantur. 62, Schin et Xi affines literae. 73, Schin et Mem confusae. 140.
Scholiastes Lycophronis emendatur. 104 sq.
Scriptura hieroglyphica Phoenicibus cognita. 54, sed mature deserta et quare. ibid. diversa ab Aegyptia. 55, tria scripturae genera Phoenicibus nota. 55 sq.
Selaman Arabibus idem quod Salomon. 275.
Senatus Citiensium? 98.
Sepulcra Poenorum intra urbem Carthaginem fuisse variis argumentis probatur. 133 sq. sepulcra gentis Saturninae apud Carthaginem. ibid.
Serbis amnis Lyciae. Nominis origo. 277 sq.
Sethi posteri in Hermonem concesserunt. 165.
Shawius salsum flumen recte quaesivit in Wed al Malah. 241, flumina Numidiae et Mauretaniae inter se confudit. ibid. Shawii errores notantur. 259, 265, 271 his. 272, 294.
Sihunosthus nom. pp. explicatur. 194.

 Si-

Sicharbas, aliud nomen Sichaei, explic. 208.
Sicoris, fluvius Hispaniae, est Schichor. 279.
Sidonis et Sidoniorum nomen an designavit omnes Phoenices? 147, Sidon cum Tyro de principatu et antiquitate contendit. 147 sq. dubium est an sit antiquior? ibid. Sidonis nummus admodum singularis explicatur. 148–152.
Sidonii an latent in ἁλιεῖς Sanchoniathonis. 148, Sidon ἱερὰ καὶ ἄσυλος. 149, Tyriorum insolentiam retundunt. 150 sqq.
Signum τρίγωνον Baälis et Astartes a Romanis cultum. 117.
Silites, idem qui Saïtes et Salatis. 206.
Silla, castellum Yemamae. 300.
Simon Maccabaeus. Illius nummi, quos Bayerus arcanos existimavit, explicantur. 157 sq. Illius historia monetaria pluribus difficultatibus laborat. 157.
Sisaris flumen unde dictum. 252.
Siserae nomen unde. 251 sq.
Solis nomina generis communis. 69, Sol et Jupiter Cypriis eadem religione et communibus aris cultus. 129, Solis thronus vacuus cur in atrio templi Hierapoli positus. 150, Sol, princeps triadis Edessenae, quales habeat συνέδρους. 151, Sol, sive Adonis, Φερέσβιος. 186.
Soleiman nomen diminutivum. 275.
Solon. Fabulosa narratio de Solis Ciliciae, vel Cypri, ab ejus nomine dictis. 280.
Sophanis. urbs in Aegypti et deserti Libyci confiniis, Typhoni sacra. 211.
Sophones Decelensis, alias Sophanes, pugna Plataeensi clarus. 212, latet fortasse in illius nomine Typhonis nomen. 212 sq. anchoram habuit in scuto in indicium originis Neptunicae. 215. Cf. Decelea.
Σφὰξ, vel Σφὴξ, i. q. Ἄσφαξ, forte *servum* notat. 280.
Stephanus Byzantinus emendatur. 42, notatur. 122, 253.
Strabo emendatur. 30, explicatur. 232, 241, 254.
Substantivo aliud adjectivi loco adjunctum. 15.
Sufetes Augustales. 77, Sufetes in Africa dominantibus Romanis. ibid.
Suidas emendatur. 198.
Suma, urbs Mesopotamiae. 300.
Surmubelus, Deus Phoenicum, idem qui Babyloniis Assorus. 171, quid nomen notet. ibid. est νοῦς Anaxagorae. ibid.
Susellim fluvius unde dictus. 252.
Sydyc, Phoenicum Deus. Cf. Misor.
Syllabae Graecae Ου et Ουα initiales, quibus respondeant literis Orientalibus. 297.
Syncretismus in religione Junonis Hierapolitanae et Veneris Punicae. 126, aliisque sacris. 130.
Syphax, quousque ditio ejus versus occidentem patuerit, incertum. 242, regiam habuit Sigam. ibid. an totum illius regnum cesserit Masinissae. 242.

T.

Ta, genitivi signum apud Melitenses. 109 sqq. ta particula vocibus praefixa. 282, 284 sqq. 287 sqq. 291 sq. ex substantivis adjectiva facit. 284, an in nonnullis vocibus est praefixa Numidica? ibid.
Taautus, literarum inventor. 56, Deorum formis phoneticorum hieroglyphorum loco usus est. 57, quo ordine literas collocaverit. ibid. Illius figura in alphabeti fine posita. 58.

Tab,

Tab, locus in Bahrein situs. 223.
Tahalati, locus ad Syrtin, et nominis ratio. 283.
Tahil, oppidum inter Rakkam et Balis. 242.
Tabir et Tabiran. an nomina pp.? 86.
Tabor mons. Vide Itahyrium.
Tabraca urbs, quomodo in nummis scripta. 24.
Tamariscus. Illius per omnem Africam magna copia est. 240.
Taphel, vel Tiphel, speciei illius ratio et origo. 14, quibus speciebus significatione sua respondeat. 14.
Tarsus. Illius nummi varii explic. 142 sqq.
Tau servilis ab initio nominum orta ex specie Taphel. 14, Tau cur ultima litera alphabeti. 57, Tau Hasmonacae similis. 78, male Mem pronuntiata. 84, cum Jod confusa. 93.
Tautho et Hapason, duo principia apud Babylonios, πόθος καὶ ἔρως. 170, nominum ratio. ibid.
Templa et τεμένη Deorum in coemeterium mutare solebant Christiani. 135.
Terminatio feminina abjecta ante Jod gentilitiam. 31, 42.
Tet dubiae formae. 34, 78, Tet similis veteri Βῆτα Graecorum. 163.
Thada, nom. pp. mulieris? 104.
Thalath, vel Tholath Dea, alias Beltis et Mylitta. Illius nomen servant urbes Thilutha. 129, Thelda, Thelde et Thalatha. 309. Vide Auladis.
Thamyris, vates Thracius, illius nomen Orientale. 215.
Thanace. Illius nominis explicationes variae. 198, fuit Cinyrae mater. ibid.
Thapsus Africae et Siciliae eundem fere situm habent. 291.
Thebae regni Phoenicii caput. 172.
Thenissa, alias Tuniza. Nomen expl. 290.
Theo nom. pp. viri. 99.
Theodoreti dubia lectio. 207.
Theora, Thora, nom. pp. mulieris? 104.
Therma, nomen Himerae novae ex Punico versum. 140 sq.
Thomas, nom. pp. Phoenicibus notum. 97.
Thuro, Dea Phoenicum, alias Chusarthis. Est *Lex.* 171.
Tighi et Tighsk, meus et tuus in lingua Melitensi, unde orta? 109 sqq.
Tigisis Numidiae confusa cum Tingi et Tigisi Mauretaniae. 218, condita a Cananeis Josuam fugientibus. ibid. nominis explicatio. 219, de Tigisi ejusque fonte Procopii narratio. 219.
Toh, regio Syriae. An est ditio hodierna Cafartah? 223.
Tobbaä, Himyaritarum rex, Khorasanam petiit Hiramque incolis frequentavit. 256.
Τρία γράμματα, i. e. tria scribendi genera, hieroglyphicum, hieraticum et demoticum. 56.
Trias Solis, Azizi et Monimi apud Edessenos. 131, Astartes, Adodi et Jovis Demaruntis apud Phoenices. 131 sq. Trias Edessenorum et Phoenicum explicatur et componitur cum Trimurti Indorum. 132.
Tridens Apollini tributa apud Tarsenses. 214.
Triquetra quibus in nummis exstet. 12.
Tsade et Zain permutantur. 15, 24 sq. Tsade, illius forma obscurior. 23 sq. 31, 58, 78, 153, 308, Tsade per T expressa. 24, vix a Nun distincta. ibid. 79, 81, Tsade inversa in sigillo Phoenicio. 162.
Tsalits, locus Arabiae in via Tai in Syriam. 250.
Tuhalkaïnis nomen explicatur. 199.

Tucci, duo oppida provinciae Baeticae. 88.
Tugga, urbes Africae hujus nominis plures. 88.
Tunes et Tuniza, Africae urbes. 290.
Turzo an idem nomen ac Tirza et Tarsus? 297.
Typhon, dictus Zephon apud Phoenices. 210 sq. varia loca, ubi cultus sit. Vide Baäl Zephon, Βελσεφῶν, Sophanls et Zaphon. Arabiae et Libyae arenis et mari praeërat. 211, Phoenicum Deus tutelaris, eorumque Neptunus. 211 sq. 214, Aegyptii illum a Phoenicibus acceperunt et κακοδαίμονα habuerunt. 211, illius a Jove apud Heroöpolin fulmine percussi imagine clades τῶν Hycsos significatur. 211. Cf. Sophones.
Tyriorum nummus male expl. a Gesenio. 147, 148, illius alia explicatio proponitur. 147 sqq.
Tyrus cur appellata mater Sidoniorum. 147, illius et Sidonis aemulatio. 147 sq. Tyrus quam antiqua fuerit urbs, ejusque templum Herculi dicatum. 148, ab Hypsuranio Deorum antiquissimo condita fuit. 148, dicta ἱερὰ καὶ ἄσυλος. 149, et forte metropoleos titulo ornata a Tigrane, quod ipsum in Syriam evocasset. 149, mendacissima dicta et ubi. 150.

U.

Ulomus, mundus, Deus Phoenicum. 171.
Ur, nomen viri, expl. 93.
Urbes complures ex una factae errore Geographorum. 253.
Uriah fuit Canaänaeus, sed Mosaicae religionis cultor. 174 sq.
Ursus Major, an a Phoenicibus cultus? 63.

V.

Vacca, vel Vaga. Cf. Baga.
Valentia, falsum Romae nomen. 139.
Varietas nominum pp. in Josepho, Eusebio et Syncello unde explicanda. 180.
Venus Byblia cum Adonide juncta et obscenis sacris culta. 128, Veneris Cypriae sacra celebrata mense Thammouz. ibid. hujus quoque Veneris cum Adonide conjunctio probata. 128, Venus Carthaginis ditissima, imprimis ex defunctorum haereditatibus. 127, Salinensis cognominata. 135, illius templum in coemeterium mutatum. ibid. Venerem Uraniam Carthaginis, humanam formam habuisse, leonibus vectam fuisse et virginem esse habitam, demonstratur. 126 sqq. Venus Urania apud Atticos Parcarum natu maxima. 129, Venus ἐγχεῖος Cypriorum, an Astarte Philistaeorum? 169.
Ver, vox latina, ex Persica lingua illustratur. 201.
Villae suburbanae extra Ispahanem et CPolin. 201.
Vodostor, i. q. Bodostor et Bostar. 184.

W.

Wadi al Boule, locus Bullae veteris. 34.
Waw pro Mem habita. 3, conversa. 21, Waw terminatio nominum gentilium. 88. coll. 153, Waw falso Samech lecta. 152, falso Jod lecta. ibid. 153.
Wed al Malah, flumen salsum Itinerarii. 211.

Z.

Zabica Tet in inscript. Carthaginensi. 10.

Zain et Tsade permutantur. 15, vix distinguendae. 24, Zain dubiae formae. 52, Zain vix a Nun distinguenda. 34, cum Resch confusa. 93, 101.

Zamakhschari dictus جَارُ ٱللّٰه et quare. 188.

Zamamizon urbs. Nominis ratio. 300.

Zaphon, urbs in Sihonis regno, a Typhonis cultu dicta. 210.

Ζαυάνας, Deus Sidoniorum, an Typhon? 211.

Zemaritae an a flumine Tamyra dicti? 287.

Zerbis fluvius Assyriae. Nominis origo. 277 sq.

Zetta et Uzita urbes confusae. 29.

Zeugitanae regio sexta. 153.

Ζεὺς ἐπικυκλίδιος qualis. 120.

Zionis nomen quam late patuerit. 159, Maccabaicis temporibus designabat Moriam. ibid. at subinde tamen montem Zionem. 160.

Ζόφος, *tenebrae*, de occidente positum. 313, Phoenicia vocis origo. 313.


ERRATA.

E R R A T A.

P.	53,	vs.	10.	altera	lege	alterum.
«	56,	«	52.	classis	«	classes.
«	64,	«	5.	אשרה	«	אשרה.
«	86,	«	2.	בנוה	«	בנות.
«	94,	«	17.	*agisque*	«	*agrisque.*
«	101,	«	25.	Aschremalcethach	«	Aschremalcuthach.
«	103,	«	6.	לבת	«	בת.
«	110,	«	26.	quae	«	quas.
«	119,	«	5, 13.	Emessenorum	«	Emisenorum.
«	«	«	25.	Emessenis	«	Emisenis.
«	121,	«	4.	جهلم	«	جهلم.
«	136,	«	5.	insulptae	«	insculptae.
«	«	«	7.	Munteriani	«	Munterianae.
«	141,	«	1.	Zancleis	«	Zanclaeis.
«	152,	«	12.	לבקר	«	לבקם.
«	192,	«	31.	מהיר	«	מהיר.
«	197,	«	24.	אביר	«	אביר.
«	205,	«	1.	מנן — מנן	«	מנן — מנן.
«	«	«	26.	רדנים	«	רדנים.
«	208,	«	20.	auctorum	«	auctorem.
«	226,	«	19.	*collis*	«	*colli.*
«	241,	«	17.	evitaverunt	«	evitaverint.
«	266,	«	« 1	*Soli*	«	*Asine* et *Soli.*
«	267,	«	26.	*hominem*	«	*hominum.*
«	281,	«	12.	כשש	«	שבש.
«	288,	«	19.	*Arouda*	«	*Taruda.*
«	«	«	22.	dorcades	«	onagri.
«	298,	«	30.	deliciens	«	delicians.
«	304,	«	31.	medio	«	qui medio.

EPIMETRUM.

Universa commentatione ad ipsum usque Indicum finem jam typis descripta et editioni parata, paucis ante diebus inopinato ad nos delatae sunt inscriptiones lucernarum sepulcralium quatuor, ab Illustrissimo Muntero nobiscum communicatae. Quarum cum verosimilem explicationem reperissemus, illas in hunc locum rejicere maluimus, qualicumque commentatione illustratas, quam in aliam de rebus Phoeniciis disputandi opportunitatem, quae utrum umquam futura sit, nescimus. Lucernae, Muntero teste, in Tunetis vicinia repertae atque argillaceae sunt, et in Museo Regio Hafniensi asservantur. Singulae superius imagine sunt insignes; duae caput muliebre gerunt cum eo capillorum ornatu, qui in nummis Faustinae junioris et Lucillae cernitur, tertia habet cervum, quarta leonem; inferius sub ipsa basi legitur inscriptio Phoenicia quatuor, vel potius quinque, literarum, quam una tantum lucerna integram offert, reliquae vel una, vel tribus quatuorve literis mutilam. Quatuor exemplorum, quorum vera magnitudo circiter duplo major est, haec est delineatio:



Duae literae integri exempli priores quin Resch et Tsade sint, nemo dubitabit. Nam Tsade, quae in tertio exemplo cum proxima litera coaluit, ordinariam plane formam habet, Resch autem eam, quae in nummis Africanis frequens est. At nihilominus admodum difficile fuisset, vel certo statuere de potestate reliquarum, vel dijudicare utrum una vox esset, an duae, et si hoc placeret, quo loco vocum divisio instituenda foret, nisi aliam huc adhibuissemus inscriptionem Punicam, cujus prorsus eadem ratio est. Hanc ex duplici delineatione novimus, altera D'Orvilii, in *Siculis* P. I. Tab. A. ad p. 43, altera G. L. Castelli, Torremuzzae Principis, in *Siciliae et objacentium insularum Vet. Inscript. nova collect.* p. 323, cujus


Fff haec

haec forma est ·15·Y9, nobis omnino probatior visa: D'Orvilliana enim discrepat in paucis. Uterque Vir doctus inscriptionis illius, A. 1725 in marmoreo sarcophago prope Panormum cum insigni supellectili funerea inventae, notitiam debebat Abbati Michaëli del Giudice, qui ista aeri incidi curaverat, et dissertationem ad rem illustrandam scribere instituerat, immaturo auctoris obitu interruptam. Hanc manuscriptam habebat Torremuzzae Princeps; ipsum Abbatem convenerat lapidemque viderat D'Orvillius, lapidem enim (quod miror) vocat, quam Castellus aeream laminam. Qua in re utri credendum sit nescio; hoc vero ex nummis Siculis Poenorum, quos ipse D'Orvillius aere exprimi curaverat, nos autem aliunde cognitos habemus, intelligitur, eum in delineandis harum literarum formis justo negligentiorem fuisse. Quapropter ipsi non multum fidei habemus, secundam literam ita scribenti, ut fere Caph, vel Resch, lapidis Carpentoractensis refert. Ultimam vero, quae in apographo Abbatis et Castelli est linea perpendicularis, ex ipsius lapidis comparatione se ita correxisse dicit, ut sit paene similis literae T vulgari. Quod si recte fecerit, latet fortasse in ista transversa linea basis literae He Phoeniciae, sive E, quam Munterianae quoque inscriptionis ultimam esse mox apparebit. Castelli apographon D'Orvilliano quoque praetulit Bellermannus, qui illud expressit in programmate *de Phoenicum et Poenorum inscriptionibus* edito Berolini A. 1810 p. 22 sq. et legens רַךְ לָז, vel רֹךְ לָז, interpretatur *mollia fata huic latori*, quod verba Hebraica, quae pp. sonant *mollis*, vel *mollities huic*, vel potius *hic*, vel *haec*, significare posse mihi vix persuadeo. Nam רַךְ est *mollis*, *tener*, *delicatus*; רֹךְ autem est *mollities*, *deliciae*, *luxus*, Deut. c. XXVIII, vs. 56, quo solo loco occurrit. Neutrum, ut vides, in nostrum locum quadrat, ubi *benignitas* et *clementia* fati postulatur in defunctum, tesseram istam, ut existimat Bellermannus, apud inferos soluturum. Praeterea si לָז pronunties, quod nusquam in Hebraismo exstat, nisi articulo junctum, ut sit הַלָּז, nominativum habebis, non dativum; quem ratio tamen postulat, sive particulam referas ad mortuum, sive quod longe verosimilius, ad ipsam rem, cui literae insculptae sunt. Ergo et hoc aliter efferendum videtur, et literae secundae, quae imprimis Bellermanno fraudi fuit, nova potestas tribuenda est, quod utrumque facile fiet ex Munterianae inscriptionis comparatione. Nempe hic secunda litera ordinaria Tsade est, in apographo autem Castelliano eandem literam esse, sed rarioris formae, cum utriusque inscriptionis in reliquis ostendit conspiratio, tum nummorum Africanorum epigraphe a nobis su-

superius צוען, vel צוען lecta (vide p. 26. coll. 34 et Tab. IV. n. 3.), quae explicatio hinc vicissim illustrari potest et confirmari. Porro literas inscriptionis utriusque finales inter se conferentes discimus, figuram, quae in lucernis extrema est, ex Zain linea perpendiculari et He inversa esse conflatam, atque adeo, ratione habita distinctionis illius, quam punctum inscriptionis Panormitanae nobis monstravit, legendum esse רץ לזה, *hoc gratum habeto, hoc contentus esto.* Ultimam radicalem in voce רץ, pro רצה, vel si mavis רץ, pro רצי, omissam esse, nemo mirabitur, qui meminerit idem perpetuo apud Arabes fieri in omnibus imperativis verborum, Waw et Ye defectivorum. Sic illi in hac ipsa radice إِرْضَ, pro رض, efferunt, ex رضي. Quae compendiosa scribendi ratio utrum apud Phoenices solennis fuerit, an ex loci angustiis, quibus inscriptio vix comprehendi poterat, orta, definire non possumus. Prius tamen esse verosimilius, partim suadet unius ejusdemque compendii in diversis locis repetitio, partim magnitudo literarum in lucernis expressarum, quae si paullo minores fuissent, spatium omnia elementa necessaria facile comprehendisset. Jam si in Castelliano exemplo nihil ad inscriptionis integritatem desit, quod affirmare non audemus, fortasse aliud simile compendium latet in voce לז, quae non לז cum Bellermanno, sed לז efferenda est, vel לז, omissa Jod, ut in אנך, pro אנכי in Inscript. II Citiensi, et Arabico اللذ, pro الذي (Sacy *Gr. Ar.* T. I. p. 335). Quod nisi اللذ quoque exstaret, plane respondens Hebraeo הלז, parum abesset quin hoc etiam ex defectiva scriptura, a Judaeis magistris male conservata et pronuntiata, derivatum, et, vel ad normam τοῦ اللذ, הלז efferendum, vel potius הלזה rescribendum putarem, ut exaratur Gen. c. XXIV. vs. 65, et c. XXXVII. vs. 19. Nunc vero hoc praeterea reputanti הלז in solis libris exstare recentioribus (Jud. c. VI. vs. 20, I Sam. c. XIV. vs. 1, c. XVII. vs. 26, II Reg. c. IV. vs. 25, c. XXIII. vs. 17, Dan. c. VIII. vs. 16 et Zach. c. II. vs. 8) in quibus defectivam scriptionem minus exspectes, quam in vetustioribus, illud servandum videtur et considerandum, num forte ut in nominativo הלז, ita eadem apocopa in dativo לז, pro לזה, efferre licuerit. Sed utcumque haec explicentur, ad sensum perinde est: nec sane dubito quin hic defunctum alloquatur unus necessariorum, ab eo petens ut hoc lucernarum sepulcralium donum gratum habeat et acceptum: de aerea autem lamina (vel lapide, etsi is tali usui in-

ineptior erat) sepulcri Panormitani sic censeo, eam vel toti isti funereae supellectili mortuo dicandae et commendandae inserviisse, vel uni ex istis donariis olim appensam fuisse. De constructione verbi רצה cum Lamed hoc observo, hanc particulam ex Aramaeismo accusativo indicando inservire posse, quo cum casu רצה haud infrequenter componitur: nisi malis huc referre unicum locum Veteris Testamenti, ubi ipsum Lamed cum רצה conjunctum est, Ps. XL. vs. 14, רצה יהוה להצילני, *Libeat Jehova tibi liberare me*, ad verbum: *acceptum habeas τὸ liberare me;* etsi hujus loci fortasse aliquanto diversa ratio est. Neque hoc silentio premendum, quod nonnullis fortasse, mihi non item, placeat, רץ pronuntiari posse, ut sit Imper. in Pihhel apocopatus ejusdem verbi רצה, et ex potestate Speciei II Arabicae, in Jobi quoque libro c. XX. vs. 10 occurrente, verba, quibus donarii auctor ipsam rem, quam defuncto offert, alloquatur, sic reddenda sint: *Hunc* (nempe defunctum) *placa*, vel *contentum reddito.*

enses.




No 3.




tio Aegyptiaca.

r 3.



Tab. IV

Inscriptiones Citienses



Ex Nummis		E lapid. pret.
Pocanum	Asiaticum	Incertae regionis